SEXAGINTA-QVINQVE

PROPOSITIONVM

A SANCTISSIMO D. N.

INNOCENTIO PAPA XI.

PROSCRIPTARVM

Per distributas Disputationes

solida, & clara

CONFVTATIO,

Cum resolutione plurium dubiorum ad earumdem Propositionum materias pertinentium.

AVTHORE

P.F. BARTHOLOMÆO RICCIO

NEAPOLITANO

Ordinis Eremitarum S.P. Augustini, Sacræ Theologiæ Magistro, & Professore.

Regij Neapolis Theologorum Collegij olim Decano.



NEAPOLI, Typis Io: Francisci Paci 1687.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

EMINENTISS. MO AC REVERENDISS. MO PRINCIPI

IOANNI GVALTERIO S.R.E. CARD. SLVSIO

M. F. Bartholomæus Riccius Augustinianus.

MAGNVS ille Augustinus (consultò cùm ad Te, Eminentiss. Princeps, scribo, ab hoc augusto nomine exordior, in quod multo deuotionis affectu inardescis) Augustinus, inquam, cùm a se adolescente conscriptos de Apto, & Pulchro libros Icherio Romanæ Vrbis Oratori dicaret, qui de facie sibi notus non erat, eius doctrinæ fama se permotum asserit, qua rerum ad Sapientiæ studium pertinentium scientissimus ille ferebatur. Ita & Ego, cùm 4 Cõf. 14.

nonnullo ab hinc anno meos hoſce conceptos fętus nomini tuo ſacrãdos deſtinarem, quamuis nullo vſu, aut impenſæ ſeruitutis opere Tibi notus, tui fama me permotum veriſsimè dixerim. At qua fama? Ea nimirum, qua nulli in terris contingere poſsit illuſtrior. Sic enim illa: Omni Te, & intellectualium, & moralium virtutum genere ornatiſsimum, eaque in vno collecta, & completa, quæ in plures diuiſa ſingulis ſufficerent ad ſplẽdorem. Addit, meritis tuis, ſicut temetiendis fortunam, ita & explicandis ſe imparem fore, centumq;, quas iactat, linguas, oraq; centum in hac re balbutientes ſe experiri, & anguſta. In his perfectę, conſummatæq; Sapientię

vi-

videō laudem, atq; adeo humanæ in terris felicitatis terminū, quem Tibi sūmo Dei munere contigisse testatur Vrbs simul, & Orbis. Validioribus ergo motiuis nūc Ego impulsus sum, quàm tunc Augustinus; sortem etiam nactus clemētiorem, vt, Te interim ex amplissimo, ac grauissimo a Breuiū secretis munere, in quo publica Apostolicæ Sedis lingua, & vox esses, ad Cardinalatus fastigium euecto, nō minùs quidē benignus, sed tamen augustior mihi patronus adesses. Verùm Augustini illi libri aptissimi sine dubio erant, & pulcherrimi; & tamen pro magno, vt ait, ipsi erat, si illi viro innotescerent, quos si probaret, magis ipse flagraret; si verò improbaret, sau-

cia-

Digitized by Google

ciarètur cor ſuum. Ego verò, et ſi pro maximo habeam, ſi ſapientiſsimos oculos tuos ad ineruditas haſce paginas flectere digneris, id quod etiã enixè precor, tamen ſiue approbes, ſiue improbes, æquale me cum gaudio lucrum reportaturum ſpero, vel de erroris redargutione correctus, vel de veritatis approbatione confirmatus. Verùm, cùm, quemadmodum et hęc ipſa Epiſtola, vbiq; illę ferant Auguſtinum, ſicut eius aſſerta Te probaturum non dubito, ita et meos labores boni conſulturum confido. Suſcipe igitur humilem; ſed ardentem tuæ virtutis, ac dignitatis veneratorem, meque inter tuos clientes adſcribere dignare.

Digitized by Google

SAPIENTI LECTORI.

PLVRES de eadem re adiuersis conscribi libros, vtile censet Augustinus, vt veritas, qua vno modo dicta, vel non capitur, vel non suadet, alio modo exposita recipiatur. Quamuis ergo super Propositionibus, contra quas nunc scribo, nonnulli prodierint libri (quorum iudicium Sapientibus remitto) tamen fortasse, & hic meus labor non erit inutilis. Verùm res talis, ac tanta est, de qua agitur, vt numquam satis de ea videri possit dictum. Qua enim corruptio, qua labes Christiana vita eruptura nō esset, si Propositiones illa, vt vera inducerentur in mores? id quod sapienter, & vidit, & monuit s. m. Alexander VII. in Proœmio prioris sui Decreti. Etenim, cùm aliquando ex peruerso iustificationis per solam Fidem dogmate Sacramentalis Cōfessio ab Vrbe Augustana esset explosa, ea vitiorum lues irrupit, vt Senatus Carolum V. Cæsarem rogandū putauerit, vt quia Diuina, & Ecclesiastica Iura ab Hæreticis contemnebantur, eam Confessionem Imperialibus Legibus ipse sanciret. At nescio, ne fœdior, ac horribilior Christiana disciplina euersio ex illis Propositionibus timenda sit, aduersùs quas, nec ipsum Pœniten-

tiæ

tiæ Sacramentum vllius roboris esset, vtpotè, quo se indigere non credunt, qui eas sequuntur. Quãuis enim fortasse ex una, vel altera ex illis nõ tantùm malum timendum nõ sit, ex vniuersis tamen omnino erumperet. Vtile ergo est, immo pro honoris Dei, & animarum salutis zelo commendabile, vt quisque pro modulo suo ad eas, tamquam teterrimam pestem, abigendas, & fugandas aliquid conferat. Quamuis enim grauissimo inuiolabilis Apostolicæ authoritatis pondere pressæ iaceant, atque prostratæ, quia tamen pro conditione humani ingenij, quod in suo sensu abundat, magis mouere solet ratio suadens, quàm authoritas premens, & potiùs veritas exposita, quàm credulitas imperata, etiam rationibus sunt profligandæ. Verùm ijs, qui in hac re operam suam præstare voluerint, id maximè præoculis habendum censeo; hic .s. non de purè speculabilibus, in quibus nullum adsit periculum peccati, nec de simplicibus inter particulares Scholas, seu Doctores controuersijs; sed de doctrinis agi a Sede Apostolica, vt scandalum, & animarum perniciem inferentibus reiectis, & damnatis. Quare non futilibus, aut sophisticis, non obscuris, licèt subtilibus, non speciem potiùs, quàm vim habentibus, non de longè tractis, aut dissitis paritatibus, siue comparationibus, non ex incertis principijs

(cte-

Digitized by Google

(etenim ex his eneruaretur vis damnationis, quasi talibus fundamentis innixa) sed solidis, grauibus, perspicuis, certò concludentibus argumentis agendum; maximè verò Sacrarum Litterarum, & probatissimorum Patrum sententijs, sacrisque Iuribus. Quod quidem Ego, quantum potui, perficere conatus sum, maximè in Augustini vestigandis, atque tradendis sensibus, quem Christiana Sapientia parentem veneratur Ecclesia. An verò sim assequutus, Tu, Sapiens Lector, iudicabis. In id verò maximè incumbo, vt conclusiones ad prima, & per se nota principia referam, tum quia aliter scientia constare non potest, vt Aristoteles tradit Poster. 1., tum quia ex principijs constitutis, & firmatis omnes in particularibus materijs difficultates expediri possunt, & enodari. In qua re plurium Summistarum, siue Casuistarum diligentiam desiderari cognoui, qui vix aliquando ad ea reducentes, immo ex particularibus tantùm singula cuiusque materiæ discurrentes, nec perfectam tradunt doctrinam, nec aliis dubiis dilucidandis facem præferunt; quinimmo non rarò contradictionibus implicantur. Ab ijs tamen citandis ferè abstineo; tum quia propter eorum numerum in eis euoluendis multum temporis insumendum fuisset, quod, vt arbitror, vtilius rebus ipsis inspiciendis impendi-

tur; tum quia non pugnandum est numero militum, sed viribus rationum. Ethnicorum sententias, & facta induco, tum ad ubertatem doctrinæ, & legentium eruditionem, vel iucunditatem, tum maximè ad acriùs pupugendos Authores, vel, si qui sunt, sectatores Propositionum, qui ea in Ecclesia Christi dogmata tradant, vel sequantur, quæ & ipsi Ethnica impietati falsa visa sunt, & reijcienda. Cæterùm non solùm ipsas Propositiones directè impugno, verùm etiam plures difficultates, & dubia, quæ ad earum materiam pertinent, moueo, & resoluo pro maiori, & clariori rerum intelligentia. Controuersiam de Licito, vel Illicito vsu Probabilitatum spectantem ad primas quatuor Propositiones, simulque Disputationem contra IX. Propositionem in meo Opere de Actibus Humanis edideram; sed ad integram omnium Propositionum confutationem denuò eas edere oportuit, quæ tamen castigatiores prodeunt, ac pleniores. Cùm autem pleraque a me in hoc Opere contra Recentiorum scita definiantur, de duobus te rogatum velim, candide Lector. Primùm, ne nouitatis, nominisque captandi studio me id facere credas. Non enim noua cudo; immo ab alijs cusa reijcio: Reuoco autem antiquam, venerandamque Patrum, grauiorumque Scholastico-

sticorum doctrinam, quæ ex inducta nouitate vel iacet, vel minùs placet. Secundum: Ne improbes, immo nec probes, antequàm legeris, & ne ad legendum præiudicatus, vt Tullius ait, accedas. Etenim Iudicis, quem te, & opto, & constituo, non modò Authoritatem, sed etiam nomen amittes, nisi ex ipsa causa iudicaueris, aut si iudicia iam pridem facta attuleris, vt idem dicit. Si autem propterea quòd contra torrentem, vt dicitur, Recentiorum conor, & pergo, me putas improbandum, considera, ne, & hic locum habeat illud Exodi 23.: Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ, vt a vero deuies. *Et illud Ænigmaticum Pythagoræ apud Beatum Hieronymum lib. 3. Apologiæ contra Rufinum*: Per viam publicam ne ambules; *idest, ne multorum sequaris errorem. Boni consule, fruere, & vale.*

Pro. A Cluentio Habito.

Digitized by Google

CENSVRA.

OPus inscriptum: *Sexaginta quinque Propositionum, &c. Confutatio* ab Adm. R. P. Magistro Fr. Bartholomæo Riccio Neapolitano elaboratum iussu P. V. Reuerendissimæ diligenter euolui. Nihil in eo contra Fidem, aut bonos mores deprehendi; sed omnia summo ingenio, ac pari subtilitate scripta reperi. Dat. 29. Octobris 1686.

Fr. Fridericus Nicolaus Gauardi S.T.M., ac Collegij Neapolitani Regens.

Iussu

Digitized by Google

IVssu Reuerendissimi Patris Magistri Fulgentij Tradalloni a Monte Elparo, &c. totius Ordinis Eremitarum S. P. Augustini Prioris Generalis, ea, quę par est, attentione, ac diligentia perlustraui Tomum, cui Titulus: *Sexaginta quinque Propositionum a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papa XI. proscriptarum solida, & clara confutatio*, compositum per Admodum Reuerendum Patrem Magistrum Fratrem Bartholomæum Riccium Neapolitanum, eiusdem Ordinis Eremitarum Sacræ Theologiæ Doctorem, ac Professorem; Eumque talem deprehendi, qui non tantùm nihil Fidei Orthodoxæ, bonisque moribus includat contrarium, immo intricatissimas Theologicas Propositiones tanta claritate elucidatas, solidissimaque S. Romanæ Ecclesiæ, ac Patrum Doctrina firmatas, vt absolutissimum opus censeri debeat; cùm eius Author non solùm alijs iam editis conspicuus, verùm in hac ingenti perplexarum quæstionum difficultate summam claritatem, ac sublimitatem adhibeat. Dignissimum igitur iudico, vt publica luce, & prelo honoretur; vtpotè, quem incipientibus Casuistis plurimùm necessarium, Proficientibus Theologis vtilem, Perfectis verò iucundissimum fore censeam: In cuius rei Fidem, &c. Datum Neapoli die 27. Octobris 1686.

Fr. Augustinus Castello Hybernus Collensis Ord. Er. S.P. Augustini in Regali Conuentu S. Ioann. ad Carbonariam Magister Regens.

A Ma-

Magister Fr. Fulgentius Traualloni à Monte Elparo Georginas totius Ordinis FF. Eremit. S.P.N. Augustini Prior Generalis.

CVm Opus, quod inscribitur: *Sexaginta quinque Propositionum a Sanctissimo D.N. damnatarum confutatio*, a Reu. P. F. Bartholomæo Riccio Neapolitano nostri eiusdem Ordinis Sac. Theologiæ Magistro per viros a nobis deputatos recognitum, probatum, publicaque luce dignum habitum sit, præsentium tenore, nostriq; muneris auctoritate facultatem, quantùm ad Nos spectat, ipsum imprimendi concedimus, & impertimur. Dat. Romæ die 9. Nouembr. 1686.

Frater Fulgentius Traualloni Prior Generalis Ind.

Nostri muneris affixo Sigillo.

Reg. lib. 2.

Re-

Digitized by Google

REVERENDISSIME DOMINE.

ET si non pauci, Reuerendiss. Domine, immo plures conati sint in lucem emittere Tractatus contra Propositiones a SS. D. N. Papa Innocentio XI. feliciter regnante damnatas, id tamen nullus feliciori calamo, excellentioriſque doctrinæ artificio præstitit, quàm R. A. P. Fr. Bartholomæus Riccius eximius noster Sacræ Theologiæ Magister. Testes sunt, & omni exceptione maiores confutationes Propositionum, quas nostra in Aula expressit, & typis mandare decreuit titulo inscripto: *Sexaginta quinque Propositionum, &c.*, quas de mandato Reuerendiss. Dominationis Vestræ diligenter euolui, & quàm iucundè propter egregiam styli elegantiam, & profundam eruditionem e sacris litteris, probatissimisque Patrum monumentis haustam, quam in eisdem cum fidei puritate, & morum integritate me reperisse attestor; cùmque vberrimos fructus legentibus omnibus, pijs præsertim, ac timoratis viris afferre possint ad opinionum laxitates confutandas, Opus dignissimum est, vt publica lucis vsura fruatur. Ita censeo. Dat. Neapoli in Regio S. P. Augustini Cœnobio hac die 10. Nouembris 1686.

Reuerendiss. virtutum tuarum
cultor deuotiss.
Fr. Nicephorus Sebastus Ord. Er. S. Augustini, & Regij Neap. Collegij S. Th. Mag., Archiep. Curiæ Examinator Synodalis, itemq; Librorum Censor, S. Officij de Vibe in Regno, ac eiusdem S. Congr. Indicis Consultor.

Stante supradicta relatione Imprimatur.

F. VERDE VIC. GEN.

E C-

Digitized by Google

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Gio: Francesco Paci Stampatore di libri in questa fedelissima Città, supplicando espone à V. E. come desidera stampare vn' Opera intitolata: *Sexaginta quinque Propositionum a Sanctissimo D. N. Innocentio Papa XI. proscriptarum, Authore P. Fr. Bartholomæo Riccio Neapolitano Ordinis Eremit. D. Augustini*. Per tanto supplica l' Ecc. Sua commettere la reuisione di quella a chi più li aggrada: che lo riceuerà dall' Ecc. Sua a grazia, vt Deus.

Rev. Pater Aloysius Albertinus videat, & in scriptis referat.

Carillo R. Miroballus R. Iacca R. Prouenzalis R.

Ill. Marchio Chrispani non interfuit.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

LVstraui iussu Excellentiæ Tuæ Librum, cui titulus: *Sexaginta quinque Propositionum a SS. D. N. Innocentio Papa XI. proscriptarum, Authore P. Fr. Bartholomæo Riccio Neapolitano Ordinis Eremit. S. P. Augustini*; in quo nil prorsus animaduerti, quod vel Regiæ Iurisdictioni, vel moribus obsit. Typis igitur mandari poterit, si ita Excellentiæ Tuæ visum fuerit. Neapoli 4. Nouembris 1686.

Excellentiæ Tuæ

Omni obsequio addictissimus Famulus
Aloysius Albertinus Soc. Iesu.

Imprimatur. Verùm in publicatione seruetur Regia Pragm.

Soria Reg. Miroballus Reg. Iacca Reg.

Spect. RR. Carillo, & Prouenzalis non interfuerunt.

IN-

Digitized by Google

INDEX

DISPVTATIONVM, ET CAPITVM,

DEcretum Sanctissimi D.N. contra 65. Propositiones. pag. 1
Disputatio I. Contra primas quatuor Propositiones.
Cap. 1. *Explicatur quid sit Opinio, quid Probabile.* 7
Cap. 2. *Ostenditur illicitus Vsus Probabilitatum authoritatibus, & exemplis Diuinarum Scripturarum, & ex Patribus.* 15
Cap. 3. *Ostenditur illicitus Vsus Probabilitatum ex Sacris Iuribus, Decretisque Pontificum.* 22
Cap. 4. *Ostenditur illicitus Vsus Probabilitatum ex ratione.* 38
Cap. 5. *Soluuntur Argumenta pro licito vsu Probabilitatum.* 65
Disputatio II. Contra Propositionem V.
Cap. 1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 93
Cap. 2. *Soluuntur Argumenta pro damnata Propositione.* 100
Disputatio III. Contra Propositionem VI.
Ostenditur falsitas Propositionis. 107
Disputatio IV. Contra Propositionem VII.
Ostenditur falsitas Propositionis. 108
Disputatio V. Contra Propositionem VIII.
Cap. 1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 110
Cap. 2. *Soluuntur Argumenta pro Propositione.* 116
Disputatio VI. Contra Propositionem IX.
Cap. 1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 118
Cap. 2. *Soluuntur Argumenta pro Propositione, & ostenditur, nuptias non esse institutas secundariò in remedium libidinis.* 124
Cap. 3. *An exercere cum coniuge copula propter fornicationẽ vitãdã sit idẽ, ac illã exercere propter libidinẽ siue voluptatẽ.* 138
Cap. 4. *An oscula, & tactus inter coniuges sola voluptatis gratia sint peccata.* 141
Cap. 5. *An in copula venialiter peccaminosa sit etiam veniale emittere semen extra vas.* 142
Disputatio VII. Contra Propositionem X.
Ostenditur falsitas Propositionis. 144

Disputatio VIII. Contra Propositionem XI.
Ostenditur falsitas Propositionis. 150
Disputatio IX. Contra Propositionem XII.
Ostenditur falsitas Propositionis. 152
Disputatio X. Contra Propositionem XIII.
Ostenditur falsitas Propositionis. 154
Disputatio XI. Contra Propositionem XIV.
Ostenditur falsitas Propositionis. 157
Disputatio XII. Contra Propositionem XV.
Ostenditur falsitas Propositionis. 160
Disputatio XIII. Contra Propositionem XVI.
Ostenditur falsitas Propositionis. 163
Disputatio XIV. Contra Propositionem XVII.
Cap. 1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 168
Cap. 2. *Quoties, & quando repetendus sit Fidei actus.* 171
Disputatio XV. Contra Propositionem XVIII.
Cap. 1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 173
Cap. 2. *An possit aliquando esse licita simulatio falsæ Fidei, siue Religionis, vtpotè Iudaismi, aut Mahometismi.* 174
Disputatio XVI. Contra Propositionem XIX.
Ostenditur falsitas Propositionis. 178
Disputatio XVII. Contra Propositionem XX.
Ostenditur falsitas Propositionis. 180
Disputatio XVIII. Contra Propositionem XXI.
Ostenditur falsitas Propositionis. 184
Disputatio XIX. Contra Propositionem XXII.
Ostenditur falsitas Propositionis. 187
Disputatio XX. Contra Propositionem XXIII.
Cap. 1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 190
Cap. 2. *Ostenditur, nulli dari auxilium necessarium ad seruandam legem, & charitatem habendam, nisi habenti Fidem in Christum, ideoque Fidem in Deum ex testimonio creaturarū non sufficere ad iustificationem.* 194
Cap. 3. *Probatur idem ex sacris litteris, & Augustino.* 196
Cap. 4. *Ostenditur, sine auxilio gratiæ per Christum, neque per actus entitatiuè naturales posse vinci mundum, siue seruari legem,*

Digitized by Google

gem, aut diligi Deum super omnia; & distinctio actuum inter entitatiuè naturales, & supernaturales circa eadem obiecta formalia euertitur. 206

Cap.5. *Euertuntur fundamenta, quibus innititur distinctio actuũ inter entitatiuè naturales, & entitatiuè supernaturales erga eadem obiecta formalia; & ostenditur etiam amorem concupiscẽtiæ Dei super omnia non posse haberi ex viribus naturæ.* 217

Cap.6. *Ostenditur, non posse solis viribus voluntatis diligi Deum super omnia, vt authorẽ naturæ, vel beatitudinis naturalis.* 225

Cap.7. *Differitur de doctrina D. Thomæ & Ægidij, quòd creatura rationalis naturali dilectione diligat Deum supra se.* 231

Cap.8. *Soluuntur Argumenta pro inclinatione naturali creaturæ ad amandum Deum supra se.* 239

Cap.9. *Soluuntur Argumenta pro damnata Propositione.* 245

Disputatio XXI. Contra Propositionem XXIV.

Cap.1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 252

Cap.2. *Ostenditur, leuitatem materiæ non semper alleuiare peccatum, aliquando & grauare.* 256

Cap.3. *Soluuntur Argumenta pro Propositione damnata.* 259

Cap.4. *An leuitas materiæ excuset a mortali peccatum ob votum non solutum, seu iuramentum promissorium non seruatũ.* 261

Cap.5. *Soluuntur Argum. excusantia a mortali transgressionẽ voti, vel iuramenti, quãdo eorũ materia, licèt totalis sit parua.* 266

Disputatio XXII. Contra Propositionem XXV.

Ostenditur falsitas Propositionis. 269

Disputatio XXIII. Contra Propositionem XXVI.

Cap.1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 272

Cap.2. *Soluuntur Argumenta pro Propositione damnata.* 278

Disputatio XXIV. Contra Propositionem XXVII.

Ostenditur falsitas Propositionis. 293

Disputatio XXV. Contra Propositionem XXVIII.

Ostenditur falsitas Propositionis. 296

Disputatio XXVI. Contra Prooositionem XXIX.

Ostenditur falsitas Propositionis. 300

Disputatio XXVII. Contra Propositionem XXX.

Cap.1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 303

Digitized by Google

Cap.2. *An liceat inuaſo ſe contra inuaſorem defendere cum periculo occiſionis eius.* 305
Cap.3. *Soluuntur Argumenta pro illicita defenſione ſui ipſius, dũ adeſt periculum occiſionis inuadentis.* 310
Cap.4. *An liceat inuaſo omittere ſui defenſionem, & permittere, ſe occidi.* 322
Cap.5. *An liceat permittere propriam mortem ex morbo pro ſeruanda abſtinentia a carnibus.* 326
Cap.6. *An Auguſtinus docuerit, illicitam eſſe defenſionem cum periculo occiſionis inuadentis.* 332
Diſputatio XXIII. contra Propoſitionem XXXI.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 344
Diſputatio XXIX. Contra Propoſit. XXXIII. & XXXIII.
Oſtenditur falſitas Propoſitionum. 349
Diſputatio XXX. Contra Propoſitionem XXXIV.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 352
Diſputatio XXXI. Contra Propoſitionem XXXV.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 358
Diſputatio XXXII. Contra Propoſitionem XXXVI.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 363
Diſputatio XXXIII. Contra Propoſitionem XXXVII.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 366
Diſputatio XXXIV. Contra Propoſitionem XXXVIII.
Cap.1. *Oſtenditur falſitas Propoſitionis.* 371
Cap.2. *Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.* 376
Diſputatio XXXV. Contra Propoſitionem XXXIX.
Cap.1. *Oſtenditur falſitas Propoſitionis.* 380
Cap.2. *Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.* 382
Diſputatio XXXVI. Contra Propoſitionem XL.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 386
Diſputatio XXXVII. Contra Propoſitionem XLI.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 389
Diſputatio XXXVIII. Contra Propoſitionem XLII.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 396
Diſputatio XXXIX. Contra Propoſit. XLIII. & XLIV.
Oſtenditur falſitas Propoſitionum. 398
Di-

Digitized by Google

Disputatio XL. Contra Propoſit. XLV. & XLVI.
Cap. 1. *Oſtenditur falſitas Propoſitionum.* 402
Cap. 2. *An ſit Simoniacum habere temporale pro fine ſecundario rei ſpirituals.* 408
Cap. 3. *An in concurſu aquè dignorum liceat Collatori rei ſpiritualis moueri ex temporali emolumento ad conferendum potiùs vni, quàm alteri.* 413
Disputatio XLI. Contra Propoſitionem XLVII.
Oſtenditur falſitas Propoſitionis. 417
Disputatio XLII. Contra Propoſitionem XLVIII.
Cap. 1. *Oſtenditur falſitas Propoſitionis.* 427
Cap. 2. *Examinatur ratio D. Thomæ pro malitia naturali ſimplicis fornicationis.* 436
Cap. 3. *An ſit peccaminoſa copula, quæ exercetur nõ intendẽdo prolem, ſed nec eam auerſando, &, ſi nata fuerit, educare, & inſtruere intendendo.* 441
Cap. 4. *An ſit nuptialis, an fornicaria copula, cùm mulier adhibetur ad tempus, donec inueniatur ditior, vel honorabilior, interueniente tamen per id tempus fide, ipſaque muliere non aliud, quàm liberos ex copula cogitante, & poſt ſeparationem aliam copulam, etiam nuptialem, aſpernante.* 442
Cap. 5. *An ſit coniugale fœdus, cùm ſocietas vitæ ſancitur duratura non vſque ad mortem, ſed ad certum tempus, etiamſi intendatur perpetuitas vinculi coniugalis.* 444
Disputatio XLIII. Contra Propoſitionem XLIX.
Cap. 1. *Oſtenditur falſitas Propoſitionis.* 448
Cap. 2. *Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.* 451.
Cap. 3. *An liceat procurare, aut ſaltem deſiderare, vt pollutio accidat in ſomno.* 455
Cap. 4. *An teneamur abſtinere ab operibus bonis, vel non malis propter expertum periculum pollutionis.* 459
Disputatio XLIV. Contra Propoſitionem L.
Cap. 1. *Oſtenditur falſitas Propoſitionis.* 462
Cap. 2. *Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.* 465
Cap. 3. *An contra ius naturæ ſit, vnum virum habere plures vxores.* 466

Cap. 4.

Digitized by Google

Cap.4. *Cur Deus dispẽsauerit cum Hebræis super Polygamia.* 472

Disputatio XLV. Contra Propositionem LI.

Cap.1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 481

Cap.2. *Quinam concursus ad peccatum alterius, & quanam ratione sit excusabilis a peccato, quinam verò minimè.* 486

Cap.3. *Examinatur doctrina excusans a peccato cooperãtem peccato alterius remotè, non proximè.* 490

Cap.4. *Soluuntur Argumenta excusantia a peccato concursum efficientem ad peccatum alterius, vel de eo accusantia concursum non efficientem, etiam dum ex graui causa adhibetur.* 495

Cap.5. *An ex graui metu liceat nautis, sellularijs, lecticarijs, aurigis, aliisque baiulis, siue vectoribus scienter deferre mulieres, seu viros ad loca, siue personas, in quibus, vel cum quibus fornicandum sit.* 509

Cap.6. *An ex graui metu, vel causa liceat pro alio dictare, vel exarare, vel deferre litteras amatorias, vel amatoria verba referre.* 510

Cap.7. *An liceat ex graui causa imagines Deorum vendere, vel tradere gentibus, a quibus creduntur colenda.* 513

Cap.8. *An ex graui metu liceat templa edificare idolis.* 515

Cap.9. *An ex graui metu liceat effigies formare Deorum.* 517

Cap.10. *An liceat locare domum meretrici.* 521

Cap.11. *An ex graui metu liceat coquo præparare cibos vetitos pro Domino, dapiferisque illos inferre in mensam.* 522

Disputatio XLVI. Contra Propositionem LII.

Ostenditur falsitas propositionis. 527

Disputatio XLVII. Contra Propositionem LIII.

Ostenditur falsitas Propositionis. 530

Disputatio XLVIII. Contra Propositionem LIV.

Ostenditur falsitas Propositionis. 534

Disputatio XLIV. Contra Propositionem LV.

Cap.1. *Ostenditur falsitas Propositionis.* 538

Cap.2. *Soluuntur Argumenta pro Propositione damnata.* 543

Disputatio L. Contra Propositionem LVI.

Ostenditur falsitas Propositionis. 545

Di-

Digitized by Google

Disputatio LI. Contra Propositionem LVII.
Ostenditur falsitas Propositionis. 549
Disputatio LII. Contra Propositionem LVIII.
Ostenditur falsitas Propositionis. 558
Disputatio LIII. Contra Propositionem LIX.
Ostenditur falsitas Propositionis. 565
Disputatio LIV. Contra Propositionem LX.
Ostenditur falsitas Propositionis. 568
Disputatio LV. Contra Propositionem LXI.
Ostenditur falsitas Propositionis. 570
Disputatio LVI. Contra Propositionem LXII. & LXIII.
Cap. 1. *Ostenditur falsitas Propositionum.* 573
Cap. 2. *An liceat admittere occasionem proximam peccati leuioris pro auertendo peccato grauiori nostro, vel proximi.* 575
Disputatio LVII. Contra Propositionem LXIV. & LXV.
Cap. 1. *An semper ad iustitiam, & salutem necessaria fuerit notitia per Fidem in Iesum Christum.* 580
Cap. 2. *Ostenditur, omni tempore fuisse necessariam necessitate medij ad iustitiam, & salutem Fidem explicitam in Christum, ideſt, Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis eius.* 582
Cap. 3. *Ostenditur, non posse dari Fidem insufficientem ad salutem, sufficientem ad iustitiam.* 596
Cap. 4. *Soluuntur Argumenta pro sufficientia alicuius Fidei ad iustitiam, non ad salutem.* 601
Cap. 5. *Soluuntur Argumenta contra necessitatem Fidei explicitæ in Christum ad salutem omni tempore.* 606
Cap. 6. *Ostenditur falsitas Propositionis damnatæ.* 610
Cap. 7. *Soluuntur Argumenta pro Propositione damnata* 612

Digitized by Google

LECTORI:

Antequam legas, benigne Lector, ne legendo turberis, ſequentia errata corrigas, quæ in Opus ineuitabili Typorum neceſſitate irrepſerunt, cæteris tuæ diſcretioni remiſſis.

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIG.
10	36	rationalibus	rationabilibus
26	35	Secundo	Rurſus
29	39	certa	certè
34	37	credimur	credimus
41	1	eſſe	eſt
53	26	cauſam	cauſa
57	24	ſinitimos	finitimos
68	3	er	eſt
73	25	adulterius	adulterinis
92	16	operatur	operatus
125	2	inſtitutionea	inſtitutiones
126	31	Abalenſis	Abulenſis
127	1	ea	eam
129	36	is	ij
129	37	4. Conſ. ca. 2.	6. Conſ. ca. 15.
136	11	eſt	ex
146	7	ex	eſt
153	2	quatum	quantum
169	1	extinctus	extincta
ibid.	37	Tertiò	Secundò
170	26	Quartò	Tertiò
173	26	&	licet
180	7	vt tenere	tenere
196	9	niſi	*delendum*
201	34	rurſus contra	4. contra
206	5	naturale	naturales
216	1	naturalis	*adde*, & ſupernaturalis
226	28	reuelet	relucet
233	19	imoedimenti	impedimentum
236	20	alterum	ſi alterum
264	28	quanto	quantùm
280	18	cap.	*delendum*
321	18	homicidii	homicidiis
337	1	defenſionem	defenſionis
387	35	iuſtus	verus, & iuſtus
ibid.	40	includens	ſimulans
393	2	præſentium	præterito
397	18	recipere	receptio
426	3	intacta	intactam
430	28	igitur	tamen
433	2	vxore	coniuge
519	19	cultum	cultus
525	36	illud	ille
540	7	dependeat	dependent
544	21	duplici	duplicis
553	1	ſi	ſit
564	10	actior	auctior
571	6	reperitũ	reperitur
587	15	in iſte	in hoc iſte
596	8	putant	putat
ibid.	20	dare	dari

Die

Digitized by Google

Feria v. die 2. Martij 1679.

In Generali Congregatione Sancta Romana, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſſimo D. N. D. Innocentio Diuina Prouidentia Papa XI. ac Eminentiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ouium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxijs doctrinarum paſcuis ab innoxijs à fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas Propoſitiones partim ex diuerſis, vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim nouiter adinuentas Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpius diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem Sanctiſſimus D.N. re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, & decreuit pro nunc, ſequentes Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ſicut iacent, vt minimùm tamquàm ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suę quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas vllatenus approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſen-

Digitized by Google

tentia probabili tantùm vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, siue intrinseca, siue extrinseca, quantumuis tenui, modò a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus.

8. Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus Coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus inuenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum patris, sed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundùm se.

17. Satis est; actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confi-

Digitized by Google

confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, vt peccaminoſum per ſe, non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quám mereatur pōdus rationū ad aſſenſum impellentiū.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat, ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimiliue motiuo ad iuſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in Teſtem mendacij leuis non eſt tanta irreuerentia, propterquam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit leuis, ſiue grauis.

26. Si quis vel ſolus, vel coram alijs, ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additū verum, reuera non mentitur, nec eſt periurus.

27. Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratū, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſsū furē pro cōſeruatione vnius aurei,

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiā ad quæ ius inchoatū habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

Digitized by Google

33. Licitum est tam hæredi, quám legatario contra iniustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata soluantur, se taliter defendere, sicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnẽ fœtum, quamdiu in vtero est, carere anima rationali, & tunc primũ incipere eamdẽ habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidiũ cõmitti.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in graui.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatũ est per pauca furta, quantumcumq; sit magna summa totalis.

39. Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus, Mohatra, licitus est, etiã respectu eiusdẽ Personę, & cũ cõtractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari

42. Vsura non est dum vltra sortem aliquid exigitur, tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, sed solùm, si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motiuum dandi spirituale; immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quám res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communi-

Digitized by Google

municantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint ad Ecclesias promouent, Conciliũ, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparatiuo pro positiuo, vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tamdem loquitur tertiò, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam inuoluere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, vt contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam nõ interdixisset, sepe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adiuuat herum suũ ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subseruit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino malè tractetur, ne toruis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum seruandi festa non obligat sub morrali, sepositò scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes immó quatuor simul a diuersis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autẽ reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorẽ.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionẽ naturalẽ, modó honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absoluere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicuius festiuitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationes spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi ver-

di versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumuis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilē nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cuiusuis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel diuisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel prædicauerit nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus, cuiuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tamdem, vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alij quicumque inposterum se abstineant, & vt paci, & charitati consulatur idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientię eis præcipit, vt tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni censura, & nota, necnon à quibuscumque conuicijs contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hincinde controuertuntur, donec a Sancta Sede recognitæ super ijsdem propositionibus iudicium proferatur.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA

De licito, vel illicito Vsu Probabilitatum contra primas quatuor Propositiones.

PROPOSITIO I.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi Opinionem Probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia Probabili tantùm vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

II.

Probabiliter existimo Iudicem posse iudicare iuxta opinionem, etiam minùs Probabilem.

III.

Generatim dum probabilitate, siue intrinseca, siue extrinseca, quantumuis tenui, modò a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

IV.

Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus Opinione minùs Probabili.

CAPVT I.

Explicatur quid sit Opinio, quid Probabile.

1. CONTROVERSIA de licito, vel illicito Vsu Probabilitatum, non quidem magnæ, quantum video, aut abstrusioris est indaginis, sed inde grauissima, quia de principio est vniuersali, ex quo innumerabiliũ operum libertas, vel inhibitio, innocẽtia, aut reatus depẽdent; quare in ea versanda præ cæteris moralibus Controuersijs quàm maximè, & quàm verissimè dici potest, agi causam honoris Dei, agi integritatis conscientiæ, rectitudinis operum, salutis animarum; &, quod grauius est, agitur omnis

omnis hęc causa pro, vel contra licentiam voluntatis humanæ, eiusque cupiditates. Proinde compositum potiùs, Deoque, ac veritati subditum animum, quàm acutum ad perspiciendum ingenium requirit. Non enim ex rei obscuritate, sed inde erroris periculum præsentius adest, ne amoris proprij nubilo iudicij sinceritas perturbetur, neue, quod facillimum est, æquiorem se quisque sibi, quàm legibus, aut veritati præbeat, erigens, vt Augustinus loquitur 3. Confess. cap. 8., cornua falsæ libertatis. Quantæ enim molis sit proprium subigere amorem, tum vniuersi Patres, vitæque spiritualis Magistri, tum maximè idem ostendit Augustinus, denuncians, extremam eius vmbram nusquam in hac caligine vitę, sed illo tantùm meridie absorbendam, cùm de clara Dei visione perfecta charitas inardescet, de Natura, & Gratia cap. 31. Addit nonnihil ad intelligendum difficultatis, quod præsens ætas licentiam Probabilitatum tam quam fœtum suum amplexa, eidem nutriendæ, fouendæ, ornandæ, armandæ intentissimè, ac strenuè laborauit, pluribus, pluribusque subtilitatibus, distinctionibus, glosis, doctrinisque excitatis, & productis, quæ ad veritatis normam, lucemque reuocare, aliquid negotij est. Hanc igitur tanti momenti Controuersiam, nullo partium studio, sed solo veritatis zelo ductus, iuxta vires, quas Deus largiri dignabitur, breuiter, ac dilucidè explicandam aggredior.

2. Opinio quandoque sumitur pro simplici cognitione Conclusionis ex principijs probabilibus, quandoque pro assensu erga talem Conclusionem tamquam veram: quæ duo diuersa sunt; possumus enim cognoscere illationem conclusionis ex probabilibus, nec tamen illi assentiri, vt veræ, immo suspendere assensum: & similiter cognoscere oppositas conclusiones ex oppositis principijs probabilibus, nec tamen possibile est assentiri vtrisque, vt veris. Possumus quidem assentiri vtrisque, vt probabilibus, sed hic assensus stat cum dubio de veritate vtriusque, post enim assensum, seù iudicium de probabilitate quæritur veritas. Quare possunt distingui tria, simplex cognitio conclusionis ex probabilibus, assensus, seù iudicium de eadem tamquam probabili, & assensus de eadem, vt vera. Opinionem autem quandoque sumi pro simplici cognitione, vel assensu conclusionis vt probabilis per contradictionem ab assensu erga eamdem, vt veram, patet maximè in illo Diui Bernardi de Consideratione ad Eugenium lib. 5. cap. 2. *Opinio, si habet assertionem, temeraria est.* Assertionem, inquam, veritatis. Et, quandoque sumi pro assensu erga conclusionem tamquam veram

Digitized by Google

ram idem indicat ibidem dicens: *Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod nescias esse falsum.*

3. Cæterùm propriè, & strictè opinio sumitur pro assensu erga aliquam Conclusionem ex probabilibus tamquam veram: ideo in Deo non adest opinio, neq; in Angelis, vt docet D. Tho. 2. sent. dist. 11. art. 5., immo nec in Adam, & Eua fuit in statu integritatis ex eodem quæst. 18. de Verit. ar. 6., non quia isti, & maximè Deus non cognoscant dependentiam conclusionis ex principijs probabilibus, immo eam certissimè, & clarissimè cognoscunt; sed quia non proinde assentiuntur conclusioni, vt veræ; posset enim tunc cadere in eos falsitas, quia opinio contigens est ad verum, & falsum. Ex quo magis claresci t, opinionem propriè non dicere simplicem cognitionem conclusionis ex probabilibus, neque assensum erga eamdem, vt probabilem: nam, nec veritas, & falsitas est propriè in simplici apprehensione, sed in iudicio, seu assensu; & assensus erga conclusionem, vt probabilem, quando reuera ex probabilibus elicitur, non est contingens ad verum, & falsum, immo est verus, certus, & euidens; ergo opinio propriè sumitur pro assensu erga aliquam Conclusionem deductam ex probabilibus, tamquam ea vera sit. Insuper. Assensus opinatiuus est cum formidine oppositi, sed non cum formidine probabilitatis, nam duæ probabilitates oppositæ possunt stare simul, & esse æquales, & opinans certus est, oppositum suę opinionis esse probabile; ergo cum formidine de veritate oppositi; ergo est assensus, non de probabilitate, sed de veritate; huic enim repugnat veritas opposita. Hinc Bernard. de Consideratione lib. 5. cap. 2. *Opinio*, inquit, *est quasi pro vero habere aliquid, quod nescias esse falsum.* Et ante ipsũ Augũstinus de Mendacio cap. 2: *Qui opinatur, putat, se scire, quod nescit.* Scire autem non est nisi veri, ergo opinans habet vt veram conclusionem opinatam.

4. In presenti tamen quęstione videtur sumenda opinio pro simplici cognitione, vel etiam assensu conclusionis ex probabilibus, tamquam ea probabilis sit; nam hæc ipsa videtur esse quæstio, quæ agitur: An dum cognoscimus, & assentimur probabiliter aliquem actum non esse malum, possimus tuta conscientia illum exercere, itaut cognitio illa, vel assensus probabilis de immunitate actus a peccato, & dictamen ex illa formatum reddat nos immunes a culpa in eo exercendo. Si autem aliquis contendat, sumendam esse pro assẽsu erga conclusionem tamquam veram, in hoc certè, vt sententia Augustini vtar Lib. 2. contra Crescon. cap. 2., cùm nihil meæ causæ minuatur, me facilimum præbere possum. Videat tamen, qui hoc cõ-

tendit, an subsistere valeat, quia tunc illa exoritur quæstio: An rectum sit, ex principijs probabilibus assentiri conclusioni tamquam veræ? Si enim hoc rectum est, rectum quoq; erit iuxta eamdem operari. Sed hoc ad illam videtur ignorantiam pertinere, quæ tenet incerta pro certis; vel ad eam temeritatem, de qua supra Bern. Sed de hoc pleniùs infra cap.4. Quidquid autem de hoc sit, certum est, assensum opinatiuum esse incertum, vtque solet dici, cum formidine oppositi, & contingentem ad verum, & falsum, vt docet Philosophus 2.Post.tex.194.195.& 196. & hæc pro notione vocis, *Opinio.*

5. Quantùm verò ad *Probabile*, idem sonat, ac *opinabile*, seu obiectum opinionis, & ita communiter sumitur in Scholis, quare contingens est ad verum,& falsum; hinc Augustinus 3. contra Cresconium cap.75. *Probabile quando dicitur, non consequenter verum.* Sed quandoque apud Authores,tum sacros, tum prophanos, immo etiam in Diuinis litteris sumitur pro eo, quod est approbandum, siue recipiendum; sicut amabile, laudabile, venerabile sumitur quandoque pro eo, quod dignum est, seu debet amari, laudari, venerationi haberi. Ita Ecclesiastici cap.24.8. *Eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium virorum*; ideſt, approbatione dignus. 2. Timothei cap.2.15.: *Sollicitè cura, teipsum probabilem exhibere coram Deo.* In Cap. *Pro humani* de Homicidio in 6.dicitur de Homicidió commisso per Assassinos: *Postquam Probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis aduersùs eum sententia requiratur:* Vbi ly *Probabilibus argumentis*, non potest sumi pro argumentis purum generantibus opinionem, nam super his non potest fundari sententia Iudicis, quæ requirit certitudinem, sed pro argumentis approbandis, quæ, scilicet, certitudinem moralem causent apud ipsum. Eodem sensu accipiendum est Probabile, cap. *Sacro* de sententia excommunicationis, vbi Innocẽtius Tertius decernit, puniendum excommunicatorẽ iniustum, nisi forsitan errauerit ex causa probabili;& similiter cõquerentem iniustũ, nisi forsitan, & ipsum probabilis error excusat Accipiendum, inquam, ly *Causa probabilis* non pro motiuo puram generante opinionem, sed pro motiuo meritò, seu prudenter probando,& acceptando: & similiter ly *Error probabilis* pro errore causato ex argumentis rationabibus, & meritò probandis. Sic etiam in Cap. *Fraternitatis* de Frigidis, & maleficiatis idem Innocentius dicit: *Sententiam Diuortij per errorem, licèt probabilem, nouimus esse prolatam*; probabilem, ideſt, ex motiuis meritò, & prudenter mouentibus, vt patet ex facto ibi narrato; nam

senten-

Digitized by Google

sententia Diuortij prolata erat propter testimonium matronarum prouidarum, & honestarum, quæ, inspecta muliere, in fide sua constanter asseruerant, eam numquam esse posse Matrem, vel Coniugem, quia ei naturale deerat instrumentum. Hoc autem testimonium, non puram opinionem, sed certum, prudensque iudicium generabat. Maximè autem in prædicto sensu sumi Probabile apparet ex Cap. *Super hoc* de Renunciatione, vbi Pontifex eam declarat Probabilem renunciationem, quæ nec vi, nec metu, nec oppressione, nec promissione pecuniæ, est extorta; vbi planè Probabile sumitur pro probando, non pro opinabili. In 6. Synodo actione 10. Georgius Episcopus Constantinopolitanus: *Sanctos*, inquit, *ac probabiles Patres, quorum sententias Sancta Synodus sequuta fuerat*. Probabiles, i. probandos, non opinabiles. Et Leo Tertius Epistola ad Imperatorem confirmans acta eiusdem Synodi: *Sancta*, inquit, *vniuersalis, & magna sexta Synodus Apostolicam in omnibus regulam, & probabilium Patrum doctrinam sequuta est*. Probabilium, ideſt, probandorum. Ambrosius 3. Officiorum, cap. 14.: *Ea amicitia probabilis est, quæ honestatem tuetur*, vbi manifestè Probabilis idem est, ac probanda. Nazianzenus oratione 20. de Machabæis ait, sibi adesse rationem valde probabilem, neminem eorum, qui ante Christum pro lege passi sunt, id sine fide in Christum cõsequi potuisse. Cùm autem fide Diuina certum sit, neminem in lege consequi potuisse salutem, nedum Martyrij gloriam, sine fide in Christum, oportet, quòd ly *valde probabile* sumatur pro valde probandum. Prudentius Tricassinus epistola ad Hincmarum, ait: summum Pontificem Bonifacium, probabiliter, & honorabiliter suscepisse responsum D. Augustini ad epistolas Pelagianorum; vbi ly *Probabiliter* non sonat eum opinione veritatis, sed probando, laudando: aliter id non cederet in gloriam Augustini, quem ibi commendare intendit Prudentius. Similiter Eugippius Abbas de Floribus Paradisi ad Probam ait: *Omnes Orthodoxi in toto terrarum Orbe venerantur, præcipuè tamen Apostolicæ Sedis Antistites scripta eius* (Augustini) *sua probabili authoritate firmantes*, ideſt probanda, recipienda. Tandem ex prophanis Authoribus Valerius Maximus lib. 3. de Fortitudine cap. 3. de Patientia exemplo 3. *Pompeij*, inquit, *Probabilis virtus*, ideſt, probanda. Et de Liberalitate lib. 3. cap. 4. *Huius*, inquit, *virtutis duo sunt maximè probabiles fontes*, ideſt, probandi.

Hoc necesse fuit adnotasse, quia nonnullus Probabilitatum defensor, etiam ex hac forma loquutionis Authorum infert, probabile, ideſt, opinabile esse probandum, & acceptandum. Agnoscenda,

Digitized by Google

est igitur hæc duplex acceptio Probabilis, & recolendum, in hac quæstione sumi *Probabile* pro *Opinabili*, idest, pro eo, quod generat assensum opinatiuum, qui incertus est, ac formidolosus.

6. Cùm insuper duplex distinguatur probabilitas, alia intrinseca, quæ pendet ex principijs intrinsecis, idest, quorum termini ingrediuntur conclusionem opinatam, alia extrinseca, quæ desumitur ab authoritate docentium, quæ vtique extrinseca est ipsi conclusioni; hìc sumitur probabilitas vtroque modo, idest, etiam quatenus dependet ex authoritate docentinm, quæ fundat fidem humanam. Cardo enim controuersiæ est: An Cognitio incerta, licèt probabilis, vndecumque habeatur probabilitas, licitè assumatur pro regula directiua nostrorum actuum.

Notandum tamdem est, non idem esse incertum, ac ineuidens: vt enim dimittam fidem Diuinam, quæ certissima est, & tamen ineuidens, in humanis habetur de multis certitudo, de quibus non habetur euidentia: eaque certitudo dicitur moralis ad distinctionem certitudinis physicæ, quę fundatur in euidentia. Quare non est idem, esse ineuidens, ac esse purè probabile, quod credere videntur Doctores Probabilitatum, de quibus videtur loquutus Caietanus in Summa verbo *Opinionis vsus*; qui, scilicet, non discernentes inter certitudinem Mathematicam, & moralem omnia non euidentia, sub opinionibus locant. Et per hęc quidem videtur rectè, & clarè constitutus, & explicatus sensus præsentis Controuersię.

7. Sed recentes quidem Assertores Probabilitatum aliter illum contendunt statuendum; dicunt enim, non esse Controuersiam de Opinione absolutè, an liceat illi inniti in operando. Concedunt enim, non licere inniti Opinioni absolutè, quia est obnoxia periculo falsitatis, sed de opinione probabili, inquiunt, est quæstio. Ita Madernus de Act. Hum. quæst. 4. ar. 6. num. 3.

8. Cæterùm ex communi sensu antiquorum, & recentium, prę ter paucos, quælibet Opinio, eo ipso, quo Opinio est, probabilis est, quia eo ipso habet motiua probabilia, quibus innititur, & à quibus sic denominatur. & redditur etiam probabilis, idest potens probari. Quare tollere ab opinione probabilitatem est tollere ab ea sui naturam. Potest quidem vna Opinio esse probabilior altera, quia habet grauiora motiua, vnde potiùs probanda venit; sed, quòd detur Opinio non Probabilis, impossibile est, tunc enim non esset Opinio, sed coniectura, vel indicium, aut scrupulus, aut credulitas. Quamuis ergo in hac Controuersia versanda non dicatur absolutè Opinio, sed addatur Probabilis, id ad maiorem expressionem fieri dicen-

Digitized by Google

dicendum est, non ad distinguendam Opinionem Probabilem à non Probabili. Quòd si Madernus, vel alius quispiam velit, ideo ly Opinioni addi in hac Controuersia ly Probabile, quia non de quacumq; Opinione quæritur, an possimus eam sequi, sed de Opinione Probabiliori, vel moraliter certa, possunt ipsi certè vti terminis, prout libet, & instituere quæstiones, quas volunt. Sed cùm, & illa quæstio meritò agitari possit: an licitè sequi possimus Opinionem, seu: an Probabile, vt Probabile rectè assumatur pro regula humanorum actuum, fateri debent, se hanc quæstionem, & quidem grauem, ac principalé prætermittere, quod est contra integritatem doctrinæ, & tantùm illud versare, an licitè sequamur probabilius, & hoc se definire, cùm asserunt, licere sequi Opinionem Probabilem. Quæ quæstio diuersa est à præsenti, & ab omnibus, ipsoque Madernò agitatur post præsentem, proque ea diuersæ sunt sententiæ, altera affirmans, altera negans, ipseque Madernus negat necessitatem sequendi probabilius. Quid ergo tunc negat? aut de quo disputat? Si enim per ly Probabile additum Opinioni, non venit, vt ait, ea probabilitas, quæ est de natura Opinionis, sed, vel maior probabilitas, vel certitudo moralis, non potest aliud intelligi, cùm quærit: an teneamur sequi probabilius, nisi: an teneamur sequi certitudinem maiorem, quàm sit certitudo moralis, vel maior probabilitas. At requiri certitudinem maiorem ea, quæ moralis dicitur, nec vllus asseruit, nec est possibile, quia in pluribus non est possibilis certitudo ea maior: si verò distinguit gradus maioris probabilitatis, vt, scilicet, teneamur sequi probabilitatem maiorem ea, quæ inest opinioni ex natura sua, sed tamen sufficiat, si vno, vel altero gradu ea probabilitas excedatur, non verò requiratur, vt pluribus, vel omnibus: Si hoc, inquam, dicit, valde quidem minutè gradus Probabilitatis distinguit, sed valde difficilem in praxi reddit suam doctrinam, nec eo sensu agitatur quæstio à cæteris Scriptoribus. Cùm autem dicit, non esse quæstionem de probabilitate, quæ inest opinioni ex natura sua, quia hæc est expolita periculo falsitatis, atque adeo certum est, non licere eam sequi, certè eidem periculo subest opinio probabilior, quam ipse vocat probabilem, dum non pertingit ad certitudinem moralem, adeoque nec de ea erit instituenda quæstio. Sed, & huic ipsi difficultati Madernus operosè respondet per distinctionem actus, & obiecti, vt infra referemus Cap. 4. a nu. 4., quare non videtur constare in Doctrina.

9. Sit ergo constitutum, illum esse sensum præsentis controuersiæ: an licitè possimus sequi opinionem probabilem, seu probabilitatem

Digitized by Google

tatem, quæ ex natura sua inest opinioni, an verò teneamur sequi maiorem, certioremque cognitionem, quàm sit Opinio; nam & ipse Madernus, alijque ex fundamentis, quæ iaciunt, ex responsionibus, quas adhibent, & ex quæstionibus, quas connectunt, conuincuntur hoc sensu intelligere, & versare quæstionem: aliusque ille sensus videtur tantùm initio propositus, ne nimis laxare videantur disciplinam morum, dum licitum docent vsum Opinionis Probabilis.

Si autem Madernus, aliusue putat, ne reuocandum quidem in dubium, quód non liceat inniti probabilitati in operando propter periculum, quod adest, erroris, & peccati, multò certiùs, ac feruentiùs sequuntur Conclusionem, & veritatem, quam in sequentibus Capitibus Nos proponemus, & propugnabimus.

10. Sic explicato sensu Quæstionis duę referri debēt de ea sententiæ. Prima plurimorum, qui hoc sæculo scripserunt, quorum antesignanus refertur Medina 1.2. qu. 19. ar. 6. dubio penultimo, vt proinde Caramuel in suo Apologemate vniuersaliſſimam eam vocet, affirmans, sufficere cognitionem probabilem. Authorum Cathalogum, quia plurimi sunt, & obuij, texere omitto. Altera sententia negat sufficere cognitionem probabilem, immo requirit certitudinem moralem, quam sanè pauci ex modernis hucusque docuerunt: Antonius Merenda, Antonius Marinarius, Philippus Faber, Thomas de Affligio, Paulus Comitolus, Candidus Philalethus, seu Andreas Blanchus, Iulius Mercorus; sed omnium fusiſſimè Fagnanus in Caput *Ne innitaris* de Constitutionibus; est autem omnium antiquorum, non enim nisi vnicus Gerson pro aduersa Sententia citatur in tract. *De Præparatione ad Missam* considerat. 3. alphab. 37., qui tamen hanc secundam sententiam apertè docet de Regulis moralibus: *Exponere se*, inquit, *periculo peccati mortalis est peccatum mortale, si tale sit incertum, quòd tale sit mortale, non solum per coniecturas leues, aut ex suspectione trepida, & scrupulosa, proueniente ex nimio timore cadendi in via Dei; sed intelligitur, dum tale est vehementer, & probabiliter incertum, aquè sicut oppositum, vel magis; tunc enim illud, quod agitur, non carebit mortali culpa.* Hæc Gerson: vnde nescio, quo iure Caramuel in supradicto Apologemate suam sententiam appellet antiquiſſimam.

Cum his igitur censeo dicendum: numquam licere vti Opinione probabili de immunitate actus a malitia, sed omnino requirendam certitudinem moralem; quare nec licere vti probabiliori, nisi ad eam certitudinem perueniat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Ostenditur illicitus Vsus Probabilitatum authoritatibus, & exemplis Diuinarum Scripturarum, & ex Patribus.

1. IGitur contra vsum probabilitatum afferimus primò illud Ecclesiastici 37. quod affert etiam Fagnanus: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & consilium stabile* (huic videtur accinere Dauid in Psalmo dicens: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque*) Verbum autem verax, & consilium stabile, quod debet præcedere omnia opera, est dictamen rationis de opere faciendo; at dictamen rationis ex motiuo purè probabili non est nec verax, nec stabile; ergo non est illud, quod debet præcedere opus, atque adeo non licet operari ex dictamine sequente opinionem probabilem. Maior patet. Minor probatur; quia opinio est contingens ad verum, & falsum, & potest ab eodem diuersis temporibus reputari vera, & falsa. Ergo tum ipsa, tum dictamen super ea fundatum non est verbum verax, nec iudicium stabile. Qui ergo operatur iuxta eam non est vir sapiens, qui ædificat supra petram, sed potius stultus, qui ædificat supra arenam, iuxta similitudinem Christi Domini Matt. 7.

2. Secundò afferimus illud Ecclesiastici cap. 32. 22. *Vir consilij non disperdet intelligentiam, alienus, & superbus non pertimescet timorem*. Probabilistæ autem non pertimescunt timorem ex periculom peccati, quod inest in operando ex opinione probabili; immo illum calcant, & spernunt, formantes sibi illud suum iudicium certum reflexum, quód operando ex motiuo probabli non peccent. Ad idem est illud Prouerbior. 14:: *Sapiens timet, & declinat a malo: Stultus transilit, & confidit*; nã illi trãsiliũt, cõfidũt, & nõ declinant a peccato.

3. Afferimus tertiò Parabolam de Virginibus Prudentibus, & fatuis Matth. 24. Fatuæ enim putantes probabiliter, se non indigere oleo ad concinnandas lucernas, quia fortè sponsus venturus esset in die, & non in nocte, vel, quód habiturę essent spatium temporis ad illud comparandum, non sumpserunt illud secum: prudentes verò securitatem non probabilitatem spectantes sumpserunt oleum secum, quasi dicerent: Quid, si sponsus veniat de nocte, vel adeo repenti-

Digitized by Google

pentinè, vt desit nobis tempus ad oleum comparandum? Non debemus nos periculo exponere. Ipsæ igitur appellatæ sunt Prudentes, illæ verò Fatuæ. Non enim alia huius rei ratio afferri potest, nisi quia illæ periculo se exposuerunt, vt imparatæ reperirentur in aduentu sponsi, quamuis esset disputabile, atque adeo opinabile, an sponsus venturus esset in die, an nocte, & probabiliter apparere posset; quòd in die propter maiorem temporis opportunitatem. Ex quo patere potest, quàm sit recta illa opinionis probabilis definitio, quam tradunt Probabilistæ: *Est opinio prudenti fundamento innixa.* Et quàm sit vera illa corundem propositio, quòd, cùm agimus ex motiuo probabili prudenter agimus, cùm à Christo Domino Virgines sequentes opinionem probabilem appellatæ sint fatuæ, per contradictionem a prudentibus. Sed de hac re plura infra.

Fortè dicetur, Virgines illas fatuas appellatas, non quia in vniuersum imprudenter fundetur iudicium certum super probabilitate, sed quia tempus aduentus sponsi, earumque admissio ad nuptias non dependebat ex earū probabilibus rationibus, sed ex voluntate sponsi. Ex quo ad summum sequitur, quód, cùm veritas facti non dependet ex nostra probabilitate, tunc imprudenter fundetur iudicium super probabilitate.

Sed certè factum ipsum, ideſt, aduentus sponsi in die videbatur probabile, seu, de voluntare sponsi quantum ad ineundas nuptias de die aderat probabilitas propter maiorem temporis opportunitatem; ergo, si super hac probabilitate imprudenter Virgines illæ formarunt iudicium de aduentu sponsi in die, & imprudenter ex eo operatæ sunt, sequitur, non esse prudentis fundare iudicium super probabilitate, & ex illa operari.

Sed etiam hoc transmisso, & approbata responsione ruit generaliter vsus probabilitatum. Nam, sicut veritas temporis aduentus sponsi non dependebat, vt dicitur, ex rationibus probabilibus ab illis Virginibus excogitatis, ita generaliter rectitudo, vel irrectitudo actuum non dependet ex nostris probabilitatibus, sed ex conformitate, vel difformitate actus ad legem, quæ nascitur ex natura actus, & ratione legis, quæ etiam lex non dependet á nostris probabilitatibus, quod patet maximè in peccatis commissis ex ignorantia, quæ vincì non potest; tunc enim agens, non solùm probabiliter, sed & certò putat se non agere malè, & tamen actus natura sua ex relatione ad legem est malus. Ergo, sicut Virgines illæ malè iudicarunt, & operatæ sunt, meritòque fatuæ appellantur, quia innixæ sunt

Digitized by Google

xæ ſunt probobilitati in re, cuius veritas ex probabilitate ſuæ ratiocinationis non dependebat, ita quiſquis iudicat, & operatur ex opinione probabili.

Item in eadem Parabola, cùm fatuæ à prudentibus petijſſent oleum, reiectæ ſunt ab illis, cauentibus ſibi, ac dicentibus; *Ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis*; ergo non eſt prudentis operari cum ly *fortè*, ideſt, cum periculo damni; quod tamen periculum audacter ſubeunt ſectatores probabilitatum, cùm in probabilitate ſemper adſit

Confirmatur ex verbis Danielis ad populum Iſtrael, qui Suſannam de Adulterio damnauerat, Danielis 13. Illud enim populi iudicium probabili fundamento innixum erat, nimirum conueniēti teſtimonio duorum ſenum Iudicum populi. In ore autem duorum, vel trium teſtium ſtare omne verbum, ait Chriſtus Dominus Matth. 18. Et cùm ſenes illi iudicandi authoritatem a populo accepiſſent, veraces teſtes habendi erant. Et tamen Daniel ita populum increpauit, vt diceret: *Sic fatui filij Iſtrael non iudicantes, neque, quod verum eſt, cognoſcentes.* Ergo, & Chriſti Domini, & Danielis Prophetæ iudicio non prudentes, ſed fatui ſunt, qui in ſuis operibus dirigendis probabilitati innituntur. Atque hoc Argumentum maximè militat contra eos, qui etiam ex authoritate vnius moderni Doctoris putant probabilitatem dari ſententię; quod quidem damnatum eſt in priori decreto Alexandri VII. Propoſitione 27.

4. Afferimus quartò exemplum Iſaac, & Iacob Geneſis 27. Iacob quidem, quia nolebat acquieſcere conſilio Matris, ſuadentis ei, vt ſe diceret Eſau: *Timeo enim*, inquit, *ne pater meus putet, me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione*, cauens, nimirum, prudenter periculum damni. Iſaac vero, quia, quamuis teſtimonio ipſius Iacob, & exhibitione miniſterij, quod Eſau impoſuerat, duceretur, vtique probabiliter, ad credendum, quòd præſens, & loquens ſibi eſſet Eſau; voce autem duceretur etiam probabiliter ad credendum, quòd eſſet Iacob: poſitus, inquam, inter duas probabilitates, ex neutra ipſarum determinauit ſe ad benedicendum, neque in illis fundauit iudicium ſuum, ſed explorauit per tactum, qui omnium ſenſuum eſt certiſſimus, (vox enim fallere poteſt, præcipuè ſenes ſubſurdaſtros) an preſens ſibi eſſet Iacob, an Eſau; &, licèt errauerit, non tamen iudicauit ex mera probabilitate, ſed ex certitudine morali; modo autem valde extraordinario deceptus eſt, propter quod non poteſt illi imputari ad imprudentiam; ergo non debemus operari ex

Digitized by Google

opinione probabili, sed requirere certitudinem.

5. Afferimus quintò exemplum Dauid 2. Regum cap. 23., qui cùm Vrbem Ceilam maximo sibi beneficio deuinxisset, nimirum, liberatione a Philistæis, audiens tamen, quòd Saul ad eam descenderet, vt ipsum caperet, consuluit Dominum, num Cæilitæ essent eum defensuri, an in manus Saul tradituri. Sanè pro vtraque parte aderant argumenta probabilia, pro traditione timor, vel amor subditorum erga Regem: pro defensione, recens beneficium; non tamen ex his probabilitatibus inductus est ad determinandam aliquid Dauid vir prudentissimus, vt de eo dicitur primo Regum. 18. & alibi; ergo non est prudentis operari ex motiuo probabili.

6. Afferimus sextò verba Christi Domini Lucæ 14. 31. *Quis Rex iturus committere bellum aduersùs alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?* Vbi Christus relinquit tamquam imprudens factum, & absurdum, vt Rex habens decem millia militum congrediatur cum viginti millibus: *Sed potiùs*, inquit, *legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt.* At probabile est, & multoties accidit, vt minor militum numerus superet maiorem; ergo non est prudentis operari ex motiuo probabili; atque hoc argumentum specialiter probat, non licere operari ex opinione probabili relicta probabiliore.

7. Afferimus septimò Apostolum ad Ephesios 5.: *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes: Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.* Qui autem operatur innixus probabilitati non ambulat cautè, exponit enim se periculo peccati; non ambulat, vt sapiens, immo vt insipiens, & imprudens; tum propter rationem mox adductam, tum, quia opinio non est sapientia, nec prudentia: non intelligit, quæ sit voluntas Dei præcipientis, aut consulentis, nam opinio non est intelligentia, quæ non est nisi veri, opinio autem est contingentis ad verum, & falsum; & certè aliud est opinari, aliud intelligere; quare ambulans, siue operans secundùm probabilitates non ambulat iuxta præceptum Apostoli; qui Apostolus paulò supra citata, quasi admonens nos, ne ducamur probabilitatibus ait: *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Inania enim sunt probabilitatum verba, quæ non reddunt nos tutos a periculo peccati.

8. Probamus 8. ex illo Apostoli prima Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Certus enim moraliter erat Apostolus, se non habere peccatum in conscientia, aliter non tam fidenter dixisset: *Nihil mihi conscius sum*; & tamen adhuc non dicebat

Digitized by Google

bat se iustum, timens, ne aliquid peccati haberet, quod suimet cognitionem effugeret; ergo valde a cautela Apostoli distant Probabilistæ, dum etiam in exercendo opere, quod probabiliter peccatum sit, putant, se esse innocentes, & iustos. Eamdem cautelam habebat Iob, dum consurgens diluculo holocausta offerebat pro singulis filijs, ne fortè peccassent in cordibus suis, Iob primo.

9. Idem quoque probamus ex Patribus, quorum sententiæ, sopitis controuersijs Doctorum, tenendæ sunt, vt dicitur Cap *Apostolicam* de Presbytero non baptizato; & Primò ex Augustino Homilia 41. ex quinquaginta in vltimis verbis, & refertur Cap. *Si quis il secondo* de Pœnit. dist.7. *Tene certum, dimitte incertum.*

Respondent Probabilistæ, hæc verba non continere præceptum, sed consilium.

Sed contra; quia Augustinus ibi intendit inducere peccatores ad pœnitentiam ante extremam periodum mortis, ideoque ingerit timorem, quia, scilicet, incertum est, an tunc remittantur peccata ex defectu necessariæ dispositionis in illo articulo; ex quo fit, vt differens pœnitentiam vsque illuc, exponat se periculo damnationis æternæ; sed non in simplici consilio, sed in præcepto est, vitare periculum damnationis æternæ; ergo illa verba non continent purum consilium, sed præceptum.

Præterea. Probabilistæ dum sic respondent, deserunt Probabilitatis, idest, suam causam; nam ipsi contendunt, certum esse de sui immunitate a peccato, qui sequitur probabile: at modò nolunt sententiam illam Augustini continere præceptum, ne reus sit peccati, qui sequitur incertum, idest, probabile; ergo fatentur, non esse certum de immunitate a peccato, qui illud sequitur; aliter possent admisso præcepto in ea sententia, facilè respondere, se nũquam sequi incertum, quantùm ad periculum peccati: solùm enim propter illud periculum Augustinus iubet dimitti incertum; ergo præuaricantur in causa.

10. Secundò ex eodem lib.primo de Baptismo contra Donatistas cap.3. *Etiam si dubium quis haberet, non illic* (apud Donatistas) *rectè accipi Baptismum, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, graniter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponeret.* Et cap.5. *Accipere Baptismum in parte Donati, si incertum est, esse peccatum, quis dubitat, certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, vbi certum est, non esse peccatum?* Madernus tract.5. de Act. Human. qu.4. ar.14. nu.11. hoc loco Augustini vtitur ad probandum, in Sacramentis conferendis nõ licere vti

Digitized by Google

opinione probabili de valore Sacramenti. Sed certè Augustinus hîc non loquitur præcisè de dubio valoris Baptismi; immo validum esse Baptisma a Donatistis collatum asserit, & probat; sed, an rectè accipiatur, & sententiam generalem profert de omnibus pertinentibus ad salutem animæ. Ex quo patet, quàm longè ab Augustini mente abierint recentes Probabilistæ; dum, vbi Augustinus docet, neminem dubitare, certum esse peccatum, &c. ipsi non tantùm dubitare, sed omni molimine contendere audent, certum esse, nullum adesse peccatum in operando ex probabilitate 1. cum incertitudine peccati. Apparet etiam, quantúm progressa sit licentia opinandi, ne dicam, viuendi, dum veritas pertinens ad morùm disciplinam, quæ adeo certa visa est Augustino, vt neminem de ea, vel dubitare posse putauerit, hoc sæculo a tam multis, tam apertè, tam contentiosè oppugnetur; & de oppositio, non se saltem dubitare, sed planè certos esse affirmare audeant.

11. Adhuc ostenditur ex disputatione Augustini contra Academicos tribus libris contexta tomo primo. Hi enim omnem certitudinem, etiam sensus, eliminantes viuebanttantùm ex probabili, ideſt, sequendum docebant, quod videbatur probabile, vt habetur ibi ex Augustino, & ex Tullio in Dialogo *Lucullus* Nimiùm autem extendebant probabile, etiam ad leuem credulitatem, siue suspitionem; nam etiam adulterium dicebant probabiliter licitum, vt patet ex Augustino 3. Contra Academicos cap. 16. in quo ab ipsis discordant Doctores probabilitatum, cum quibus agimus. Sed quantùm ad id, quod isti docent, non necessariò sequendum certum, sed sufficere probabile, conueniunt cum Academicis; quare contra eos militant duo argumenta Augustini. Primum ex lib. 3. cap. 15 vbi sic ait: *Non solùm puto, eum errare, qui falsam vitam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur.* Sed probabilistæ non sequuntur, nec sequi curant verum, sufficit enim eis probabile, quod est contingens ad verum, & falsum; ergo errant; eorumque error patet, cùm probabile, quod sequuntur, contingit esse falsum. Cùmque talis error sit ipsis voluntarius, sequitur, quòd sit etiam illis culpabilis. Secundum ex eodem lib. cap. 16. Si enim sufficit sequi probabile, licita erunt furta, homicidia, fornicationes, si probabile videatur, esse licita; quod argumentum aliqualiter militat contra præsentes Probabilistas; nam, exceptis quibusdam actibus euidenter malis, de alijs propter, vel vbertatem, vel licentiam ingeniorum adsunt fere semper contrariæ opiniones, alijs censentibus eos licitos, alijs illicitos: putant autem Probabilistæ, vnius tantùm Doctoris docti, & pij autho-

Digitized by Google

thoritatem reddere opinionem probabilem, cuius etiam doctrinam, & pietatem sufficiat esse probabilem; ergo ex parte sequitur incõueniens illatum ab Augustino; & ita videmus multa opera á modernis Probabilistis iustificata, quæ antiquitùs ex ipso naturali dictamine rationis putabantur peccata; immo de hoc laudat etiam Dianam, tamquam plurium peccatorum ablutorem, vel abolitorem Caramuel epistola ad ipsum scripta in Theologia Fundamentali edita Francofurti, vocans proinde eum ex opinandi mansuetudine agnum, quem ipse libenter sequatur quocumque ierit, seueriores verò Christianæ disciplinæ Assertores leones, & tigrides: sic enim illi in hac reludere placuit. Et ex hoc apparere potest, exploratiùs ne, an confidentiùs protulerit Madernus qu. 4. art. 8. nu. 7., in libris Augustini contra Academicos nihil contineri aduersùs probabilitates.

Rursus idem Augustinus 1. de Ciuit. cap. 6. docens, licitum esse homini se ipsum occidere, si Deus iubet, subdit: *Tantummodò videat, vtrum Diuina iussio nullo nutet incerto.* Et paulò ante dixerat: *Cùm Deus iubet, seque iubere nullis ambagibus intimat, quis obediens, tiam in crimen voceti?* Ergo Augustinus requirit certitudinem de rectitudine operis, omni incertitudine remota, vt simus immunes a peccato: ergo non sufficit probabilitas.

Adhuc, dicebat, neminem debere sine pœnitentia migrare de vita, etiam si nullius sceleris sibi conscius esset: debere, inquam, vbi ostenditur, id præcepti esse, non consilij. Ergo a fortiori quisq; debet ab eo opere abstinere, de quo conscius non potest esse, quòd sit immunis a peccato, quale est opus factum ex sola probabilitate immunitatis ab eo.

12. Secundò ostenditur ex Gregorio lib. 8. epist. 30., & refertur Cap. *Graue* 11. qu. 3. *Graue*, inquit, *satis est, & indecens, vt in re dubia certa detur sententia.* Sed probabilistæ in re purè probabili. 1. incerta, & dubia dant sententiam certam, formantes sibi iudicium certum reflexum, quòd sequentes probabile non peccent; ergo repugnant Gregorio.

13. Tertiò ostenditur ex Chrysostomo Homilia 22. in Epist. 2. ad Corint. cap. 10. *Multis*, inquit, *dedit Deus spatium, vt in vltima senectæ confiterentur. Quid igitur? Num tibi dabit? Fortasse dabit, inquis. Cur dicis fortasse? Contingit aliquoties? Cogita, quòd de Anima deliberas, proinde etiam de contrario cogita, & dic, quid autem, si non det? Quid autem, si det, inquis? Estò; dat quidem ipse, verumtamen hoc illo certius, & tutius.* Hæc Chrysostomus. Sed Probabilistæ innitun-

Digitized by Google

nituntur probabilitati vnius partis, supra eam fundantes iudicium certum de immunitate a peccato, & non curant de probabilitate alterius partis; neque sequuntur certius, & tutius; ergo repugnant Chrysostomo.

14. Quartò ostenditur ex Bernardo lib. 5. de Considerat. ad Eugenium cap. 2. vbi sic eleganter, & subtiliter loquitur: *Intellectus rationi innititur, fides authoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem; cæterùm opinio certi nihil habet, verùm per verisimilia quærit potiùs, quàm apprehendit; & hoc sciendum, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est. Multi suam opinionem intellectum putauerunt, & errauerunt. Possumus singula hæc definire. Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod nescias esse falsum.* Hæc Bernardus. In quibus tria præcipuè consideranda sunt. Primum, opinionem non habere, nec certitudinem, nec veritanem. Secundùm, opinionem esse temerariam, si habet assertionem, quòd, scilicet, conclusio opinata sit vera. Ex quo sequitur, temerarium esse iudicium illud certum reflexum, quod super motiuo merè probabili fundant probabilistæ; excedit enim vim motiui, quod, vt purè probabile, non est aptum causare certitudinem, atque adeo illa certitudo non est a ratione, sed a voluntate, & per consequens temeraria, de qua re plura dicentur infra. Tertium, quàm longè distet definitio opinionis tradita a Bernardo ab illa, quam tradunt Probabilistæ; nam Bernardus explicat defectum essentialem opinionis, quæ non fertur in absolutè verum, sed tantùm habet pro vero, quod non apparet esse falsum. Probabilistę autem non solùm illum defectum non explicant, sed insuper dicunt, opinionem inniti fundamento prudenti; cùm tamen prudentia feratur non in dubium, sed in moraliter certum. Sed etiam de hac re plura inferiùs.

CAPAT III.

Ostenditur illicitus vsus probabilitatum ex Sacris Iuribus, Decretisque Pontificum.

1. PRimò affertur Regula illa pluribus, Canonibus tradita: *In dubijs tutior pars est eligenda.* Vbi ly *Tutior* non sumitur comparatiuè ad *tutum*, quasi in dubijs non sufficiat eligere tutum, sed

Digitized by Google

sed eligendum sit tutius, sed aduersatiuè ad *non tutum*; significatur enim, quod in dubijs non debeamus exponere nos periculo peccati, sed amplecti, quod tutum est, iuxta illud Augustini cap. præcedenti relatum: *Tene certum, dimitte incertum*; vt enim docet idem Augustinus lib. 3. contra Cresconium c. 73., & 74., & lib. 4. cap. 55. gradus comparatiuus non semper auget, quod antea positum est, sed aliquando superfertur tantummodò contrario, seu improbat, quod antea positum est. Vnde cùm, vel execramur aliquod malum, vel cupimus auerti, solemus dicere: *Dij meliora*, vt apud Virgilium in Georgicis: cuius rei alia exempla profert Augustinus, & passim occurrunt apud Authores. Sic igitur ly *Tutior* in illa regula aduersatur *non tuto*, & reddit sensum, quem explicauimus. Habetur hæc regula in Clementina: *Exiui de Paradiso* de Verborum significatione, in cap. *Iuuenis* de Sponsalibus, & Matrimonio, in c. *Inquisitioni* de sententia excommunicationis, in cap. *Significasti* il 2. de Homicidio voluntario, vel casuali, in c. *Ad audientiam* de Homicidio in 6. & alibi. Sed quod est purè probabile, non est tutum, immo periculosum; ergo non licet operari iuxta opinionem probabilem.

2. Probabilistæ multiplici explicatione hanc regulam, quam Fagnanus vocat insignem, eludere, vel euertere conantur.

Primò dicunt, eam valere tantùm in dubio puro, idest, quando nullæ adsunt probabiles rationes pro vtraq; parte contradictionis; tunc enim fatentur, eligendum esse id, quod tutum est; quando autem adsunt rationes probabiles, posse operantem sequi probabile, quia id sufficit, vt operetur rationabiliter, & prudenter; atque hanc dicunt fuisse mentem Pontificis in dicto cap. *Significasti*: Canonicus enim ille omnino nesciebat, an percussio ab ipso infligta latroni fuisset causa mortis illius, nec vllam habebat rationem probabilem pro parte affirmatiua, vel negatiua; ideo Pontifex definiuit, habendum tamquam homicidam &, quòd in tali casu tutius erat cessare, quàm temerè celebrare. Dicunt ergo Probabilistæ, distinguendum esse dubium ab opinione; quia dubium propriè est, quando nulla adest ratio probabilis pro vna, vel altera parte, quo casu dicunt, amplectendum esse tutum, quia aliter operatio non esset prudens, cùm nullo motiuo probabili fiat; at opinio dicit assensum erga vnam partem ex aliquo motiuo probabili; ergo, cùm quis ex eo operatur, rationabiliter, & prudenter, atque adeo licitè operatur.

3. Hæc Responsio euertitur. Primò; quia gratis in citatis Iuribus restringitur significatio dubij ad solum dubium ex pura ignoran-

Digitized by Google

tantia, ideſt, ex defectu rationum, ſeu motiuorum prō vna, vel altera parte; nam proprijſſimè vocatur, & eſt dubium etiam illud, quod cauſatur ex motiuis, ſeu rationibus contrarijs, quæ reddunt animum ſuſpenſum, fluctuantem, & indeterminatum; immo hoc eſt propriè dubium, nam illud ex pura ignorantia potiùs vocandum eſt neſcientia. Dubium enim definitur a Baldo. *Æqualitas contrariorum ratiocinationum, ſeu contrariorum motuum mentis.* Et D. Thomas 3. ſent, diſt. 17. *Dubiū eſt contrariarum rationum æqualitas.* Et diſt. 18. ar. 14. ad 4. *Dubitatio*, inquit, *cauſatur, quando aliquis rationem eius, quod quærit, & de quo contraria apparent, videre non poteſt.* Hinc Siluester verbo *Dubium*, & verbo *Opinio*: *Propriè*, inquit, *homo dubitat de aliquo, & circa aliquid, quando habet rationes ad vtramque partem æqualiter, vel quaſi æqualiter mouentes.* Et reuera, quando ſunt oppoſita motiua æquè, vel quaſi æquè trahentia, tunc habetur motus indifferens ad vtramque partem, ideſt, non determinatus in vnam potiùs, quàm in aliam, & hoc reuera eſt dubitare; ergo perperam Probabiliſtæ ſumunt ly *Dubium* in prædictis Iuribus pro ſimplici neſcientia, vel ignorantia. Certè de Academicis refertur, quòd omnia dubia eſſe contenderent: ſed non eo ſenſu, quaſi in nulla re adeſſent rationes probabiles pro vtraque parte contradictionis, immo Academici viuebant ex probabili; ſed, quia nihil putabant poſſe certò comprehendi; ergo in communi ſignificatione dubium ſumitur pro incerto, non pro eo, de quo nulla habetur ratio ad aliquam eius partem. Hinc plurima in ſcientijs dicuntur eſſe dubia, de quibus agitantur quæſtiones, alijs alia opinantibus; & tamen vnaquæque opinio ſuis innititur rationibus; ergo gratis, immo irrationabiliter, & tantùm ad effugiendam vim Iurium Probabiliſtæ dicunt, dubium in prædictis textibus pro eo ſumi, de quo nulla habetur ratio ad aliquam partem; & patet, eos Academicorū ſectam in Eccleſiam Chriſti intuliſſe, dum licitum docent viuere ex probabili, &, quod deterius eſt, non deſperatione vetitatis, vt illi, ſed contemptu veritatis pro licentia vitæ.

Nam illi ſummo conatu quærendam aſſerebant veritatem; ſed quia ea, vel lateret obruta, vel confuſa non eniteret, contenti erant in agenda vita eo, quod probabile, vel veriſimile occurreret, vt refert Auguſtinus 3. contra Academic. cap. 1. Probabiliſtæ verò neque curant peruenire ad veritatem, ſed in ſolo probabili conquieſcunt, id ſufficere dicentes. Id autem, vel de fuga laboris deſcendit, vel de cupiditate libertatis.

4. Secundò. Ideo Pontifex ibi declarat, Canonicum illum repellen-

Digitized by Google

pellendum ab Altari, quia in hoc casu, inquit, tutius est cessare, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur; sed hæc ratio etiam militat in dubio ex contrarietate rationum; semper enim, vt supponitur, adest periculum peccati in vna parte; ergo regula illa militat etiam in prædicto dubio. Et eadem ratio affertur in Clementina: *Exiui de Paradiso*, vbi Pontifex ait: *Attendentes, quòd in his, quæ Animæ salutem respiciunt, ad vitandos graues remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.* Sed graues remorsus conscientiæ adsunt non solùm in dubio puro, sed etiam, quando adsunt motiua opposita, immo tunc maximè adsunt, quia vrgent motiua specificantia actum pro peccaminoso; nec possunt vitari, nisi claudendo oculum ad ea motiua, quod videntur facere Probabilistæ; ergo illa regula valet etiam in dubio causato ex motiuis probabilibus oppositis. Declaratur hoc exemplo. Si quis sciat, in altero duorum panum esse venenum, & nullum motiuum probabile habeat, quòd potiùs sit in vno, quàm in altero: Alter vero habeat motiua probabilia pro vtroque, certè vterque debet sequi tutum, idest, abstinere ab vtroque pane; sic in propòsito; nam in altera parte dubij adest periculum peccati.

Ex quo patet, inanem esse in proposito distinctionem illam dubij puri, & dubij causati ex rationibus probabilibus oppositis.

5. Secundò euertitur responsio: quia Regula ipsa non videtur posse habere locum in dubio facti. Cùm enim quis dubitat, an fecerit, an non fecerit, non potest in eo cadere tutum, vel non tutum, quod cadit tantùm in eo, quod faciendum est; nec etiam in tali dubio debet quis credere, se fecisse, vt eligat tutum; immo hoc stultum esset; ergo illa regula valet quantùm ad Ius, quod nascitur ex dubio facti, vt scilicet, si factum est peccaminosum, vel etiam obnoxium censuris, ita se gerat dubitans, ac si fecisset, eo quia in hoc nullum est periculum, in opposito magnum. Ergo per se, & directè illa regula valet in dubio Iuris; sed in tali dubio parùm durare potest dubium purum, sed quoadusque adhibeatur consideratio, vel consulantur Doctores; ergo nimis restringitur, & parùm vtilis redditur à Probabilistis illa regula, dum eam dicunt valere tantùm in dubio puro.

6. Respondent secundò Probabilistę, illam regulam esse de consilio, non de præcepto. Ita Suarez de Censuris part. 5. disp. 40. sect. 6. nu. 9. Sanchez in Decalogo tom. 1. lib. 1. c. 10. nu. 11. & 64. Malderus 1. 2. disp. 84. qu. 19. ar. 5.

Digitized by Google

Sed euertitur. Primó pet Clementinam *Exiui* de Verborum significationibus, vbi dicitur, esse tenendam partem securiorem ad euitandos graues remorsus conscientiæ; qui enim eam non tenet, operatur cum illo remorsu; sed euitare tales remorsus est de præcepto, non de consilio, aliter liceret operari reclamante conscientia; ergo, &c. Item: Non sequi consilia, non inducit remorsum conscientiæ; hic enim non habetur nisi de peccato; non sequi autem consilium, non est peccatum, aliter consilium esset præceptum: ergo est de præcepto, sequi partem tutiorem.

Hic fortè dicetur, huiusmodi remorsus conscientiæ non sentiri a Probabilistis, quia pro certo habent, licitum esse operari iuxta probabile. Si autem ab alijs sentiuntur, mutent ipsi sententiam, vt suam tranquillent conscientiam, non Panicum terrorem inferant Probabilistis. Atque hoc beneficium, & quidem magnum putant si se tribui fidelibus, tranquillitatē conscientiæ, & remotionem dubiorum, & scrupulorum.

Sed contra. Quia remorsus illi causantur a rationibus specificantibus actum, vt peccaminosum; ergo non possūt euitari, nisi voluntariè auertatur mens a consideratione eorum. Hoc autem peccaminosum est, quia est contemnere, vel negligere ea, ex quibus rectum iudicium procedit; quare deliberatio sic suscepta est temeraria, vt docet D. Thomas 2.2. qu.63. ar.4. & re vera est non curare de peccato, vel periculo eius, immo in illud voluntariè ferri.

Secundò. Quia dum Pontifex ait, tenendam esse partem securiorem ad euitandos remorsus conscientiæ, supponit, hos necessariò sentiri, dum ea non tenetur, aliter eius ratio nulla esset; ergo non possunt euitari per vsum Probabilitatum. Ergo tranquillitas illa, qua frui se dicunt Probabilistæ (si tamen ea fruuntur) voluntaria est, non rationabilis: noster autem timor non est Panicus, sed rationabilis, & pius, & quisque ipsum nōn concipit, a Deo, sanoque consilio est alienus, dicente Ecclesiastico 32. 22. *Vir consilij non dissperdet intelligentiam: alienus, & superbus non pertimescet timorem.* Insipiens etiam, & stultus; quia, vt dicitur Prouerb. 14. *Sapiens timet, & declinat a malo, stultus autem transilit, & confidit.*

Secundò euertitur per Capit *Significasti* de Homicidio, vbi dicitur, tutius esse illi Canonico cessare, quàm celebrare, pro eo, quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum peccati timeatur; sed nullum est periculum peccati, si non recipiatur consilium; ergo illud non est consilium, sed præceptum, Item: vitare periculum peccandi est de præcepto, non de consilio; ergo de præcepto

Digitized by Google

cepto tutior pars est eligenda in dubio; & hi duo textus adeo clari sunt, vt non possint eludi.

7. Euertitur 3. per Caput: *Illud Dominus* de Clerico excommunicato, deposito, &c. vbi dicitur de quodam Episcopo, quòd erat ei abstinendum a celebratione Diuinorum, quamuis per solam famam audisset, se a Iudice, neque Ordinario, sed Delegato, & neque monitione præmissa, excommunicatum; vnde de pura misericordia Pontifex relaxat ei pœnam a Sacris Canonibus in eos inflictã, qui post excommunicationem Diuina Officia celebrare præsumunt; & affertur ratio, quia in dubijs via tutior est eligenda. Sed nulla infligitur pœna a iure ijs, qui non seruant consilia; ergo non de consilio, sed de præcepto in dubijs via tutior est eligenda. Quod ipse Episcopus agnouit, dum, vt ibi dicitur, non iudicium, sed misericordiam postulauit; quia, scilicet, nondum exorti erant Probabiliste, ipsum in sui defensionem armantes, & erigentes, quia, scilicet, cùm ei non constaret de sententia suę excommunicationis, erat vtique in possessione sui iuris, & libertatis, qua non debebat censere se expoliatum, & in dubijs melior est conditio possidentis; quare ex motiuo probabili prudenter iudicare poterat, se non esse excommunicatum, atque adeo Diuina Officia celebrare posse.

Idem habetur in Caput *Sicut nobis* de sententia excommunicationis, vbi dicitur, quòd semel excommunicatus semper debet censeri talis, nisi legitimè probet, se absolutum; ea nimirum ratione, ne cum eo communicans fortè incidat in excommunicationem minorem. Et addit Glosa, quòd, etiam si accesserit ad Curiam Papæ, & inde rediens dicat, se absolutum, non est ei credendum, nisi litteras proferat absolutionis, non obstante, quòd nullus debeat præsumi immemor suæ salutis, &, quòd viro honesto videatur credendum; ergo, quamuis sit dubium, aut probabile, quòd ille fuerit absolutus, tamen habendus est tamquam non absolutus, idque non de consilio, sed de præcepto, quia in dubijs via tutior est eligenda.

8. Præterea. Non de consilio, sed de præcepto est, vt ordinati ab Episcopis, de quibus dubium erat, an verè essent Episcopi, debeant iterum ordinari, Cap. *Presbyteris*, dist. 68. Item, quòd paruuli, de quibus ignoratur, an sint baptizati, debeant iterum baptizari, Cap. *Paruulos* de consecr. dist. 4. Similiter, quòd constituti in minoribus ordinibus, & dubij, an sint baptizati, non solùm debeant baptizari sub conditione, sed etiam iterum ordinari sub conditione, si non erant baptizati, quando primò ordinati fuerunt,

Digitized by Google

Cap. *Veniens* de Presbytero non Baptizato, & Cap. *Si Presbyt.* 1. qu.1. & ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij ad interrogationem Vicarij Generalis Viennensis. Rursus, quòd sine dubitatione iterum debeat consecrari Ecclesia, de qua dubitatur, an fuerit consecrata, Cap. *Solemnitates* de Consecr. dist.1. Quorum omnium decisionum eadem Ratio est, quòd, scilicet, in dubijs tutior pars sit eligenda: si autem supradicta modo dicto iterentur, nullum est peccatum; si verò minimè, magnum est periculum peccati; ergo, quòd in dubijs tutior pars sit eligenda, non est de puro consilio, sed de præcepto.

9. Respondent 5. Probabilistæ; quòd illa regula valeat in dubio facti, non in dubio iuris, dubia autem, quæ recensuimus, sunt facti. Ita Suarez tomo 5. de Censuris disp.40. sect.5. num.18. & 19. Sanchez in Decalogo tom.1. lib.1. cap.10. nu.42.46. & 47.

Hæc Responsio præter id, quod paulò ante diximus, euertitur; quia nulla potest assignari ratio, cur valeat in dubio facti, & non iuris; immo neque, cur valeat in dubio facti, si non valet generaliter in quocumque dubio: Non enim id referendum est in voluntatem Pontificum ita statuentium; nam materiæ, de quibus decreuerunr, non tales sunt, vt nihil interfit, an ita, vel aliter fiat, vt sunt pleraque, de quibus non alia ratio assignari potest, nisi voluntas Principis; & hoc patet ex consideratione ipsarum materiarum. Non, inquam, potest assignari ratio, cur in dubio facti tutior pars sit eligenda, idest, vt ita se gerat aliquis, ac si commisisset peccatum, nisi ad euitandum periculum damnationis per pœnitentiam. Sed eadem ratio militat in dubio Iuris, ne fortè, scilicet, operando peccet; ergo regula illa valere debet in vtroque dubio.

Secundò: in Capite *Veniens* de Presbytero non baptizato dubium erat Iuris, an, scilicet, non baptizatus, habens tamen fidem Christi, esset capax cæterorum Sacramentorum; & aderant argumẽta probabilia pro vtraque parte, quæ à Pontifice ibidem referuntur; & tamen Pontifex: *Quod tutius est*, inquit, *sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines vsque ad Sacerdotium promouere procures*. Ex quo patet, etiam in dubio Iuris sequendum esse tutius. Item: Dubium Iuris fuisse in Capite *Illud nobis* de Clerico excommunicato, &c. ostendit Fagnanus nu.212. & tamen ibi dicitur, quòd in dubijs tutior via est eligenda.

10. Respondent 4. Probabilistæ non iam exponendo, sed obijciendo contra prædictam regulam: opponunt enim regulam Iuris ciuilis, quæ habetur L. *Res alienas*, C. de Rei vendicatione; & L. *Siue autem*,

Digitized by Google

autem, §. *si duobus*, ff. de publica in rem actione, vbi Baldus, & alij: *In dubio melior est conditio possidentis* (textus habet: *In pari causa, vel delicto*, sed Probabiliſtis placet legere *In dubio*) Cum ergo, inquiunt, vnuſquiſque ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, non deber iudicare, ſe nexu alicuius obligationis innodatum, aut culpabilem; quare in dubio poteſt vti ſua libertate, & poſt factum iudicare ſe immunem a culpa. Ita Suarez de Cenſ. tom. 5. diſp. 40. ſect 6. nu. 4. & de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 15. Sanchez in Decalogo tom. 1. lib. 1 cap. 10. num. 11. & 64. Layman lib. 1. tract 5. c. 5. § 4. num. 38 Azorius tom. 1. Inſtitutionum moralium, lib. 2. cap. 19. qu. 12. Emanuel in verbo *Caſus reſeruati*. Enriquez in ſumma. lib. 1. de Euchariſtia, cap. 4. num. 3. Vaſquez prima 2. qu. 19 arr. 2. diſp. 62. cap. 6. in fine. Salas tract. 8. diſp. vnica, ſect. 17. nu. 154. in fine. Noſter Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 1. diffic. 21. num. 7. & alij, qui omnes ex hoc principio plures, graueſque difficultates iu fauorem humanæ libertatis definiunt.

11. Sed contra primùm. Nam, ſi iſti volunt duas haſce regulas reuera ad inuicem opponi, obijciunt contrarietatem Iuribus, quod graue eſt, & non faciendum. Si autem nolunt opponi; malè vnam obijciunt contra aliam: debent potiùs reperire modum, quo ambæ concilientur; at, ſi in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, & poſſeſſio ſtat pro humana libertate, non poteſt conſiſtere regula Canonum, quòd in dubijs tutior pars ſit eligenda; ergo regula illâ Iuris ciuilis alio ſenſu eſt intelligenda, vt non militet cõtra regulam Canonicam. Sed, & ſi contraria eſſent illa Iura, in pertinentibus ad diſciplinam morum potiùs Iuri Canonico, quàm Ciuili ſtandum eſt, quia hoc, cùm non habeat pro fine, niſi pacem, ſiue fælicitatem politicam, non prohibet omnia peccata, benè autem Canonicum, quod reſpicit æternam ſalutem.

12. Sed, admiſſa illa regula Ciuili, falſa eſt Minor ſubſumpta, ſcilicet, quòd poſſeſſio ſtet pro libertate humana: immo ſtat pro Deo, & Lege; hæc eſt enim vis Legis reſtringere libertatem, quæ antea ſoluta erat: ideo poſt eam latam, & naſcimur, & viuimus obnoxij obligationi Legis, non ſolùm ad eam ſeruandam, ſed etiam ad inquirendum, vbi dubium conſurgit; aliter liceret propter ignorantiam Legis, & poſſeſſionem libertatis viuere, vt lubet; ergo poſſeſſio ſtat pro Lege; quia ipſa Lex deijcit nos de poſſeſſione libertatis. Ridiculum etiam eſſet opinari, quòd tantum bonum libertatis pariatur ab ignorantia, & tollatur a ſcientia. Certa antiquior eſt Lex æterna Dei, quàm libertas humana; & plurimæ Leges antiquiores

Digitized by Google

quiores sunt, quàm homines, qui in dies nascuntur, qui proinde sub Lege nascuntur: ergo nullo pacto possessio stat pro libertate humana contra Legem latam.

13. Hinc in Cap. *Dominus* de secundis nuptijs dicitur de fœmina, quæ post secundas nuptias dubitabat de morte viri prioris, dicitur, inquam, quòd non possit exigere debitum a secundo viro, licèt sit in possessione exigendi. In Cap. *Inquisitioni* de sententia excommunicationis femina dubitans probabiliter de impedimento ditimente inhibetur debitum exigere, non obstante possessione exigendi. In Cap. *Significasti il 2.* de Homicidio statuitur, vt Sacerdos dubitans, an ex sua percussione alter interierit, debeat tamquam homicida abstinere a diuinis, quamuis sit in possessione illa celebrandi. Et in Cap. *Illud nobis* supra relato dicitur de Episcopo dubitante, an esset excommunicatus, quòd debeat se gerere, vt excommunicatus. Si autem Leges humanæ præualent libertati humanæ, multò magis Lex Diuina, maximè naturalis; ergo regula illa iuris Ciuilis habet tantùm locum in materia Iustitiæ, & in foro externo, vt pluribus argumentis probat Fagnanus a nu. 194. vsque ad 206. (& certè causæ de possessione, ac de meo, & tuo sunt in materiæ Iustitiæ, nec nisi methaphoricè possessio transferri potest ad materias aliarum virtutũ) ex quibus tria trantùm breuiter referemus.

14. Primum: Iudicium debet constare ex Actore, Reo, & Iudice. Si ergo de libertate hominis adest lis inter Deum, & ipsum hominem, quis erit Iudex? An homo contra Deum? Hoc sanè nec inter ipsos homines admittitur, vt in propria causa pars sit Iudex aduersùs alteram. Probabilistæ autem constituunt hominem Iudicem pro sua libertate aduersùs Deum.

Secundum. Regula illa procedit tantùm in dubio, vt ipsi Probabilistæ asserunt, idest, cùm Iura partium sunt obscura; at respectu Dei nihil est obscurum; an ergo propter sui obscuritatem poterit homo manutenere se in possessione suæ libertatis aduersùs Deum omnia scientem?

Tertium. Regula illa valet, quando Iura ex vtraque parte sunt paria, ita enim habet: *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis*; at quis dicat parem esse causam inter Deum, & Hominem, Legem, & Subditum, cùm Deus sua lege coercere possit hominis libertatem?

Valet igitur illa Regula in materia Iustitiæ, & in foro externo tantùm. Etenim in Iudicio, nec Absolutio, nec Damnatio periculo vacat ante cognitam causam. Si enim Iudex damnat innocentem

Digitized by Google

centem, peccat in proximum. Si absoluit criminosum, peccat in Rempublicam, cuius interest, delicta puniri; ergo debet retinere possidentem in sua possessione, donec cognoscat causam. Et hoc non est nouam proferre sententiam, sed manutenere, quod factum reperit, quod est præsumendum rectè factum; vt enim ait D. Thomas 22. quæst. 60. art. 4. *Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debet vnusquisque eum, vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est; aliòquin iniuriatur ei, & contemnit ipsum.* Et Augustinus 3. contra litteras Petiliani cap. 59. *Neminem rectè puto iudicari nocentem, qui hominem non conuictum crediderit innocentem.* Et in Cap. *Ex parte* de Scrutinio dicitur: *Illum, quem dignum esse non nouit, dignum debet æstimare.* Quare Iudex, manutenendo aliquem in sua possessione, donec cognoscat causam, sequitur, quod tutius est, non se exponens periculo peccati. Ex quo apparet, non tantùm regulam illam Iuris Ciuilis non opponi Canonicæ, sed potiùs fundari in hac. At in foro conscientiæ non militat hęc ratio; non enim iniuriam facit, aut contemnit seipsum, qui in dubio, an teneatur facere, vel abstinere, &, an peccauerit in aliquo opere, iudicat, se teneri, & peccasse; immo tunc rectè consulit sibi ipsi, ne incurrat in periculum peccati, vel damnationis.

15. Ex quo soluitur argumentum Suarez loco citato de Censuris, disp. 40. sect. 6. nu 3., & Sanchez in Decalogo lib. 1. cap. 10. nu. 42. adducentium paritatem fori externi, & interni. *Iudex*, inquiunt, *non cogitur imponere pœnam latam a lege, donec in suo foro certus sit de delicto; ergo nec reus cogitur in foro conscientiæ exequi in se pœnam legis; donec in eodem foro certus sit de suo delicto.*

Quod Argumentum non est directè ad propositum: non enim quæritur in præsenti: an quis in foro conscientiæ teneatur exequi in se pœnam legis, dum non est certus, se commisisse delictum: an teneatur iudicare, se obnoxium legi seruandæ, etiam si adsint rationes probabiles pro sua libertate; &: an teneatur iudicare, se peccasse, quando ex ratione probabili operatus est contra legem. Diuersa est autem ratio de pœna subeunda, & de commissione peccati. Verùm, & si illud Argumentum trahatur ad præsens propositum, patet discrimen inter forum internum, & externum. Vbi enim vertitur periculum Animæ, præsumendum est in deteriorem partem ad ipsum periculum euitandum, vt patet ex Capite *Iuuenis* de Sponsalibus, & ex cap. *Presbyteri*, dist. 68., & hanc esse regulam generalem dixit Glossa in cap. vnico, verbo *Æstimare* de Scrutinio: vtque ait Hostiensis in Cap. *de Obseruantia Ieiunij*: *In obligationibus, quæ*

Digitized by Google

quæ concernunt Deum, tutius est præsumere aliquem ligatum, quàm solutum, licèt in alijs facienda sit benigna interpretatio, ne quis, scilicet, sit obligatus in dubio. Rectè enim considerantibus apparet, in foro conscientiæ partem tutiorem esse benigniorem, quia ibi non agitur ad infligendam pœnam, sed ad procurandam salutem; magis autem consulitur saluti, cùm inceditur per viam tutam. Patet autem maximè discrimen inter forum internum, & externum; quia Iudex externus non solùm non cogitur, sed nec potest infligere pœnam in dubio delicti; nullus autem, nec ipsi Probabilistæ, dicunt, non posse hominem gerere se, vt obligatum in dubio obligationis: Quare inconsultè adducitur illa paritas.

16. Qui autem regulam illam Iuris Ciuilis etiam ad forum conscientiæ, & ad alias materias, præter Iustitiam, extendunt, pleraſq; ex illa conclusiones deducunt nimiùm audaces, atque adeo periculosas. Prima. Qui dubius est: an inciderit in excommunicationem, siue sit dubium Iuris, siue facti, non debet se gerere pro excommunicato, immo nec petere absolutionem, quia est in possessione communicandi cum fidelibus. Ita Suarez, & Layman. Quod tamen est contra determinationem Capitis *Illud Dominus* de Clerico excommunicato, &c. & contra alia Iura supra adducta.

Secunda. Dubitans, an lex imponens pœnam excommunicationis pro aliquo delicto sit vsu recepta, potest operari contra legem, nec incidet in excommunicationem. Ita Azorius.

Tertia. Dubitans, an casus sit reseruatus, potest ab illo absoluere: Ita Suarez, & Emmanuel Sà.

Quarta. Dubitans, an commiserit peccatum mortale, non tenetur illud confiteri. Ita Ioannes Præpositiuus, & Enriquēz. Quod est contra antiquissimam regulam Confessionis, per quam peccata certa præscribuntur aperienda, vt certa, dubia, vt dubia.

Quinta. Dubitans de legitima potestate Prælati non tenetur illi obedire. Ita Vasquez, & Salas. Ex quo sequitur bellum iustum ex vtraque parte inter Prælatum, scilicet, & subditum, etiam si Prælatus non sit certus, immo dubius de sua potestate; si enim in dubio potest subditus non obedire, quare in dubio non poterit Prælatus præcipere?

Sexta. Dubitans, an beneficium sit tenue non tenetur recitare officium. Ita idem Salas.

Septima. Dubitans, an in die Iouis transacta sit media nox, potest tuta conscientia vesci carnibus: at dubitans de eádem re in die Sabbati, non potest; quia in die Iouis est in possessione vescendi carni-

Digitized by Google

carnibus, non autem in die Sabbati; quam rationem planè ridiculam meritò appellat Fagnanus nu. 180.

Has, similesque Conclusiones educunt Probabilistæ ex illa regula sic extensa, propter quod non immeritò Caramuel pronunciauit: *In dubio beatam conditionem possidentis*. Verùm hæc extensio, vel propter hoc ipsum, quòd tam audaces, & Christianæ disciplinæ relaxatiuas, inobedientiamque fouentes Conclusiones inducit, etiam si non alia contra ipsam suppeteret ratio, esset reprobanda.

17. Sed etiam dato, quòd illa extensio rectè fiat, adhuc falsò dicitur, quòd in dubio legis homo sit in possessione suæ libertatis; cùm enim ex lege restringatur hominis libertas, vt non ampliùs liceat, quod antea licebat, ex dubio, an extet lex, non sequitur, quòd homo sit in possessione suæ libertatis, sed ad summum, quòd dubium sit, an sit in sua libertate, an hæc ei sit ablata per legem; ergo non potest operari tamquam possidens suam libertatem, quia hoc ipsum dubium est, an illam possideat. An fortè propter hoc, quia est dubius, debet certò iudicare, se esse in possessione suæ libertatis? Hoc quidem mirabile est, vt dubium sit ratio certitudinis de eadem re. Augustinus quidem epist. 131. ad Memorium loquens de his, qui in libertatem spiritus a Christo vocati sunt, sic ait: *Non habent congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati*. Opinio autem, non est vera, sed contingens ad verum, & falsum; ergo libertas, quam ex opinione, immo ex dubio sibi tribuunt sectatores Probabilitatũ, non est libertas spiritus, in quam a Christo vocati sumus, sed libido mentis, vel carnis. Et hæc dicta sint pro hac Canonum regula, qua præscribitur, in dubio tutiorem partem esse eligendam, atque adeo vsus probabilitatum eliditur.

18. Secundò afferimus Regulam trigesimam Iuris in 6. *In obscuris minimum est sequendũ*. Cuius regulæ ea ratio est ex Glossa ibi; quia de minimo non potest esse dubium, benè autem de magno; etenim in magno includitur minimum, sicut pars in toto, non autem e cõtra. Exemplum Glossæ: Si in aliqua regione sint duo mensurarum genera, vnum maius, alterum minus, & quis leget Ecclesiæ decem mensuras, non explicans, de quo genere, interpretandum est de mẽsuris minoribus, quia hoc certum est, non posse esse contra mentem legantis, qui ad minus debuit intelligere de minoribus; &, si fortè intellexit de maioribus, cùm vtique in illis includantur minores, non fit contra mentem eius, quamuis non impleatur omnis voluntas eius: at, si fiat interpretatio de maioribus, periculum

Digitized by Google

est, ne sit contra mentē legantis, si fortè intellexit de minoribus; ergo hæc regula planè supponit, in dubio tutiorem partem esse eligendā.

19. Tertiò afferimus regulam quadragesimam primam Iuris in eodem 6.: *Inspicimus in obscuris, quod est vero similius*; quæ regula habetur etiam in Iure Ciuili Pauli libro 9. ad Edictum. Et fundatur in Iure naturæ, quo tenemur, quantum possumus, sequi veritatem; ait enim Augustinus cap. præcedenti relatus lib. 3. contra Academicos cap. 15. *Non solùm puto eum errare, qui falsam vitam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur*. Poculdubio autem idem est *Probabile*, & *Verosimile*, *Probabilius*, & *Verosimilius*; ergo in obscuritate dubij non sufficit sequi merè probabile. Dubij, inquam, non tantùm puri, sed in quo pro vtraque parte adsunt rationes; nam non potest dari verosimilius, nisi vbi adsunt verosimiles, & verosimiliores rationes.

Quartò afferimus Innocentium III. Capite *Licèt quibusdam* de Regularibus, & transeuntibus; vbi dicitur, quòd, si probabiliter dubitetur, an ex caritate, an ex temeritate quis velit ad strictiorem ordinem transire, superioris iudicium est requirendū. Ergo Pontifex nō permittit vsum probabilitatū, sed remittit ad Iudiciū Superioris.

Quintò afferimus eumdem Innocentium Cap. *Consilium* de Obseruat. Ieiun. vbi loquens de quibusdam Bracharensis Diœcesis, qui propter inopiam annonæ, ex qua magna pars populi perierat, carnes in Quadragesima comederant, dicit quidem, se non putare, illos puniendos, imponit tamen Archiepiscopo, vt cum illis, & pro illis preces ad Deum effundat, ne ipsis aliqualiter imputetur; quia bonarum mentium est, ibi agnoscere culpam, vbi culpa non est. Ex quo primò potest deduci, non esse bonarū mentium eos, qui non agnoscunt, seu timent culpam, neque vbi probabiliter est. Secundò cōmparari potest cautela, & timor Pontificis solutioni, & confidentię Probabilistarum. Nam in casu relato a Pontifice potest videri certum, nullum ibi fuisse peccatum, & tamen Pontifex pauet, confugitque ad preces, tamquam pro remissione peccati. Hi verò in suis probabilitatibus securi sunt, & exultant. Sed hoc indicamus tantùm, non inculcamus.

Non enim volumus iudicare Sectatores probabilitatū, memores præcepti Apostoli prima Corinth. c. 4. *Nolite ante tēpus iudicare*, immo credimur eos bona iuxta suū sensū mente, bonaq; cōsciētia eas sectari. Sed nec silere possumus id, quod ex natura rei est, nimirū, signū timoratæ conscientiæ esse, abstinere ab vsu probabilitatum, quod & earum sectator Auersa fatetur est 12. qu. 18. sect. 18.

Sextò

Digitized by Google

Sextò afferimus Caput *In præsentia* de Sponsalibus, & Matrimonio; vbi Pontifex definit, non licere mulieribus transire ad secundas nuptias, etiam si quocumque annorum numero, quacumque diligentia adhibita, de statu viri notitiam non habeant; sed requiri certum nuntium de eius morte. Plurium autem annorum spatium sine litteris, vel nuncio, aut relatione de vita viri decursum, valde probabile argumentum est de eius morte, maximè, si summa diligentia, seu inquisitio facta sit; ergo Pontifex vetat sequi Probabile.

Septimò afferimus Decretum 2. Alexandri VII, in quo damnatur hæc propositio: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio*; ego Pontifex requirit certitudinem incompatibilitatis, atque adeo declarat, non sufficere probabilitatem. Quod autem definitur in materia ieiunij, ex paritate rationis ad omnes alias materias trahendum est.

20. Afferimus vltimò Decretum SS. D. N. Innocentij Papæ XI. 2. Martij 1679., vbi primo loco damnatur Propositio asserens, non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Ergo decernitur, quòd, etiamsi id non vetet lex, neque conuentio, neque adsit periculum grauis damni, non licet in ea materia vti opinione probabili. Ergo quæritur: quare nec tunc liceat. Nec video, quid responderi possit, nisi quia adest periculum peccati in conferendo, seu conficiendo nulliter Sacramento; sed idem periculum adest in vsu opinionis probabilis in quacumque materia, vt, nempe, fiat actus malus, seu contra legem; ergo numquam licet vti opinione probabili.

21. Secundo loco damnatur Propositio asserens, Iudicem posse iudicare etiam secundùm opinionem minùs probabilem. Si autem hoc non licet Iudici in causa, vel iudicio publico, neque licebit cuique priuato in causa, seu iudicio priuato suæ conscientiæ: non enim ratio publici facit, vt illud non liceat Iudici; sed, quia generaliter malum est, vtpote expositum periculo peccati, sequi opinionem minùs probabilem. Et sicut probabilitas, & certitudo in ipsa fundata de honestate formali actus nō reddit immunem a peccato Iudicē ferentem sententiā ex opinione minùs probabili, ita neque cæteros operantes ex eadem. Itaque ex hoc saltem infertur, non licere sequi opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris.

Digitized by Google

Ad hæc respondent Probabilistæ, confectionem Sacramenti cum dubio de illius valore, & sententiam prolatam ex opinione minùs probabili, esse modò reddita illicita ex Decreto Pontificis illas Propositiones damnantis, quia hoc faciendo nouum ius condidit; non verò esse illicitas, nec fuisse ex natura rei; quare non rectè trahi consequentiam ad omnia opera ex probabilitate procedentia.

Sed hoc gratis, & irrationabiliter dicitur. Primò: Quia sic illa confectio esset illicita propter præceptum, siue legem; sed Pontifex declarat, esse illicitam, etiam si non obstet lex; ergo vult esse illicitam ex natura rei.

Secundò. Quia Pontifices, & quilibet legum latores non condunt noua iura simpliciter reprobando sententias, sed expressè declarando, se nouum præceptum imponere, & etiam impositionis causas afferendo, vt patet ex omnibus iuribus, & constitutionibus, præsertim recentioribus; ergo gratis omnino illud dicitur.

Tertiò, Quia illæ Propositiones multo tempore examini Theologorum Romæ fuerunt subiectæ, instante recolendæ memoriæ M.F. Christiano Lupo Louanienſis Scholæ Doctore, & Professore ex meo Ordine, qui eiusdem Scholæ, nec non Catholici Regis Legatum agebat. At tunc non exquirebatur, an illæ Pontificis arbitrio essent reiiciendæ, quidquid esset de earum falsitate, vel veritate; sed, an ex natura rei essent veræ, an falsæ, scandalosæ, & pernicioſæ; id enim ad Theologorum examen pertinebat; ergo, dum damnatæ fuerunt, tales iudicatæ sunt, non redditæ.

Quartò. Quia Summus Pontifex in prohæmio sui Decreti dicit, se prosequi laudabile opus, & salubre a suo Prædecessore inchoatum in segregandis noxijs doctrinarum pascuis, easque Propositiones damnare, tamquam scandalosas, & pernicioſas; ergo tales erant, antequam damnarentur, nam propterea damnatæ sunt. Quare etiam nullo existente Decreto Pontificis, reijciendæ erant a cognoscentibus earum scandalum, & perniciem.

Quintò. Periculum irritæ confectionis Sacramenti, & proferendæ iniustæ sententiæ, sicut, & cuiuslibet peccati ex se ipso est euitandum; ergo, dum Pontifex declarat illicitam illam confectionem, & sententiam, non condit nouum ius, sed declarat antiquam, & in natura rei consistente veritattem, quòd non liceat operari cum periculo peccati, &, quòd tale periculum semper insit puræ probabilitati de immunitate actus a peccato.

Ex quo vlteriùs sequitur, non posse supra iudicium pure probabi-

Digitized by Google

babile de tali immunitate fundari iudicium reflexum certum, quòd operans iuxta illud immunis sit a peccato; nam tunc non adesset peccatum in vsu opinionis probabilis de eorum valore in Sacramentis administrandis, quia non esset cum conscientia periculi peccati, qua ratione illa administratio redditur peccaminosa. Sed Pontifex decernit oppositum; ergo, &c. Sed hac de re diligentiùs infra cap. 4.

Sextò. Plures ex Sūmis Pontificibus, quos retulimus, probabilitatum vsum reiecerunt; ergo, etiam si non veritatem ex natura rei declarassent, sed noua iura condidissent, non erat hoc tempore earum vsus a Probabilistis defendendus, quia saltem Pontificio iure improbatus.

22. Tertio loco damnatur Propositio asserens, quòd generatim, dum probabilitate, siue intrinseca, siue extrinseca, quantumuis tenui, modò a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Ex quo fateor, non expressè damnari generaliter vsum probabilitatum, vt nonnulli credunt, sed tantùm declarari, quòd non sit generaliter licitus; id enim est contradictorium Propositionis damnatæ; quare relinquitur locus, quantum est ex vi huius damnationis, asserendi, aliquando illum vsum esse licitum; sed nihilominus adhuc ex vi illius damnationis infertur, numquam esse licitum: nam Probabilistæ docent, ex natura probabilitatis fieri, vt opus secundùm eam factum sit prudens, &, quòd illi meritò confidamus; sed natura probabilitatis semper est eadem; ergo semper opus secundùm eam factum esset prudenter factum; sed hoc damnatur in Decreto; ergo non ea est natura probabilitatis, vt opus secundùm eam procedens sit prudenter factum; ergo numquam licebit ei in operando inniti, & opus secundùm eam procedens non est prudens.

Fortè dicetur, non esse prudentis agere ex probabilitate, quãdo obstat lex, vel conuentio, vel periculum grauis damni incurrendi; & intuitu harum conditionum, vel causarum Pontificem declarasse, non semper esse licitum vsum probabilitatum.

Sed hoc non sufficit; nam cum his conditionibus, seu obstaculis non est probabile, quòd licitus sit actus; quis enim dicat, probabile esse, quòd liceat facere actum cum transgressione legis, vbi est manifesta inobedientia, & turbatio ordinis ab ea præfixi; vel conuentionis, vbi peccatur contra fidelitatem; vel cum periculo grauis damni, quod est contra charitatem? Ergo, cùm adsunt hæ conditiones, vel obstacula non sumus in casu probabilitatis; sed Decretum loqui-

Digitized by Google

loquitur in casu probabilitatis, apertè declarans, non semper esse prudentis agere ex probabilitate; ergo declaratio facta est intuitu ipsius probabilitatis, quòd, scilicet, non talis sit, vt ei inniti liceat, quasi opus ex ea procedens sit prudenter factum; ergo numquam licet ea vti.

23. Quarto loco damnatur propositio asserens, quòd excusetur ab infidelitate non credens, si ducatur opinione minùs probabili. Sed nulla, quantum video, potest afferri ratio, vel discrimen, cur non excusetur a peccato infidelitatis, qui non credit ex opinione minùs probabili, excusetur autem a cæteris peccatis, qui ex opinione minùs probabili ea opera sibi licita putans, eadem facit; ergo hìc damnatur quicumque vsus opinionis minùs probabilis; & per consequens destruitur illud principium, quòd probabile sit fundamentum ad prudenter operandum, & immunes reddens operantes a peccato.

CAPVT IV.

Ostenditur illicitus vsus probabilitatum ex ratione.

1. QVamuis superioribus capitibus, dum falsitas doctrinæ probabilitatum ex Scripturis, Patribus, sacrisq; Iuribus ostenderetur, pleræque, nec, vt arbitror, leues rationes contra eam sint adductæ, placet tamen specialiter eamdem rationibus, si fieri possit, euertere.

Primò igitur adest ratio obuia, quam virtute vnam per plura fundamenta latissimè versat, distribuitque Fagnanus. Sic autem eam proponimus. Deliberatè exercere opus, de quo operans dubitat probabiliter, vel dubitare debet, an sit peccatum, peccare est; sed operans ex opinione probabili deliberatè exercet opus, de quo dubitare debet, immo dubitat probabiliter, an sit peccatum; ergo peccat. Maior communiter conceditur, & nihilominus probatur; primò a priori. Quia exercere tale opus est non curare de peccato, quod in eo probabiliter dubitatur adesse, atque adeo est magis æstimare delectationem, vel vtilitatem ex illo opere procedentem, quàm Deum, vel amicitiam eius, quod certè offensa Dei est.

Secundò, Quia quærere, versari, immo non fugere occasionem pro-

Digitized by Google

proximam peccandi, etiam quando adest causa vtilis, vel honesta eam non fugiendi, immo etiam, cùm exinde speratur bonum spirituale, vel temporale, siue nostrum, siue proximi, peccatum est, vt in suo Decreto definit S.D.N. Innocentius Papa XI. damnans propositiones 61. 62. & 63. oppositum asserentes; ergo multò magis peccatum est, dum exercetur ipsum opus, de quo dubitatur probabiliter, esse peccatum. Appositum autem est in hac Maiori, dubitat probabiliter, ad maiorem euidentiam; nam reuera non solùm probabilis cognitio, sed etiam simplex scrupulus ex credulitate leui, & temeraria de peccato in aliquo opere adstringit reatu culpæ operantem, etiam si illud secundùm se non sit peccatum. Vt patet ex capite *Inquisitioni* de sententia excommunicationis, vbi dicitur, quòd, si alter coniugum ex credulitate leui, & temeraria credat, adesse impedimentum matrimonij, exposa ad consilium sui Pastoris conscientia leuis, & temerariæ credulitatis, potest licitè reddere, & exigere debitum. Vbi Pontifex docet, explodendam esse conscientiam ex credulitate leui, & temeraria, vt actus possit esse licitus. Et ex capite *Per tuas il* 2. de Simonia, vbi de Monacho ordinato ab Episcopo, quem Monachus post sui ordinationem ex relatione aliquorum credidit simoniacum, vnde nec volebat in suscepto ordine ministrare, nec ab eodem ad superiores promoueri, dicitur; quòd in ordine suscepto poterat securè ministrare, sed ad superiores ordines contra conscientiam ne ascenderet, ne fortè ædificaret ad gehennam, licèt in huiusmodi difficultatem collapsus sit ex eo, quòd conscientiam habuerit nimis scrupulosam, quam difficultatem euadere non poterat, nisi deponeret scrupulum. Si ergo facere opus, quod scrupulosè tantùm ex credulitate leui, & temeraria dubitatur esse peccatum, peccare est, quantò magis facere opus, de quo ex ratione probabili dubitatur, esse peccatum? Cuius rei ea ratio est, quam supra adduximus; quia, & is, qui cum dicto scrupulo operatur, præponit illud opus amicitiæ Dei, & non curat, si peccet, atque adeo peccat. Sic igitur patet illa Maior.

2. Minor verò probatur; quia dum tantùm probabiliter cognoscitur opus, vt non prauum, assensus de hoc non est certus, sed cum formidine de opposito, eaque etiam probabili; nam, si vnum est tantùm probabile, consequens est, vt oppositum sit etiam probabile, aliter illud non esset probabile, sed certũ: ergo eo ipso, quòd nõ prauitas opinanti est tantùm probabilis, ipse formidat de probabilitate oppositа, seu non est certus de illa nõ prauitate; ergo ope-

Digitized by Google

operans ex sola probabilitate rectitudinis exercet opus, de quo ipsemet dubitat, an sit peccatum: ergo peccat. Si autem operans cognoscit vtramque probabilitatem, tunc manifestiùs operatur cum dubio probabili de peccato in suo opere, atque adeo manifestiùs peccat.

Ad hanc rationem, quæ, vt dixi, obuia est, respondent Doctores Probabilitatum, concedendo incertitudinem, & dubitationem in Iudicio directo de rectitudine operis, negando autem in iudicio reflexo. Dicunt enim, qnòd, licèt iudicium cadens directè supra rectitudinem operis, dum fundatur in principijs tantùm probabilibus, non possit esse certum, immo sit purè probabile; tamen, stante hoc iudicio non certo, sed probabili, potest operans formare sibi iudicium reflexum certum, quòd vtendo ea probabilitate cognita, & asserta per iudicium directum non peccat, quia licitum est operari iuxtà opinionem probabilem. Et hoc est totum effugium, siue refugium Probabilistarum.

3. Contra igitur certitudinem huiusmodi iudicij reflexi, diligẽtissimè agendum est, & tria probare intendimus. Primum; quòd talis certitudo est impossibilis ex fundamento rationis. Secundum, quòd, si adest, est voluntaria. Tertium; quòd sit temeraria.

Quantùm ad primum consideramus primò absurditatem dicti. Intolerabile enim esset, si diceretur: *Operare cum dubio peccandi*; sed intolerabiliùs dicitur: tene pro certo, te non peccare in opere, de quo est dubium, an sit pecatum: illud enim solũmodò esset contra timorem, vel amorem Dei, hoc etiam contra lumen rationis. Cùm enim cognitione, seu iudicio directo iudicetur, illud opus non absolui a periculo peccati, quomodo potest rursus haberi Iudicium certum, quòd fiat sine periculo peccati? Nec refert, quòd dicantur esse diuersa iudicia, vnum, scilicet, directum, aliud reflexum; nam iudicium, quod dicitur certum, fundatur in primo, quod est incertum; ideo enim dicunt, certum esse, fieri opus sine periculo peccati, quia iudicatum est, ipsum probabiliter vacare periculo peccati, quod idipsum est, ac opus esse probabiliter expositum periculo peccati; ergo ideo certum est, ipsum fieri sine peccato, quia incertum est, ipsum non esse peccatum. Non enim hæc duo Iudicia se habent, vt duæ cognitiones de eadem conclusione, quarum vna sit per medium demonstratiuum, atque adeo certa, & scientifica, altera per medium probabile, atque adeo incerta, & opinatiua, quas cognitiones plerique, cum quibus, & Nos, concedunt, posse simul haberi de eadem conclusione ab eodem intellectu; sed vna cognitio, seu iudi-

Digitized by Google

iudicium esse fundamentum, & causam alterius; cùmque primum iudicium, ideſt, directum sit incertum, non potest dare certitudinem iudicio reflexo; nisi incertitudo sit fundamentum, & causa certitudinis, nimirum effectus nobilioris, & suæ causæ oppositi, quo nihil absurdius.

4. Sed, ne dicant Probabilistæ a Nobis, vel non candidè referri, vel non plenè intelligi vim suæ Doctrinæ, seu Responsionis, referemus eam verbis recentis Scriptoris Maderni de Actibus Humanis qu. 4. ar. 7. nu. 6.; quamuis enim id prolixius fortasse videri possit, toleranda tamen prolixitas est pro veritate, & claritate in re tanti momenti.

Sic ergo loquitur Madernus. *Aliud est, quòd operans possit errare materialiter circa obiectum, iudicando bonum, quod re ipsa malum est: aliud est, quòd possit errare circa operationem, existimando facere operationem bonam, & re ipsa faciendo operationem formaliter malam; primum concedo posse sequi* (sequendo probabile); *at secundum est impossibile; etenim eo ipso, quòd prudenter operatur, inuincibiliter excludit omnem malitiam ab operatione; excluſa autem malitia, certum est, non peccare.* His dictis obijcit sibi. *Vbi est eadem ratio de obiecto, & de operatione, idem iudicium debet fieri de vtroque; sed eligens opinionem probabilem potest errare circa obiectum, iudicando bonum, quod re ipsa malum est; ergo potest errare circa operationem, iudicando bonam, quæ mala sit.* Et subdit: *Respondeo distinguendo Maiorem; quam dico, esse veram, si sit eadem ratio, & sub eadem ratione sumatur, non verò, si eadem ratio quidem sit, sed diuerso modo, seu sub diuersa ratione sumatur. In proposito igitur est eadem ratio de obiecto, & operatione, si directè, & obiectum, & operatio concipiatur: at verò si ratio obiecti accipiatur directè tantùm, & ratio operationis reflexè, diuerso modo sumitur, & sic potest variare iudicium, & facere, quòd illud de obiecto sit tantùm probabile de honestate ipsius, iudicium autem de honestate operationis sit certum, vt patet in hoc argumento, quod apud me certissimum est, & demonstratiuum. Operari secundùm iudicium prudens est licitum, & honestum; sed electio opinionis probabilis est operari secundùm iudicium prudens; ergo operari eligendo opinionem probabilem est operari licitè, & honestè. Quod Argumentum,* inquit, *non minùs videtur concludere, quàm quod mox pono; quod in omnium sententia demonstratiuum est: Omnis syllogismus topicus constat ex probabilibus; sed syllogismus generans opinionem est topicus; ergo constat ex probabilibus. Sicut enim iste syllogismus, si consideretur directè ratione materiæ, & obiecti, non habet generare nisi opinionem,*

Digitized by Google

at reflexè est vera, & proprijssima demonstratio, ita, & de Argumento antecedenter posito, cùm sit omnino eiusdem rationis, fatendum est. Hucusque Madernus.

5. Hic video distingui operationem ab obiecto, & ita distingui, vt obiectum possit esse malum, operatio verò minime. Sed, si sermo sit de obiecto operis externi, & de ipso opere externo; ex. gr. de pane, & vino in comestione, & potatione; nullum tale obiectum est malum, quia omnis creatura Dei bona est; nec opus habet ex illo bonitatem, siue malitiã moralem, vt Lib. 3. de Act. Hum. monstratum est. Et, etiam si adstruatur in rebus bonitas, & malitia moralis obiectiua intrinseca, non potest tamen opus habere malitiam a re, nisi vt mala est; ergo etiam iuxta hanc suppositionem non potest obiectum esse bonum, & opus malum. Si autem sermo sit, vt esse debet, de obiecto actus interni (nam sermo est de obiecto iudicij intellectualis, cuius obiectum est opus externum, de quo iudicat, an sit bonum, vel malum) non video, quomodo hic possit distingui obiectum ab opere, cùm opus sit obiectum: potiùs possent distingui duo obiecta, alterum opus externum, alterum obiectum operis externi, illud obiectum proximum, hoc remotum, si super vtrumque feratur iudicium intellectus. Sed de obiecto operis externi non potest, nec debet iudicari, an sit malum, quia nullum tale malum est, vt diximus: ergo non potest hic distingui opus ab obiecto: nisi fortè distinguatur inter facere opus, & opus factum, & primum vocetur opus, secundum obiectum; quod prorsus vanum, immo chymæricum est; nam ipsum operari est opus operantis, vt comedere, bibere, furari, fornicari sunt opus comedentis, bibentis, furantis, fornicantis, quæ etiam nominibus substantiuis vocantur, comestio, potatio, furtum, fornicatio. Et quamuis etiam vocentur opera res factæ, quæ remanent post operationem, vt statua, vel domus factæ ab artifice; tamen, neque in hoc sensu modò loquimur de opere, & obiecto eius, neque in his rebus, vel in operibus, quibus fiunt, prout ad hæc facienda terminantur, habet locum bonitas, vel malitia moralis, sed tantùm rectitudo secundùm artem. Quid ergo hic distinguitur de opere, & obiecto? An fortè de agente, & opere eius, vt, ex gr. comestio quidem serotina in die ieiunij sit mala, comedens autem in ea facienda non peccet? Sed nec agens debet vocari opus, & prorsus impossibile est, vt actio sit mala, & agens in ea facienda non peccet, cùm id sit peccare, facere actionem malam, seu potiùs malè facere.

Video ipsum Madernum de Act. Hum. qu. 4. ar. 6. nu. 8. distingue-

Digitized by Google

guere opinionem in formalem, & obiectiuam, opinionem formalem vocando assensum intellectus, obiectiuam verò rem opinatam. Fortasse ergo eodem sensu distinguit opus, & obiectum, scilicet, actionem, & rem, circa quam exercetur actio, ex.gr. comestionem, & panem, qui comeditur.

Verùm, etiam si admittatur ille improprius, immo absurdus modus loquendi (neque enim obiectum opinionis debet vocari opinio, sed opinabile, aut opinatum, sicut generaliter nullum obiectum actionis dicitur actio, sed agibile, aut actum) nihil habetur ad propositum de certa bonitate operis, & incerta obiecti. Nam obiectum ipsum, ex.gr. panis in seipso certè bonus est, neque hoc cadit in dubium; vt autem est obiectum comestionis, si habet, vel potest dici habere bonitatem, vel malitiam moralem, eamdem habet, quàm actus comestionis; idem enim est, rectè, vel malè comedere panem, ac panem rectè, vel malè comedi; ergo non potest haberi certitudo de recta comestione panis, & incertitudo de pane rectè comesto. Igitur consideratis omnibus dictis Materni, nulla in eis apparet vis doctrinæ, aut responsionis.

Cùm autem dicitur, operantem prudenter non posse malè operari, verum est; sed petitur principium, & assumitur falsum, dum supponitur, operantem ex probabili operari prudenter.

Ex quo patet, Argumentum, quod contra se proponit Maderus, non rectè procedere; in eo enim supponitur distinctio operis ab obiecto, quæ nulla est; quare non debet dici, quòd eadem sit ratio de obiecto, & de opere, sed quòd prorsus idem sint obiectũ, & opus, ideoque re vera de ijs eadem ratio est. Inde responsio Materni ambagibus, & inuolucris est plena. Ait enim: Si obiectum, & operatio sumãtur pariter directè, eadem est ratio de vtroque; sesi, si obiectum sumatur directè, actio reflexè, potest obiectum esse dubium, quantùm ad bonitatem, & malitiam, operatio verò esse certò immunis a malitia. Hic primò non video, quomodo acceptio, idest, cognitio directa, vel reflexa possit transferre actus de bonitate in malitiam. Secundò. Non video, quomodo rebus ipsis conuenire possit dubietas, vel certitudo, cùm hæc sint differentiæ cognitionũ, non rerum; itaque saltem ibi adest loquutio impropria, quæ pluries solet esse causa difficultatis, & erroris. Sed pressiùs ad rem nostram. Non video explicatum, quid sit, obiectum sumi in recto, operationem in reflexo; neque quomodo id fiat; neque quomodo exinde sequatur, obiectum remanere sub dubio, operationem verò fieri certæ bonitatis. Nam neque ex syllogismo, qui

Digitized by Google

assertur, id colligitur. In primis enim eius Minor est falsa, & petitio principij, dum assumit, vt verum illud ipsum, de quo est controuersia. Deinde infert quidem, quòd licitum sit operari iuxta opinionem probabilem, sed non explicat distinctionem operis ab obiecto, neque quòd obiectum sumatur in recto, opus in obliquo, & quòd ex hac diuersa acceptione fiat, vt opus sit certò immune a malitia, obiectum verò minimè; immo indiuisibiliter infert, quòd operari, & opus factum ex opinione probabili sit immune a peccato.

6. Neque etiam id explicatue ex secundo Syllogismo, quem dicit in omnium sententia esse demonstratiuum. Quòd enim dicit, illum consideratum directè, & ratione materiæ, seu obiecti generare tantùm opinionem, reflexè verò esse demonstrationem, & generare scientiam, vel falsum est, vel non ad propositum. Generat quippe ille propriè, & absolutè scientiam, quamuis de materia, siue subiecto, quod est syllogismus probabilis; nulla enim res est, quæ non habeat certas, & determinatas veritates, quæ sciri possint; quia nulla res est, quæ non habeat certam, determinatamque naturam, & proprietates, licèt quantùm ad esse, aut aliquas comparationes, vel effectus sit contingens, vnde, & de rebus corruptibilibus, deque ipsa corruptione, & motu, ac de syllogismo non solùm Topico, sed & Elencho nonnullæ inuariabiles, certæ, ac necessariæ veritates per syllogismos demonstratiuos sciuntur: nec tamen propterea dicitur, quòd tales syllogismi, si sumantur directè, & ratione materiæ generent opinionem, reflexè verò generent scientiam. Quare in eo modo loquendi est insignis improprietas, vel ambiguitas; dum materia, vel subiectum, vel res, de qua aliquid demonstratiuè concluditur, vocatur obiectum, supra quod cadat directè demonstratio, veritas verò ipsa, quæ concluditur, dicitur reflexè considerari; non enim supra aliud directiùs cadit syllogismus, quàm supra veritatem conclusionis illatæ.

Verùm etiam omnibus his admissis, non plus sequitur, nisi, quòd possit aliquid certò, & determinatè sciri de operatione hominis, quamuis ipsa fiat contingenter; vt, quòd possit esse tuta a peccato, &c.; quod nec est in dubio, nec pertinet ad præsens propositum. Nusquam verò concluditur, quòd operatio facta ex puro probabili possit esse certò immunis a peccato (quod est punctum præsentis controuersiæ) maximè ex eo ipso, quia fit ex probabili; cùm potiùs ex hoc sequatur oppositum, quia probabile non est certum. Proindeque sequitur, in verbis tantùm consistere distinctionem illã, quàm

Digitized by Google

quam promptissimè in ore habent Probabilistæ, dicētes: Operantem ex probabili esse certum de honestate formali sui actus, licèt sit incertus de obiectiua.

7. Consideramus 2., quòd hæc Responsio irrita, & ridicula, reddit omnia Iura, omniaque dicta Scripturarum, & Patrum, quibus definitur certum, & tutum esse eligendum. Si enim in pura probabilitate rectitudinis potest fundari iudicium certum, quòd in exercitio operis non peccemus, in omni dubio, vel controuersia, in qua pro vtraque parte adsint rationes probabiles, vtraque pars erit certa, quòd, scilicet, in ea amplectenda nullum committatur peccatum; quare numquam reperiet locum illa regula, quòd tenendum sit certum, dimittendum incertum; ergo redditur irrita. Vnde miror; quòd Probabilistæ aduersùs eam opponant operosas illas responsiones; quòd sit de consilio, non de præcepto; quòd valeat in dubio facti, non Iuris; quòd valeat tantùm in dubio puro; quòd opponatur alteri regulæ de potiori conditione possidentis, quas supra retulimus, & reiecimus: omnem hunc laborem lucrari poterant, compendio respondentes: Quòd iuxta eorum doctrinam semper in dubijs eligitur certum, quia super quacumque probabilitate de rectitudine operis fundatur Iudicium certum, quòd in eo exercendo nullum committatur peccatum. Sed non ita est. Immo Iura definientia, tenendum certum, dimittendum incertum, pro certo habuerunt, non posse in cognitione purè probabili, ideſt, incerta de rectitudine operis fundari certitudinem operantis de immunitate a culpa, siue peccato in eo faciendo. Si enim fundari posset, non esset dimittendum incertum, quod non alia ratione dimittendum est, nisi quia, qui illud sequitur, non potest esse certus de sui immunitate a peccato. Multò minùs crediderunt, propter oppositas probabilitates posse haberi duo iudicia certa, quòd, siue facias hoc, siue illud, vel, siue facias, siue non facias, immunis sis a peccato, dum versamur, vt supponitur, in materia non consilij, sed præcepti; &, quòd pari libertate, ac securitate possis modò facere hoc, modò illud: quod sanè mirum est, quemquem credere, nedum docere; operum enim oppositorum non potest vtrumq; esse rectum, & similiter, nec actus positiuus, & omissio eius; immo alterum necessariò est non rectum, siue peccatum, dum, vt diximus, versamur in materia præcepti; ergo in altero faciendo peccamus, &, dum hoc scienter facimus, etiam in culpa sumus.

8. Tertiò arguitur. Certitudo illius Iudicij reflexi innititur principio illi vniuersoli, quòd, scilicet, liceat operari iuxta opinionem

Digitized by Google

nem probabilem; sed hoc principium est incertum; ergo nulla est certitudo illius Iudicij. Maior est doctrina Probabilistarum; Minor probatur primò ex hac ipsa disputatione, in qua agitur de veritate, vel falsitate illius principij; nos enim contendimus esse falsum; ergo non debent Probabilistæ illud assumere, vt certum, quamuis contendant esse verum.

9. Respondet Madernus de Actibus Humanis, qu. 4. art. 11. nu. 15. haberi certitudinem in illo iudicio reflexo, non quia reflectatur super aliquod principium extrinsecum; nam certitudo, inquit, debet haberi ex ipsa probabilitate, prout probabilitas est, aliter deseritur causa probabilitatis; neque, quia certum sit illud principium vniuersale, quod potest dici intrinsecum cuique probabili, nempe, licitum est operari ex opinione probabili; sed, quia reflectitur supra ipsum motiuum probabile, considerando illud esse rationabile, & prudens; quare reflectitur supra ipsum motiuum intrinsecum, sed vt a ratione, & prudentia directum: *Vt patet*, inquit, *in hoc Argumento, quod apud me est demonstratio: Omnis assensus a prudentia regulatus certissimus est, & tutissimus in conscientia; sed, pictori licitum est pingere in die festo, cùm sit assensus probabilis, est a prudentia regulatus; ergo pictori licitum esse pingere in die festo certissimum est, & tutissimum in conscientia.*

10. Hæc Responsio nulla est. Primò supponit, vt verum, & certum id, de quo est tota controuersia, nempe, quòd motiuum probabile sit fundamentum ad prudenter operandum, quod falsum esse, & pluries probauimus, & adhuc dicemus cap. 5, Quòd autem dicit, tale motiuum esse rationabile, verum est, si rationabile dicat apprehensum, vel assertum per rationem, non autem, si dicat, recta ratione firmatum; nam idipsum est in quæstione, & eius oppositũ probatur per Argumentum; quia, scilicet, quod non est certum, non prudenter iacitur, vt fundamentum ad operandum; sed, & quòd certitudo possit haberi ex reflexione supra motiuum probabile, considerando illud esse probabile, & prudens, omnino vanum est. Neque enim reflexio potest tribuere motiuo id, quod in se non habet; vel ergo illud motiuum est ex se prudens ante reflexionem; & tunc non opus est reflexione, vt possit ex eo prudenter, & tutò elici operatio, vt patet, quando motiuum est moraliter certum, vel euidens, non enim tunc opus est reflexione supra certitudinem, & euidentiam eius, vt operatio prudenter, & tutò eliciatur; vel non est ex se prudens; & tunc non potest id ei præstari a reflexione; quid enim est reflectere supra motiuum probabile, nisi de-

duo

Digitized by Google

duo considerare ipsum, vt probabile? At hæc consideratio non potest illi tribuere, quod in se non habet, nisi denominationem ex trinsecam denuo considerati. Patet idipsum in cæteris similibus; nõ enim, vt operatio sit fortis, iusta, temperata, requiritur reflexio supra motiuum, denuo considerando illud inducere ad actum fortem, iustum, temperatum; sed sufficit, vt a principio sit cognitum tale; idem est in actionibus prauis; ergo inaniter dicitur, quòd reflexio supra probabilitatem motiui requiratur, & præstet, vt illud sit prudens, seu fundamentum ad prudenter operandum; immo hoc prorsus videtur patrocinium causæ desperatæ. Argumentum illud, quod dicit apud se esse demonstratiuum, Minorem habet falsam; & falsitatis ratio est ea ipsa, quæ ibi affertur, vt ratio veritatis, vt potest patere consideranti, quæ dicta sunt; quare reuera illa Minor repugnat in terminis.

11. Verùm ipse Madernus eodem Tract., & Quæst. art. 7. nu. 6. respondens Argumento, quòd, scilicet, non sit certum, posse eligi probabile, sed tantùm opinatum, quod potest esse falsum; ergo eligens illud non est certus, se non peccare: respondens, inquam, huic Argumento fundat certitudinem immunitatis a peccato in eo opere in acceptatione, & electione opinionis probabilis. Sic enim loquitur: *Licèt sit tantùm opinio probabilis, quòd quis possit eligere opinionem probabilem, nihilominus, si semel acceptetur, & prudenter eligatur tamquam regula operationum, implicat, talem operationem esse malam.* Et tamen iuxta superiorem doctrinam dicere debuisset, quòd, si reflectatur supra ipsam probabilitatem opinionis, non potest actio in ea fundata esse mala. Quare, vel non constat in doctrina, vel nomine reflexionis intelligit acceptationem, siue electionem voluntatis, ac proinde dicit, ideo motiuum probabile esse rationabile, & prudens, certumque reddere operantem a peccato, quia acceptatur, & eligitur a voluntate, quod absurdissimum est, & contra omnem rationem: non enim ex acceptatione voluntatis fieri potest, vt motiuum, & actio secundùm ipsum elicita sit prudens, & recta, sed ex iudicio rationis conformis ad legem; nam ipsa acceptatio voluntatis, vt sit prudens, & recta, debet conformari iudicio recto rationis. Verùm ex hoc apparet, id quod pluries dicemus infra, præsertim cap. 4. nu. 7. Doctrinam de licito vsu probabilitatum, & certitudinem immunitatis a peccato in ea sequenda esse merè voluntariam. Præterea: nimium, & intolerabile est asserere, quòd, ex quo opinio probabilis semel acceptata est pro regula operationum, implicet operationem ex ea procedentem esse malam:

quan-

Digitized by Google

quanta enim est certitudo probabilitatis, vt oppositum eius implicet contradictionem? Certè nec certitudo moralis, neque euidentia physica ad tantam firmitatem peruenit; neque negantes licitum vsum probabilitatum traducendi sunt tamquam non percipientes vim contradictionis, seu repugnantiæ. Ipse Madernus locis cit. ar. 7. num. 3. tantam probabilitatis certitudinem refundere videtur in authoritatem Doctorum. Sic enim loquitur: *Si verò substineamus secundum* (id est, quòd sit vera sententia de licito vsu probabilitatũ) *cùm per authores, qui illam substinent, implicet, aliquem operari ex opinione probabili, & peccare, certissimum erit, &c.* Verùm neque veracitas, siue authoritas Dei reuelantis præstat, vt oppositum eius, quod reuelat, implicet contradictionem; quamuis contradictionem implicet, Deum mentiri, aut falsum asserere.

12. Probatur 2. incertitudo illius principij vniuersalis. Quia ex principijs probabilibus determinatis, ideſt, propriis, & particularibus eius materiæ, siue conclusionis agibilis, de cuius rectitudine habetur opinio probabilis, non certò infertur rectitudo operis; ergo non est certum vniuersaliter, quòd liceat operari iuxta opinionem probabilem. Antecedens patet ex terminis, & conceditur a Probabilistis. Consequentia probatur: Si enim nulla principia probabilia propria particularium agibilium probant certò rectitudinẽ agibilis, eo ipso, quo tantùm probabilia sunt, non potest esse vniuersaliter certum, quòd liceat operari iuxta opinionem probabilem, vt potest patere ex opposito; si enim principia propria particularium agibilium probarent certò rectitudinem illorum, non posset esse incertum vniuersaliter, an liceat secundùm illa operari; ergo, si principia propria agibilium non probant certò rectitudinẽm illorum, non potest esse vniuersaliter certum, quòd liceat illa operari. In Argumento, quod vocatur inductio, non est vera Propositio generalis, nisi omnes particulares sub ea contentæ veræ sint; etenim ea deducitur ex singularibus sufficienter numeratis; vt, non potest esse verum: Omnis ignis calefacit, nisi hic, & ille, omnesque, & singuli ignes calefaciant. Quale ergo hoc est, quod asserunt Probabilistæ, vt certum sit, omnem operationem procedentem ex probabili esse licitam, cùm nulla principia probabilia reddere possint certò immunem a peccato opera ex illis procedentia?

13. Probatur 3. Quia Probabilistæ non aliunde probant illud suum principium, nisi, vel, quia agens iuxta opinionem probabilem agit prudenter, vel, quia Deus non ampliùs requirit a nobis. Sed primum est falsum, vt potest patere ex dictis, & ampliùs patebit in

Ca-

Digitized by Google

Capite 5., quo argumenta Probabiliſtarum diluentur. Secundum verò, quoaduſque aliquam reuelationem ſibi factam non profeferant, non eſt credendum; ergo illud principium non eſt certum, immo falſum.

Fortè dicetur, quòd incerta quidem eſt rectitudo operis, dum tantùm innititur principijs probabilibus; at certum eſt, operantem eſſe immunem a peccato propter certitudinem illius principij vniuerſalis. Sed hoc eſt relabi eòdem: etenim illud ipſum principium non eſt certum. Et rurſus: non eſt poſſibile, operantem eſſe certum, ſe non peccaturum in eo opere, de quo incertum eſt, an ſit peccatum; nam hæc incertitudo non eſt de opere in abſtracto, veluti de aliquo per ſe exiſtente, ſed de eo, vt faciendo ab operante, ideſt, incertum eſt, an liceat fieri: peccatum enim idem eſt, ac peccare; ergo planè implicat, quòd de opere adſit incertitudo, an ſit peccatum, & de operante certitudo, quòd non peccet in illo exercendo; vt, quòd incertum ſit, ex. gr. an diſpenſatus in carnibus poſſit cænare in die ieiunii, & certum ſit Titio diſpenſato in carnibus, poſſe cænare in die ieiunii. Sic igitur probata remanet impoſſibilitas certitudinis illius iudicii reflexi, quantum eſt ex vi rationis.

14. Probaturmodò ſecundum, ideſt, quòd talis certitudo ſit merè voluntaria. Si enim non eſt ex ratione, non aliud reſtat, niſi vt ſit ex voluntate, ſitcut Philoſophus dicit de iis, qui adhærent ſuis opinionibus tamquam demonſtrationibus. Cùm verò voluntas non ducta a ratione ſit libido, vt habetur ex Auguſtino lib. 1. de Libero Arbitr. cap. 1. & ſequentibus, ſequitur, quòd talis certitudo ſit ex libidine.

15. Sed, & idipſum poſitiuè probatur. Nam motiua contraria, æquè, vel ferè probabilia ſimul applicata eidem intellectui non poſſunt cauſare aſſenſum determinatum, vtrumque, ſcilicet, ad ſeipſum, immo illum mutuò impediunt, ſolùmque ex voluntate poteſt cauſari talis aſſenſus; non enim adeſt ratio, cur præſtetur aſſenſus vni potiùs, quàm alteri, dum ſunt æquè fortia, & æquè mouentia; immo tunc neceſſariò intellectus remanet immobilis, atque ſuſpenſus; conſimili ratione, ac de immobilitate terræ cenſebant antiqui Philoſophi, quos refert Ariſtoteles 2. Cæli tex. 93., quòd, ſcilicet, ideo terra ſtaret in medio mundi, quia, cùm æqualiter diſtaret a qualibet parte eius, non aderat ratio; cur moueretur potiùs ad vnam, quàm aliam. Quam rationem, quamúis reprobet Ariſtoteles, quia, ſcilicet, per eam non aſſignatur cauſa, cur pars terræ exi-

Digitized by Google

xistens extra centrum moueatur ad centrum, non tamen reprobat quantùm ad illud, quòd stantibus æqualibus motiuis nulla sit causa, cur res moueri debeat potiùs ad vnum, quàm ad aliud. Idem dici solet de capillo æqualiter distento, quòd, scilicet, ex nulla parte frangetur; & de bruto famescente constituto inter esculenta, & proculenta æqualiter distantia, & æqualiter allicientia, quòd, scilicet, ad nullum mouebitur. Hinc plures Doctores, quamuis admittant libertatem electionis inter media æqualiter conducentia ad finem, eam tamen dicunt procedere, non ex vi consultationis præcedentis, ideſt, non ex ratione, sed ex libertate voluntatis, de quibus omnibus dictum est Lib.II. De Act. Hum. Cap.12.; ergo intellectus inter motiua æquè probabilia non potest ex ratione determinare se potiùs ad vnum, quàm ad aliud, immo anxius, & suspensus fluctuabit ex consideratione vtriusque; ergo, si se determinat potiùs ad vnum, quàm ad aliud, hoc non procedet a ratione, sed a voluntate, vel, quia cessat a consideratione alterius motiui. Hinc Philosophus dicit, quòd ad pauca respicientes de facili enunciant, ideſt, determinant facilè se ad assensum, propter hoc ipsum, quia non considerant omnia. Viri autem graues, Docti, & Cordati inter æqualia momenta rationum non proferunt, immo suspendunt iudicium, atque sententiam; vt patet maximè in Augustino, quem propterea Antonius Nebrissensis vocat discipulum Academiæ nihil affirmantis, & de eo dixit Secundinus Manichæus, quòd armatus esset contra omnia, affirmaret verò nihil, Lutherus etiam, quòd vbique disputet, nusquam affirmet. Hinc in Angelis non cadit opinio, ideſt, assensus erga conclusionem tamquam veram, dum ea probabiliter tantùm deducitur, vt docet D. Thomas 2.sent. dist.11. ar.5., & 1.par. qu.48.ar.5., suspendunt enim tunc iudicium, nec se mouent ad assentiendum, ne errent, habendo pro certo incertum, & pro vero falsum. Cuius oppositum contingit in Dæmonibus ex irrationabili eorum furore, & inconsulta ratione, vt ait D. Dionysius; ergo iudicium illud certum reflexum, quod formant Probabilistę erga vnam partem contradictionis inter æquales probabilitates, est merè voluntarium.

16. Tertiò probatur, quòd illa certitudo sit temeraria. Oritur enim ex negligentia, & inconsideratione motiuorum, siue rationū, quæ sunt in oppositum, atque adeo descendit ex vitio inconsiderationis, quod continetur sub imprudentia, vt docet D. Thom. 2. 2. qu.53.ar.3.& 4., cùm .s. quis contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum iudicium procedit; immo est vitium præcipitationis, quia

Digitized by Google

quia descenditur ad determinationem, & opus non per gradus rationis, sed ex impetu voluntatis, vt docet idem D. Thomas eodem loco art. 3. Hinc Tullius Academicus. 1. sectator, non certitudinis, quam desperabat posse haberi, sed probabilitatis, sic ait lib. 1. Officio.: *Quid me impedit ea, quæ mihi probabilia videantur, sequi, quæ contra, improbare, atque affirmandi arrogantiam vitare, fugere temeritatem?* Arrogans, scilicet, & temerarium putabat affirmare, vt certum; quod non plusquàm probabiliter teneri posse arbitrabatur.

Probatur idem secundò. Quia tenere incerta pro certis, sicut approbare falsa pro veris, error est, vt pluries ait Augustinus, & ex se patet; sed Probabilistæ suo illo iudicio reflexo tenent, vt certam rectitudinem operis, quæ, vt deducitur ex principijs probabilibus, est incerta; ergo errant: cùmque talis error sit illis voluntarius, vt probatum est, sequitur, quòd sit temeritas, & imprudentia. E contra Augustinus Epistola 156. ad Optatum dicit, se non ausum de quæstione originis animæ definitam proferre sententiam. Et lib. 4. ad Vincentium Victorem a capite primo pluries dicit, se ignorare originem animæ; cùm tamen plura argumenta probabilia de ea haberet; quia, scilicet, hæc non sufficiebant ad determinandam certitudinem assensus. Propterea Cassiodorus libro de Anima cap. 14. dicit: *Augustinus* (in supradicta quæstione) *nihil temerè dicit esse affirmandum*. Et subdit: *Melius est in tam occultis causis confiteri ignorantiam, quàm periculosam assumere fortassis audaciam*. Hinc etiam Bernardus supra relatus cap. 3.: *Opinio*, inquit, *si habet assertionem, temeraria est*. Si ergo in speculabilibus inter æquæ probabilia suspendenda est sententia, quantò magis in agibilibus, vbi adest periculum peccati?

Rursus idem Augustinus lib. de Mendacio ad Consentium cap. 3. postquàm dixit: *Qui opinatur, putat se scire, quod nescit*, statim id esse vitiosum, & temerarium dicit: *Nec tamen*, inquit, *in nullo vitio est, si, quod ignorat, nosse se putat, etiam si verum sit; incognitum enim habet pro cognito*. Et subdit: *Potest itaque ille, qui falsum pro vero enunciat, quod tamen verum esse putat, errans dici, & temerarius*. Ex quo apparet dictum Bernardi supra relatum, & definitionem opinionis ab ipso traditam; quòd, scilicet, sit habere quasi pro vero aliquid, quod nescias esse falsum, omnino conformia esse doctrinæ Augustini.

Idem Augustinus de Genesi ad litt. in Imperfecto cap. 1. dicit, quòd in libris diuinis temeritas asserendę incertæ, dubiæque opi-

Digitized by Google

nionis difficilè sacrilegij crimen euitat; vocans temeritatem assertionem rei incertę, ac opinabilis; & octauo de Geneſi ad litt. c.5. *De tam magna*, inquit, *quæstione nulla temeritate confligo; melius est enim dubitare de occultis, quàm litigare de incertis*. Item 18. de Ciuit. cap 52. postquàm in vtramque partem disputasset: An persequutiones Ecclesiæ denario numero definitæ sint, concludit: *Non mihi videtur, esse definiendum numerum persequutionum. Sed rursus affirmare, aliquas futuras a Regibus præter illam nouissimam, non minoris est temeritatis. Itaque hoc in medio relinquimus, tantummodò ab affirmandi quodlibet horum audaci præsumptione reuocantes*, Vbi euidentissimè assertionem rei incertæ, quamuis probabilis, vocat temeritatem, præsumptionem, & audaciam.

17. Probatur secundò principaliter illicitus vsus probabilitatum. Dum enim dicunt Probabilistæ, licere operari iuxta opinionem probabilem, formando sibi iudicium illud certum reflexum, quòd iuxta eam operando non peccent, vel intendunt, quòd opus factum non sit malum, vel, quòd non imputetur ad culpam operanti, etiamsi illud secundùm se sit malum. Primum non potest dici; non enim quòd opus sit secundùm se malum, necne, dependet a nostris probabilitatibus; possumus enim in illis falli; multò minus ex illo iudicio reflexo; sed dependet ex conformitate actus ad legem; etenim etiam in ignorantibus inuincibiliter legem reperiuntur opera mala, & maioris, vel minoris malitiæ, vt patet in gentibus. Hinc Augustinus epist. 153. ad Publicolam: *Si quis*, inquit, *bonum putauerit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, vtique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, quod male fit.* Nec sanè motiua nostra probabilia possunt auferre ab actu ratione malitiæ, si eam habet ex sui natura per ordinem ad legem, vel finem; aliter motiua contraria probabilia transferrent actum de malo in non malum, siue bonum, & e contra. Ad summum ergo potest dici, quòd opus illud, licèt ex natura sua malum sit, non imputetur ad culpam operanti, dum illud agit ex motiuo probabili bonitatis eius: & ad hoc fortasse potest valere iudicium illud reflexum certum (ne de eadem veritate dicatur simul adesse certitudo, & incertitudo) vt, scilicet, quamuis incertum sit, opus non esse peccatum, tamen certum sit, operanti non imputari ad culpam, dum operatur ex opinione probabili rectitudinis eius: & ita, tamquam ex communi sensu Probabilistarum dicit Auersa 1.2. qu.18.sect.16. docens, quòd, qui operatur ex illo iudicio reflexo certo, non se exponit periculo peccandi formaliter, sed ad summum faciendi id, quod

Digitized by Google

quod fortè in re materialiter est peccatum; sed non per hoc, inquit, simpliciter peccat, nec est culpæ reus, etiam si id in specie sua malum sit, quia satisfacit homo obligationi suæ de euitando peccato, quando facit id, de quo probabilis est opinio, non esse peccatum. Addit tamen sect. 18., signum esse timoratæ conscientiæ, si studeat quis vitare qualecumque periculum faciendi id, quod materialiter fortasse malum sit, & abstineat libentiùs ab his opinionibus probabilibus.

Sed tunc arguitur, subsumendo. Sed est in præcepto vitare peccata materialia, & voluntariè committere illa, seu exponere se periculo illa committendi idipsum est formalissimè culpa; ergo falsa, & perniciosa est doctrina probabilitatum; nec quidquam iuuat iudicium illud reflexum.

Minor subsumpta probatur primò. Quia idipsum, idest peccatum, quod vocant materiale, vetatur a lege. Non enim vetatur, ne actus fiat culpabiliter, immo ideo fit culpabiliter, quia liberè fit, dum vetatur; etenim culpa supponit prohibitionem, seu malitiam actus; ergo lex respicit naturam actus, quem vetat, quia, scilicet, est contra ordinem intentum a Legislatore, & finem talis ordinis, id quod habet actus ex natura sua, non quia fit culpabiliter. Hinc, vt paulò supradiximus, etiam in ignorantibus inuincibiliter legem, qui proinde non committunt culpabiliter contra eam, dantur peccata, eaque magis, vel minùs grauia iuxta naturam actus per ordinem ad legem; grauius enim peccatum est incestus, quàm simplex fornicatio, etiamsi vtrumque ignoretur inuincibiliter, esse peccatum, vt de primo apud quosdam Populos Scithis finitimos refert Curtius lib. 8. num. 2. Et apud nonnullos Indos, Arabes, Persas, Mauros habitantes iuxta Bactrianos, ac apud Babilonios, referente Alexandro ab Alex. lib. 1. Genialium cap. 24., & apud Arsacides Parthorum Reges, apud quos tam grauis error inoleuerat, vt parùm legitimè regnare crederent, nisi ex matris, filiique incesto concubitu editos, ex eodem lib. 1. c. 1., de quibus etiam Ouidius lib. 10. Metamorphoseon; & de secunda apud Græcos, & Romanos, vt insinuat Tullius oratione pro Marco Cælio; ergo voluntariè committere, vel exponere se periculo committendi peccata materialia est formalissimè culpa.

Peccatum idololatriæ, quod committi potest a fidelibus adorantibus in Altare panem, & vinum non consecratum ex defectu celebrantis, qui, vel non est promotus ad Sacerdotium, vel intentionem consecrandi non habuit, non imputaretur illis ad cul-

pam

Digitized by Google

pam, seu materiale tantùm esset propter ignorantiam inuincibilem; & tamen adeo graue est, vt pro illo euitando Summi Pontifices Clemens, & Vrbanus Octaui iusserint, morte puniri eum, qui celebrat, cùm non sit Sacerdos.

19. Exprimitur luculenter hæc veritas Geneſis 12; vbi Dominus impediuit copulam Pharaonis cum Sarai vxore Abrahæ, quam ille, ignorans inuincibiliter esse Abrahæ vxorem, in domum suam introduxerat; quæ tamen copula proinde non fuisset culpabilis ex parte Pharaonis, sed tantùm peccatum materiale. Vnde ipse ad Abraham, postquam cognouit veritatem: *Quid nam*, inquit, *est hoc, quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quòd vxor tua esset?* Idem præstitit Deus erga Abimelech Regem Geraræ, qui eadem ignorantia inuincibili ductus, tulerat eamdem Sarai in domum suam, dicens ei: *Morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* Cui ille: *Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies?* Et rursus Dominus ad eum: *Et ego scio, quòd simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi, vt tangeres eam.* Deinde refert Scriptura: *Statimque de nocte consurgens Abimelech vocauit omnes seruos suos, & loquutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. Vocauitque Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? Quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande?* Et paulò post: *Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt: concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Sarai vxorem Abraham.* Tanti non solùm Dominus, sed etiam Pharao, Abimelech, & viri eorum appenderunt peccata materialia, de quibus modò Doctores Probabilitatum dicunt, non esse curandum.

Rursus Geneſis 26. Cùm Abimelech Rex Palæstinorum vidisset Isaac iocantem cum Rebecca, quam dixerat suam sororem (id est, aliqua licentia erga eam vtentem, quæ non esset, nisi viri ad vxorem, vt explicat Augustinus) accersito eo, dixit: *Quare imposuisti nobis? Potuit coire quisquam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo dicens: Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.* Et tamen copula illorũ cũ vxore Isaac non habuisset culpam adulterii propter ignorantiã inuincibilem, quantumq; ad hoc fuisset peccatũ materiale tantùm, & tamen eam deordinationẽ, siue malitiam adeo abominatus est Abimelech, vt peccatum grande vocaret, & morte puniret. Ex qnibus omnibus clarissimè patet, vitanda esse peccata materialia, immo,

nisi

nisi hæc sint vitanda, non dari peccatum formale, ideſt, culpam; ideo enim culpa eſt illa liberè committere, quia illa ſunt vitanda, vt proinde mirum ſit affirmari oppoſitum.

20. Declaratur magis, finem directum legis prohibentis non eſſe remouere culpas, ſed actus, quibus turbatur ordo ab ipſis præſcriptus, quique, dum liberè fiunt poſt prohibitionem, imputantur ad culpam; quia ad finem temouendæ culpæ, præſtaret potiùs non condere leges: vbi enim non eſt lex, neque præuaricatio Roman. 7. Quare lex non ſolùm non aſſequeretur finem intentum, ſed etiam ſortiretur oppoſitum: intenderet enim remouere culpas, & prohibitione ſua illas accerſeret: ergo lex intendit remouere actus, quos dicunt peccata materialia; quia, ſcilicet, perturbant ordinem rerum, & hi ipſi adſcribuntur ad culpam, ſeu euadunt peccata formalia, dum liberè, & ſcienter exercentur poſt prohibitionem.

21. Probatur 2. eadem Minor. Quia aliter laborantibus ignorantia inuincibili non eſſet tradenda notitia legis, quia, quoadusq; in tali ignorantia manerent, non committerent peccata formalia, ideſt, culpas, ſed tantùm materialia, quæ, vt dicunt, non ſunt vitanda; atque adeo, ex tali notitia non ſolùm nullum bonum, ſed etiam magnum malum illis proueniret, quia ex tranſgreſſione legis fierent rei culpæ, cuius antea non erant. Ergo euitanda ſunt, non tantùm peccata formalia, ſed etiam materialia, quia etiam iſta, vtpote perturbantia ordinem inſtitutum à Deo, ſunt offenſa Dei; omnis autem offenſa Dei eſt vitanda, etiam materialis; de hac enim loquutus eſt Dominus ad Achimelech, cum ait: *Cuſtodiui te, ne peccares in me.*

22. Probatur 3. Quia ſi tantùm tenemur vitare peccata formalia, ideſt, culpas, ſequitur, quòd ratio, ob quam tenemur abſtinere a peccatis, non ſit offenſa Dei, ſed damnum, aut periculum noſtrũ, ne, ſcilicet, incurramus pœnam æternam; ſed hoc eſt abſurdiſſimũ, & impium; ergo, &c. Probatur ſequela maioris. Quia offenſa Dei reperitur etiam in peccato materiali; omnis enim actus deordinatus, vt diximus, eſt contra ordinem, & inſtitutorem eius, atque adeo eſt offenſa eius. Minor probatur. Quia, ſi non tenemur vitare peccata materialia, quamuis ſint offenſa Dei, ſed tantùm formalia, ideſt, culpas, ſequitur, quòd ratio, quare teneamur vitare formalia, non ſit offenſa Dei, ſed malum damnationis noſtræ, atque adeo, quòd teneamur plus diligere noſmetipſos quàm Deum, & ſic ipſa bona opera teneamur facere propter bonum noſtrum, non propter

Digitized by Google

per Deum, quod destruit præceptum Charitatis. Quare mirum est, Doctores, nedum Catholicos, sed Ecclesiasticos, & Regulares potuisse proferre, non esse vitanda peccata materialia.

23. Probatur 4. eadem Minor. Quia de peccatis materialibus, etiam per ignorantiam inuincibilem commissis, quæ proinde, dum commissa sunt, non fuerunt inputata ad culpam, oritur dolor in animabus iustis, postquàm cognitum fuerit, ea fuisse peccata materialia; & habetur etiam displicentia de commissis ab aliis: peccatum etiam est de ipsis gaudere, etiamsi magna commoda ex eisdē reportata sint; ergo vitanda sunt peccata materialia. Probatur Antecedens; quia amicus ex ipsa ratione amicitiæ tristatur, si per ignorantiam, etiam inuincibilem, aliquid fecerit contra amicum, vel voluntatem eius; sed omnis actus malus, seu deordinatus etiam per ignorantiam inuincibilem commissus, eo ipso, quòd deordinatus est, est contra Deum institutorem ordinis: ergo de ipso ex charitate dolendum est. Hinc Augustinus 1. Confess. ca.7. deplorat peccata infantiæ suæ, quòd; scilicet, vberibus inhiaret plorans, quòd irascereturmaioribus non seruientibus ad nutum, quòd flendo peteret, quæ noxiè darentur, &c. Nec tamen putandum est, Augustinum, vel admisisse culpas in infantibus, vel de ea re dubitasse, cùm id ab omni sensu rationabili sit alienissimum, vt etiam diximus lib. 1. de Act. Hum. cap.14 num.9.; sed, quia illi actus ex natura sua deordinati erant, licèt ex defectu vsus rationis non imputabiles ad culpam. Qua etiam ratione 10. Confess. ca.3. dolet de assensu in somnis (vbi non adest vsus rationis, & libertatis, atque adeo neque culpa)imaginibus rerum obscœnarum. De Sanctis etiam Teresia, Magdalena de Pazzis, aliisque legimus,deflesse peccata infidelium, quamuis per ignorantiam inuincibilem commissa. Et, quòd de talibus peccatis gaudere non liceat, definiuit S.D.N. Innocentius Papa XI. in Decreto 2.Martij 1679. damnans Propositionem ordine decimamquintam: *Licitum est filio gaudere de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias inde ex hæreditate consecutas*. Homicidium autem commissum ab ebrio est peccatum materiale tantùm, idest, secundùm se non deputatur ad culpam. Igitur probata est Minor superioris Argumenti.

24. Modò interrogandi sunt Assertores probabilitatum:Si opus ex probabilitate factum, siue intrinseca, siue extrinseca, certa postmodum ratione, vel irrefragabili authoritate deprehendatur oppositum legi, vt si quis operatus sit ex opinionibus assertis, vt probabilibus, quas postea Alexander VII. & SS. D. N. Innocentius XI. damna-

Digitized by Google

damnarunt, necessarium ne sit, de eo dolere. Si enim affirmabunt, fatebuntur vtique, fuisse malum, & ex tunc non faciendum, atq; adeo implicitè fatebuntur, non esse prudentis inniti probabilitati, quæ ad ea opera nos ducat, de quibus postea meritò, & necessariò dolendum sit. Si verò negabunt; id primùm descendet de amore proprio, qui repugnat charitati. Amicus enim, vt dictum est, ex ipsa vi amicitiæ dolet, si, quamuis probabili motiuo ductus, nec volens offensam amici, immo eam penitus auersans, aliquid fecerit eiusdem voluntati, vel vtilitati contrarium. Si ergo probabilitatum sectator, dum certò cognoscit, se earum ductu contra Diuinas, vel humanas leges, rerumque ordinem ab eis præscriptum aliquid egisse, non dolet, magis amat propriam delectationem, vel vtilitatem ex illo opere captam, vel etiam propriam opinionem, quàm curet de Deo, alioue Legislatore, ac de rectitudine ordinis, & operis ab ipsis præscriptis.

Secundò. De peccatis commissis ex ignorantia dolendum est; sed peccata commissa ex opinione probabili commissa sunt ex ignorantia, idest, ex non plena, seu certa assequutione veritatis, quę vtique ignorantia est; ergo de eis est dolendum. Maior patet ex illo Petri 3., qui, postquàm exprobrauit Iudæis Christi occisionem ait: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri. Panitemini igitur, & conuertimini.* Dauid etiam in Psalmo 26. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*; vocans ignorantias peccata commissa ex ignorantia. Er Augustinus lib. 1. Operis perfecti contra Iulianum pagina mihi 159.: *Neceſſe eſt*, inquit, *vt peccet, a quo ignoratur iuſtitia. Nunquid ideo, cùm iuſtitiam cognouerit, non ſunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ neceſſitate commiſit?* Si autem remittenda, profectò, & de eis dolendum.

25. Probatur idem ratione. Nam aliter de solis peccatis ex malitia, & passione commissis esset dolendum; cùmque multa peccata committantur ex ignorantia, quia, vt ait Augustinus lib. 1. operis perfecti pagina mihi 226. *Peccatis de ignorantiæ, & affectionum neceſſitate venientibus plenum eſt genus humanum*, de magna parte peccatorum non esset dolendum. Præterea. Peccatum ex passione est etiã ex ignorantia, causata ab ipsa passione; ergo etiam de peccatis ex ignorantia commissis est dolendum.

Quòd si dicant Probabilistæ, esse quidem dolendum de peccatis commissis ex ignorantia pura, aut dubio puro, & ex ignorantia, quæ vinci non potest, non tamen de commissis ex ignorantia, quæ est opinionis probabilis, quia operans ex hac ignorantia, siue pro-

Digitized by Google

babilitate agit prudenter, de opere verò prudenter facto non est dolendum. Si, inquam, id dicant, magnum priuilegium ostendent opinionis probabilis, sed certè non legitimum, nec authenticum. Obstant enim verba D. Petri; non enim Principes Iudæorum, Pontifices, Seniores, Scribæ, & Pharisæi ex ignorantia, quæ vinci non posset, occiderunt Christum; aliter non fuissent in culpa, quod asserere est Iudaicum; immo ex aliqua probabilitate, saltem, quæ eis videretur; sicut, & Apostolus Paulus tantus legis Doctor non sine aliqua probabili ratione Ecclesiam persequebatur; nam, & modò Hebræi rationes afferunt, ex quibus videantur rectè fecisse sui maiores; plebs certè imperita probabilitati extrinsecæ nitebatur, idest, authoritati supradictorum, quæ magna erat in Synagoga; ergo plebs Hebræorum, vel, cognita impietate facinoris sui, debebat de eo dolere, vel non; si debebat; ergo etiam de peccatis, quæ committuntur ex opinione probabili dolendum est: si non, id est contra D. Petrum, immo contra Christianam professionem. Ergo hoc Argumentum grauiter, ni fallor, vrget Probabilistas; vel enim fateri debent, etiam de malis commissis ex opinione probabili esse dolendum, cognita eorum malitia, quod est euertere proprium dogma de licito, seu prudenti vsu probabilitatum; vel dicere, quòd Pontificibus, Senioribus, Scribis, Pharisæis non esset dolendum de occisione Christi, si probabili eam ratione fecissent; omnino verò non esse de ea dolendum plebi, quæ innixa probabilitati extrinsecæ authoritatis prædictorum eam quæsiuit, immo, eam omnino non fuisse in culpa, etiam dum clamauit: Crucifige, Crucifige. Certò minùs dolendum est de malis commissis ex ignorantia, quæ vinci non potest, quàm de commissis ex ignorantia vincibili, & opinione probabili; nam in primis illis non adest culpa operantis, adest verò in secundis: maximè autem de culpa dolendum est. Ergo negent prudentia opera facta ex opinione probabili, nõ negent, de illis, cùm mala sunt, esse dolendum.

26. Reuera autem, etiam dum prædicta opera deprehenduntur postea non malè facta, dolendum est de vsu probabilitatum; quia non ex rerum euentu, veluti ex sorte, & fortuna, sed ex consilio dependent laus, vel reprehensio operantis, vt omnis sapiens iudicat. Ergo de periculo peccati, cui se exposuit probabilitatum sectator, quamuis reuera non malè operatus sit, sicut reprehendi potest, ita dolere, & pœnitere debet.

27. Sed dicetur, eamdem difficultatem premere Sectatores certi moraliter, quia, cùm hæc certitudo non sit infallibilis, vt ait Philoso-

Digitized by Google

losophus 1. Ethic. cap. 3., & 2. Ethic. cap. 2., & 6. Ethic. cap. 5. (vide, & Sapientiæ 14. dicitur: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*) quisquis eam sequitur, potest errare iudicio, & per consequens peccare. Ergo, & tunc quæritur: an ei dolendum sit de peccato commisso, postquàm cognouerit, se peccasse, & curret Argumentum, vt supra.

Respondetur admittendo, moralem certitudinem non esse omnino infallibilem, posseque errare, & peccare, qui ei innititur, proindeque postea ei dolendum: *Qui enim*, vt cum Augustino loquar in Prologo Retractati., *non valuit omnia impœnitenda facere, saltem doleat, quæ cognouit facienda non fuisse*. Sed tamen non est in culpa; quia certitudo moralis sufficit ad prudenter operandum, & error tunc non contingit ex nequitia, vel pigritia, sed nimia rerum caligine, & naturali imbecillitate intellectus. Quare, licèt de eo sit dolendum ex amore rectitudinis, & ordinis, non tamen propriè pœnitendum, quia pœnitentia propriè dicta supponit culpam, quæ in taliter errante non adest.

28. Talesque errores sunt obiectum admirationis potiùs, quàm pœnitentiæ. Admirationis, inquam, quòd neque certitudo moralis euitauerit errorem. Sunt etiam causa indignationis aduersùs eum, qui nostri erroris causa fuerit. Hinc non pœnitentem leginus Isaac de errore benedictionis datæ Iacob pro Esau, sed admirantem: *Expauit*, dicitur Genesis 27., *stupore vehementi, &, vltra quàm credi potest, admirans*; quia, videlicet, cùm omnem ad eum errorem præcauendum diligentiam adhibuisset, etiam exploratione tactus, qui omnium sensuum est certissimus, nulla sua culpa acciderat, vt erraret, sed nimio, & valde extraordinario astu Iacob; qui proinde iustè timens indignationem Patris, dixit Rebeccæ matri suæ: *Timeo, ne Pater putet, me sibi voluisse illudere*. Similiter de Pharaone, Genesis 12. non dicitur, quòd pœnituerit de voluntate, vtique mala, copulandi sibi Sarai, quæ vxor Abrahæ erat, sed tantùm, quòd indignatus sit aduersùs Abraham, tamquam causam sui erroris, eo quòd illam sororem dixerat suam. Itidem de Abimelech Rege Geraræ Genesis 20., & de alio Abimelech Rege Palæstinorum Genesis 16. non legimus, quòd eos pœnituerit, sed tantùm, quòd indignati sint aduersùs Abraham, & Isaac, qui suas coniuges dicendo sorores, causa erroris, & peccati eorum videbantur, quo eosdem voluerant sibi copulare. A culpa autem se censebant immunes, atque adeo a debito pœnitendi, quod expressè dixit Domino Abimelech Rex Geraræ: *Num gentem ignorantem, & iustam interficies?*

Digitized by Google

Cuius dictum probauit Dominus respondens: *Et Ego scio, quòd simplici corde feceris*. Adhuc Iacob Genesis 29. non pœnituit de copula cum Lia, quam reuera coniugem non habebat; etenim ex ignorantia inuincibili non erat in culpa; sed tantùm expostulauit aduersùs Laban. Ergo operantibus ex certitudine morali, vel laborantibus ignorantia inuincibili non est propriè pœnitendum de peccatis exinde commissis, cùm pœnitentia propriè dicta supponat potentiam, & debitum abstinendi ab actu, vt cum Augustino lib. de duabus Animabus, cap. 14. diximus Nos lib. 1. de Voluntar. cap. 13., quæ potentia non est in ignorante inuincibiliter, neque debitum in sequente certitudinem moralem; sed est habenda displicentia de irrectitudine operis propter amorem iustitiæ, & ordinis. At vtentes probabilitate debet propriè pœnitere de opere malo, quia, vel ex inertia negligunt quærere certitudinem, vel ex libidine voluntatis contenti sunt probabilitate, negligentes veritatem, quod vtique in culpa est. Quod inde maximè apparet, cùm propter oppositas probabilitates in eadem materia putant, se licitè facere opposita; oppositorum autem non potest vtrumque secundùm se esse rectum, sed alterum necessariò erit malum, siue peccatum materiale; ergo *tunc* liberè exponunt se periculo peccati materialis; ergo formaliter peccant, & sunt in culpa.

29. Sed id, quod subdit Auersa in illa sua Responsione supra num. 17. non est prætereundum. Dicit enim, quòd homo satisfacit suæ obligationi de peccato vitando, si faciat id, de quo est probabilis opinio, non esse peccatum. Hoc enim primò est gratis dictum, immo oppositum apparet in humanis; non enim Principes, vel alii Domini hanc satisfactionem solent acceptare a suis ministris, vel seruis, dum aliquid praui, vel in damnum eorumdum operati sunt, quòd, scilicet, probabiliter putarint, se rectè facere; immo de eis conqueruntur, vel etiam puniunt, si cum timore, vel dubio prauitatis operati sunt. Secundò: Obstat ratio sæpe replicata, quòd, scilicet, operari cum periculo peccati, peccatum, & culpa est.

30. Probatur tertiò illicitus vsus Probabilitatum. Quia ipsi Probabilistæ docent, in casibus valde grauibus non licere vti opinione probabili, vt in Sacramentis conficiendis. non esse licitum baptizare *in nomine Genitoris, Geniti, &c.* licèt sit probabile, hanc formam esse validam: Non licere Episcopo confirmare cum solo oleo absque balsamo, licèt hoc etiam sit probabile; quia, aiunt, adesset periculum damni grauissimi spiritualis erga proximum. Immo non licere, vti probabilitatibus cum periculo grauis damni tẽpora-

Digitized by Google

poralis ; ſcilicet, non licere medico propinare ægroto medicamen probabiliter tantùm profuturum, quando morbus eſt grauis ; non licere Regi inferre bellum alteri ob ius tantùm probabile, quia ex bello ſequuntur grauiſſima damna. Ita Auerſa cum aliis, quos citat. 1.2. qu. 18. de Bonit. & mal. ſect. 17. §. *Dico tertiò*. Sed in omni vſu probabilitatis adeſt periculum grauis damni, ideſt, peccati, quo non poteſt dari grauius ; ergo numquam licet vti probabilitatibus. Qua in re illud iure mirandum, quòd, cùm interdicant vſum probabilitatum in periculo damni temporalis, mortis, incrementi morbi, amiſſionis bonorum, &c. permittant tamen in periculo damni ſpiritualis, & æterni. Sed, & illud vrgendum; quare, dum probabile eſt, validè conferri baptiſmum in illa forma verborum, validè conferri confirmationem in oleo tantùm, profuturum ægroto illud medicamen ; quare, inquam, non liceat baptizanti, Epiſcopo, & medico formare ſibi iudicium illud certum reflexum, quod in omni probabilitate fundari poſſe dicunt, immo ex eadem oriri, & quod, vt aiunt, liberata culpa, quòd ſic baptizando, confirmando, medendo non peccent ? Profecto reſpondebunt, quia ſalus baptizandi, confirmandi, & ægroti non dependent ex illo iudicio baptizantis, confirmantis, & medentis, ſed ex natura rei, ideſt, ex inſtitutione Chriſti, & vi naturali medicaminis ; quare ad effectum intentum inane prorſus eſſet iudicium illud certum reflexum. Hinc Madernus qu. 4. de Act. Hum. arm. 17. num. 9. dat generalem regulam ; quòd, cùm agitur de ſola honeſtate actionis, licitum eſt ſequi probabile ; quando verò agitur de damno tertij, non licet. Sic igitur conſiderent, quod in præcedenti ratione oſtenſum eſt, bonitatem, vel malitiam actus non dependere ex iudicio noſtro, vel ex ignorantia, qua putamus, non eſſe malum, quod malum eſt ; ſicut ex iiſdem non dependet, quòd actus ſit prohibitus, nec ne, quamuis ex ignorantia inuincibili noſtra poſſit fieri, vt non imputetur ad culpam ; ſed dependere ex natura actùs in ordine ad legem ; quare ſicut nihil conferret ad ſalutem baptizati, confirmati, vel ægroti certitudo illa iudicii, ita nec ad euitandum peccatum. Et, quòd, cùm agitur de honeſtate actionis, agitur de ſummo damno noſtro.

31. Probatur quartò idem. Quia in materia correptionis fraternæ, concurrentibus ſimul probabilitatibus oppoſitis de vtilitate, vel inutilitate eiuſdem, tenemur eam adhibere ; eſt enim in præcepto quandocumque adeſt probabilis ſpes vtilitatis ; (ſi autem probabilis eſt vtilitas, probabilis quoque eſt inutilitas) vt habetur ex

D. Thom.

Digitized by Google

D. Thom. 2. 2. qu. 33. ar. 2. ad 3. corpore, immo ex Apostolo 2. Timot. 2. 26. *Corripientes eos. qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis*; ex quo patet, adhibendam esse correptionem, etiam cùm non adest certitudo correctionis, & quandocumque non adest timor deterioris euentus ex peruicacia, & elatione correpti: & omittere illam est peccatum negligentiæ salutis proximi, quod grauissimè detestantur sacra iura, præcipuè cap. *Facientis*, dist. 36., vbi dicitur: *Facientis culpam proculdubio habet qui, quod potest corripere, negligit emendare; & negligere, cùm possis, perturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fouere*. Immo Augustinus serm. 16. de verbis Domini in Euangelio secundùm Matthæum ait, grauiùs peccare negligentem ad corripiendum, quàm ipsum corripiendum: *Si neglexeris*, inquit, *peior eo factus es: ille iniuriam facit, & iniuriam faciendo, graui se ipsum vulnere percussit: tu vulnus illius contemnis; peior factus es tacendo, quàm ille conuitiando*. Ideo autem est in precepto fraterna correptio, etiam quando sola probabilitas adest vtilitatis, dumnodò, vt dictum est, non adsit timor deterioris exitus, quia eam adhibendo, & spem habemus lucrandi fratris, & certi sumus nos non peccare; at omittendo, timor adest, ne nostra incuria pereat frater. At in omni vsu probabilitatis adest timor, ne actum faciamus deordinatum, & contra legem; sequendo autem certum moraliter, tuti moraliter sumus ab eo periculo; ergo in præcepto est abiicere probabilitates, & sequi certum moraliter.

32. Fortè distinguetur de probabilitate facti, & iuris; etenim in casu correptionis fraternæ adest probabilitas facti, idest vtilitatis emendationis ex ea descendentis, cuius stante probabilitate certum est ius obligans ad correptionem adhibendam. At quando adest sola probabilitas iuris, idest, cùm incertum est, tantùmque probabile, quòd ius nos obliget; non adest ratio, cur non possimus sequi probabile, idest, probabiliter extimare, quòd non obligemur, & iuxta hanc probabilitatem operari. Sed, quamuis rectè distinguatur probabilitas facti, & iuris, sicut, & factum a iure, non tamen soluitur Argumentum fundatum in paritate rationis, que semper militat. Ideo enim, stante probabilitate facti, idest, vtilitatis correptionis, est in præcepto correptio, quia eam adhibendo certi sumus, nos non peccare, dimittendo verò incerti propter periculũ, ne frater nostra incuria pereat, quod vtique peccatum nobis est; sed, sequendo certum moraliter, certi sumus moraliter (& hoc sufficit) nos non peccare, sequendo autem probabile, incerti; ergo in præcepto

Digitized by Google

cepto est, sequi certum moraliter, non sequi probabile, eo, inquam, præcepto, quo tenemur vitare periculum peccati.

33. Idem Argumentum fieri potest in materia subuentionis pauperis, quæ pertinet ad misericordiam corporalem, sicut correptio ad spiritualem; si enim non certum, sed probabile tantùm sit, pauperem esse in extrema necessitate, quæritur, an teneamur ad subueniendum. Si enim dicamus, quòd non, omnem humanitatem abiecisse videbimur; quid enim inhumanius, quàm præ tenacitate proximum periculo exponere, ne pereat? Si autem affirmabimus, ea certè erit ratio, quia subueniendo certi sumus, non peccare, immo rectè facere: abstinendo autem, in periculo sumus peccati transgressionis præcepti de subueniendo extremè indigenti. Sic dicendum de vsu opinionis probabilis, & de sequela certitudinis moralis, ne, & anima fratris, & ipse non corripiens pereat.

34. 5. Probatur. Quia plures ex Doctoribus probabilitatum, dum in singulis materiis, siue casibus referunt, vel approbant opiniones probabiles, aliquando dicunt, eas esse tutas in praxi, aliquando id reticent; ergo suomet iudicio ostendunt, non quamlibet probabilitatem esse tutam in praxi, & consequenter, non esse fundamentum idoneum illius iudicij certi reflexi, quòd quisquis ea vtatur, non peccet. Cùm autem eadem sit ratio de omnibus probabilitatibus, quamdiu meræ probabilitates sunt, nec pertingunt ad certitudinem moralem, potiùs vniuersaliter doceant, numquam esse tutum vti probabilitate, & certitudinem illius iudicii reflexi exufflent. De qua re ex ipsis rebus humanis, & temporalibus admoneri possunt; nec enim, aut militiæ Duces in præliis ineundis, aut mercatores in sectandis lucris, an generaliter homines in suis negotiis dirigendis probabilitatibus contenti sunt; si enim illis confisi a concepta postea spe decidant, vltra damnum, quod patiuntur, prudentum reprehensionibus, vel etiam malignorum irrisionibus expositi sunt; nam, & in hoc verificatur illud Christi Domini Lucæ 16.: *Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Hinc etiam merces, quæ mari exportantur, solent a Mercatoribus assicurari, vt dicitur, ne ex periculis nauigationis periculum etiam in suis bonis ipsi subeant. Quare non debent Probabilistæ in concernentibus, vel offensam Dei, vel Vitam, & Mortem æternam id consulere hominibus, vt probabilitatibus fidant; cùm ad euadendam culpam, & reatum pœnæ, si fortè illud opus sit peccaminosum, immo etiam si non sit, quia sufficit ad peccandum liberè se exponere periculo peccati, nihil iuuent probabilitates, immo conferant vl-

teriùs

Digitized by Google

teriùs ad iustam reprehensionem temerariæ, & inconsultæ rationis. Alcibiades Athenienſium ſolertiſſimus in diſcrimine capitis, nec maternæ pietati ſalutem ſuam ſe commiſſurum aſſerebat; poſſe enim ex errore contingere, vt & mater nigrum lapillum pro albo in ferenda ſententia aſſumeret. Sectatores igitur probabilitatum in diſcrimine ſalutis æternæ ſuis probabilitatibus magis, quàm Alcibiades matri confidunt.

35. 6. Probatur. Quia nõnulli ex probabililitate iudicãtes, & operãtes, cùm erraſſent a Deo puniti ſunt; ergo illud iudiciũ, & opus eſt ipſis deputatum ad culpam. Antecedens probari poſſet ex pluribus hiſtoriis, ſed ad prolixitatem vitandam ſufficiat afferre duo ex Leontio Epiſcopo Neapoleos in Actis S. Ioannis Eleemoſynarii. Libidinoſus quidam vir Alexandriæ, ingrediens ad primarium Scortum, vidit ex eius domo egredientem Vitalem Monachum, de quo multa fama, pluribus probabilibus Argumentis innixa ferebatur, quòd profeſſionis ſuæ immemor vitam in libidinis cæno cum meretricibus conſumeret. Impegit ei alapam, & increpans: *Quouſque*, inquit, *ò Chriſti illuſor non deſiſtes a malis actionibus?* Reſpondit Vitalis: *Miſer, tibi eſt incutiendus colaphus, vt tota ferè Alexandria ad tuos clamores congregetur.* Nec poſt multum temporis, mortuo Vitale, accedens quidam deformis Æthiops ad virum libidinoſum, adeo grauem colaphum ei impegit, vt eius ſonus ad magnum ſpatium fuerit auditus, dicens: *Accipe hunc colaphum, quem ad te miſit Monachus Vitalis, vt prædixit.* Eodemque tempore vir ille a Dæmone correptus eſt, neque liberatus, niſi poſtquàm ſciſſis veſtibus pœnitens, & gemens, clamanſque: *Miſerere mei ſerue Dei Vitalis*, ad eius cellam cucurriſſet. Ergo huius viri iudiciũ, & opus a Deo, & quidem grauiter, punitum fuit. Quòd vero iudicium illud fuerit ex probabilitate, patet ex iis, quæ idem Leontius refert. Nam Vitalis noctu in domo Meretricum morabatur; nummos, quos ex ſportulis diuenditis lucrabatur, illis dabat. Cùmque eos ab emptoribus acciperet, dicebat: *Abeamus iam, infelix ſenex, ſcis enim, quòd illa te expectat*: reprehendentibus reſpondebat: *Ego quoque ex ijs ſum, qui carnem geſtant, & cedunt eius legibus. An ſolis prohibitum eſt Monachis manere extra corporis voluptates? Non ſunt ipſi quoque participes naturalium affectionum? Non vos audiam; quid mea refert, ſi vos offendimini? Quid rei mecum eſt vobis? Non eſtis mei iudices.* Ipſe quoque egreſſus eius e domo meretricis, argumentum erat peccati. Fama etiam, quæ de eo vagabatur. Tam multis igitur probabilitatibus innixum iudicium Deus tamen grauiter punijt; & meritò:

omnia

Digitized by Google

omnia enim illa non certò inferebant ſcelus, & Sanctiſſimus Vitalis ea faciebat, vt ſaltem pretio mulieres auerteret a peccatis; noctu pro eis orabat; & non mendaciter, ſed obſcurè reſpondendo, humanam gloriam pro humilitatis ſtudio declinabat. Ergo probabilitas iudicij non reddit actum immunem a culpa, & pęna.

36. 7. Proferam, & aliud ex eodem Leontio in iiſdem Actis. Pius enim Monachus puellam ſpecioſam ſui operæ ex Iudaiſmo ad Chriſtum conuerſam ſecum circumducebat eleemoſynam petens, vt ali, & in aliquo Parthenone ſacro locari poſſet. Putatum fuit, ad turpē vſum eam haberi, delatuſq; propterea Pius ad S. Ioannem Alexandrinum Patriarcham. Probabile erat, adeſſe crimen; adeoque probabile ipſi Ioanni viſum eſt, vt valide eum cædi, cuſtodiæque mancipari iuſſerit. In ſomnis Pius Ioannem de praua ſententia reprehendit; veniam hic de errore petit, delatoreſque Monachos de ſuis deiectos gradibus a communione arcuit per triennium. Ecce, & delatio in probabilitate fundata, punita eſt, & ſententia reprehenſa.

CAPVT V.

Soluuntur Argumenta pro licito vſu Probabilitatum.

1. PRimum Argumentum ſumitur ex definitionibus, quas ipſi Probabiliſtæ aſſignant de opinione probabili: quæ duæ ſunt. Prima: *Eſt opinio prudenti fundamento innixa*. Secunda: *Eſt opinio graui fundamento innixa*. Sed licitum eſt operari ex fundamento prudenti, vel graui; ergo licitum eſt operari ex opinione probabili.

Reſpondetur, primam definitionem eſſe malam, longèque diuerſam ab ea, quam aſſignat Bernardus ſupra relatus cap. 3.; immo, cùm in quæſtione ſit: an operari ex opinione probabili ſit operari rectè. 1. prudenter (ſi enim operatio eſt prudens, conſequenter eſt recta, quia prudentia eſt recta ratio agibiliū) ponitur in definitione tamquā certum, & eſsētiale id, quod per oppoſitam ſententiam nullo modo opinioni conuenire poteſt; opinio enim, vt conſtat ex Philoſopho primo Poſter., non eſt cum veritate, ſed ſe habet contingenter ad verum, & falſum; at Prudentia definitur ab eodem

Digitized by Google

6. Ethic. cap.6. *Habitus verus cum ratione: necesse est enim*, inquit, *Prudentiam esse habitum cum ratione vera*; vnde docet ibidem, prudentiam esse virtutem; ergo nullo modo prudentia pertinet ad opinionem. Quod probatur vlteriùs; quia nullus operans cum periculo sui damni, operatur prudenter, saltem nisi maior sit spes vtilitatis, quàm timor damni: Si enim non est prudentis facere opus, ex quo æqualis damno vtilitas sit prouentura, tunc enim inutiliter fieret, atq; adeo non prudenter; ita & multò magis facere opus de quo æqualiter habeatur spes indemnitatis, ac timor damni; quicumque autem operatur ex opinione probabili; operatur cum periculo sui damni; ergo non operatur prudenter. Hinc S.D.N. Innocentius XI. damnat propositionem illam, quòd, semper dum agimus confisi probabilitate, prudenter agimus.

2. Quòd verò opinio innitatur fundamento graui, potest concedi; sed aduertendum est, *graue*, & *leue* dici respectiuè, vnde aer est grauis respectu ignis, leuis respectu aquæ, aqua leuis respectu terræ, grauis respectu aeris. Sicut autem in ponderibus elementorum, ita in momentis rationum. Igitur fundamentum, cui innititur opinio probabilis, poterit dici *graue* respectu eius fundamenti, cui innitur suspicio, scrupulus, vel coniectura; sed non erit graue quantùm ad vim determinandi agens ad operandum, cùm non remoueat periculum peccati; quare ad hunc finem non est fundamentum graue, nisi certitudo moralis. Dicitur enim in cap. *Vbi* de electione, & electi potestate in 6.: *Vbi periculum maius intenditur, ibi plenius est consulendum*. Nullum autem periculum maius, quàm peccati, & damnationis; ergo fundamentum purè probabile, quod non remouet tale periculum, non est graue, aut sufficiens ad determinandum agens ad operandum.

3. Secundum Argumentum. Qui agit, quod probabile est, non agit temerè, immo prudenter, & rectè; ergo licitus est vsus probabilitatum. Antecedens probatur primò ex Augustino Epist.19. ad Hieronymum, & refertur in cap. *Ego solis* dist.9., vbi dicit, se non putare verum, quod dicunt Scriptores non Canonici, nisi id probabili ratione persuadere poterint; ergo sufficit ratio probabilis ad prudenter credendum, atque adeo ad operandum. Secundò ex cap. *Pro humani*, de Homicidio in 6. vbi dicitur: *Postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis sententia requiratur*. Vbi Pontifex declarat, sufficere argumenta probabilia, vt aliquod crimen constare dicatur, & procedi possit ad sententiam, siue pœnam,

Digitized by Google

nam; & in cap. *Fraternitatis* de Frigidis, & maleficiatis dicitur: *Sententiam diuortij per errorem, licèt probabilem nouimus, eſſe prolatam.* Vbi Pontifex excuſat errorem ſententiæ probabili fundamento innixę.

Reſpondetur negando Antecedens. Ad authoritates adductas, & conſimiles reſpondet Fagnanus qu. 2. de opinione probabili n. 100 & 111., vnum tantùm argumentum probabile non ſufficere ad prudenter iudicandum, vel operandum, plura verò ſufficere, quia plura cauſant certitudinem moralem.

Sed hæc Reſponſio non ſatisfacit dicto Auguſtini, nec cap. *Fraternitatis*, vbi ponitur *Probabile* in ſingulari; quamuis aliàs verum ſit, plura argumenta probabilia quandoq; cauſare certitudinem moralem. Dicendum ergo, quòd in verbis Auguſtini ly *Probabili* non ſumitur pro *Opinabili*, ſiue cauſante opinionem: nam ipſe Auguſtinus 3. contra Creſcon. cap. 75. ait: *Probabile quando dicitur, non conſequenter verum*; idque fatentur etiam Probabiliſtæ. Ergo non poterat in loco adducto dicere, ſe perſuaderi ad putandum verum id, quod probabili. 1. opinabili ratione perſuadetur. Sumitur ergo ibi Probabile pro probando, & recipiendo. Et eodem modo reſpondetur ad textus allatos; de qua re plura dicta ſunt cap. 1. huius Diſputationis.

4. Tertium Argumentum. Qui habet aſſenſum opinatiuum ex motiuo probabili non remanet ſuſpenſus, nec verſatur in dubio, vt patet ex terminis; aliud enim eſt aſſentiri, aliud dubitare, ergo licet operari ex opinione probabili. Probatur Conſequentia: Quia Canones id tantùm vetant, ne operemur in dubio, &, vt in dubio ſequamur partem tutiorem.

Reſpondetur: Opinantem non quidem remanere ſuſpenſum, habere tamen formidinem alterius partis, vel ſaltem debere habere; quare eſt quodammodo dubius, non purè, quaſi ex neſcientia, ſed ex inſufficentia motiui non valentis cauſare certitudinem. Non eſt autem licitum, operari cum formidine peccati, vel cum debito habendi talem formidinem; hoc enim eſt, ſe exponere periculo peccati, quod non licet: Quod ſi quis omne dubium expellit, hoc erit ex voluntate, non ex ratione: atque adeo perinde eſt, ac non curare de peccato.

5. Quartum Argumentum. Si non liceret operari iuxta opinionem probabilem, peccarent Doctores probabilitatum, quia inducerent ad peccatum; ſed hoc non eſt aſſerendum, cùm plurimi

Digitized by Google

viri Ecclesiastici, & Regulares docti, & pij doceant vsum probabilitatum; ergo, &c.

Ad hoc Argumentum non illud respondebo, quod (si fit ad ipsis Doctoribus probabilitatum) simile est argumento Sacerdotũ, Scribarum, & Pharisæorum, dicentium Pilato: *Nisi esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*. Fundatur enim, sicut illud, in propria existimatione, & authoritate. Neque illud, quòd, si, vt ait D. Gregorius c. *Ad eius* dist. 5., & dicitur c. *Consilium* de Obseruatione Ieiun., & in Clementi: *Exiui de Paradiso*: *Bonarum mentium est ibi agnoscere culpam, vbi culpa non est*; non est vtique bonarum mentiũ, ibi eam non agnoscere, vbi probabiliter est. Nec etiam illud Tullij pro Murena, iniquam esse legem, & miseram conditionem, si iudicium accusatoris in reum pro aliquo præiudicio valere oporteat. Non, inquam, hæc dicam; sed tantùm, quòd doctrina Probabilitatum est noua, & contra Scripturas, Iura, Patres, & rationem, vt ex dictis patere potest. Possunt tamen fortè nonnulli Probabilistarum excusari, quia hæc non attendentes, aliorum authoritate ducuntur. Nullo autem modo rei agendi sunt Assertores certitudiuis moralis, vt nonnullus murmurat, quasi præ zelo non secundùm scientiam, aut feruore contentionis abrepti, laqueos animabus parent in via Domini. Deflenda potiùs est miseria sæculi, & agnoscenda mala, quæ attulit longa dies; ea enim factum est, vt, frigescente charitate, & inualescente libidine, etiam sinceritas iudicij, rationisque obscurata sit, vt malum non agnoscatur, immo dicatur bonum, ipsique Doctores torrente consuetudinis abripiantur. Quod dolenter potiùs, quàm contumeliosè dixerim; nam idipsum Summi Pontifices, & verbo, & facto declarant, dum tot sententias sæculo plausibiles, communique Modernorum sensu receptas, transfixerunt.

6. Quintum Argumentum. Esset intolerabile onus, si oporteret inuestigare opiniones probabiliores, aut tutiores, aut moraliter certas de omni agibili, atque adeo iugum Domini non esset suaue, neque onus eius leue. Atque hic clamat Caramuel, opinionem nostram esse Ianseniauam, quia reddit mandata Dei impossibilia.

Sicut Antecedens Argumentum famæ, atque existimationi, ita hoc quieti consulit Probabilistarum, ne, scilicet, defatigentur inquirendo. Sed si quis dicat, esse pariter intolerabile onus legis Diuinæ, & Ecclesiasticæ per totam vitam seruandæ, & frænandi concupiscentiæ motus; numquid relaxandæ erunt leges, tamquam ad tollen-

Digitized by Google

tollendum onus, vel iugum graue? Reuera autem non redditur ex probabilitatibus iugum Domini leue, immo per illas excutitur; ſed ex charitate, cui omnia non tantùm leuia, ſed & dulcia ſunt, vt ait Auguſtinus de Gratia Chriſti cap. 13., & de Perfectione iuſtitiæ cap. 10., & alibi pluries. Ideo Lex noùi teſtamenti dicitur lex ſuauis, quia lex amoris, & vetus teſtamentum graue, quia lex timoris; aliàs enim conſtat, grauiora, quia perfectiora, præcipi in nouo teſtamento, quàm in vetere. Cùm verò ſingulæ materiæ immo caſus diſputationibus Doctorum, maximè recentium, euentilentur, plurimumque laboris, & temporis ſpeculando opiniones probabiles, improbabiles, probabiliores, tutas, non tutas inſumatur, non video quid oneris ſuper imponatur, ſi non merè probabiles, ſed veræ, certæque moraliter ſententiæ doceantur, & teneantur.

7. Sextum Argumentum. In moralibus non poteſt haberi certitudo; ergo ad prudenter, ſiue rectè agendum ſufficit probabilitas. Conſequentia ſequitur, aliter nullus poſſet prudenter, & rectè agere. Antecedens probatur. Quia, vt ait Philoſophus 6. Ethic. cap. 15. *Prudentia non eſt de neceſſarijs, ſed de contingentibus, quæ poſſunt aliter ſe habere*: verſatur enim circa ſingularia, quæ ſunt variabilia; vnde in moralibus ſatis eſt procedere pingui quadam Minerua, & ratiocinari ex iis, quæ plerùmque eueniunt, vt ait idem Philoſophus 1. Ethic. cap. 3., & 2. Ethic. cap. 2.

Reſpõdetur: Non poſſe quidem in moralibus haberi sẽper certitudinem per euidentiam, nec tamen ſufficere probabilitatem, ſed requiri certitudinem moralem, quæ eſt veluti media inter puram probabilitatem, & euidentiam; & hanc non videntur agnouiſſe, vel noluiſſe agnoſcere Probabiliſtæ, dum, quæcumque euidentia non ſunt, ſub purè probabilibus locant.

8. Sed quænam, & quanta ſit iſta certitudo moralis, quomodo diſtinguatur a pura probabilitate, & a quibus cauſis, ſiue motiuis generetur, eſt diligentiùs enucleandum; in hoc enim tota, non tantũ ſententiæ noſtræ explicatio, & defenſio, ſed etiam aduerſæ confutatio conſiſtit: id quod a pluribus, quantum video, vel derelictum, vel negligenter eſt præſtitum, & ab ipſo Fagnano non ſatis diiucidè, & exactè traditum.

Igitur poſt *dubium* diſtinguendi ſunt quatuor gradus cognitionis: *Leue Indicium*, ſiue Argumentum, *opinio probabilis*, *certitudo moralis*, & *euidentia*: quorum graduum vnus eſt perfectior altero; nam leue indicium generat coniecturam, ſiue ſuſpicionem, ſiue ſcrupulum, ſiue credulitatem temerariam. Opinio probabilis innititur fortiori

fortiori motiuo, habet tamen formidinem de oppoſito propter inſufficientiam ſui motiui, & propter æqualia, vel ferè æqualia motiua contraria, ſi opinio oppoſita eſt etiam probabilis, vel vrgentiora, ſi illa eſt probabilior; certitudo moralis, vel habet motiuum vehemens, ſiue violentum; vel plura motiua probabilia; nec habet motiua æqualia in contrarium, multò minùs fortiora; quare eſt cognitio maior pura probabilitate. Euidentia verò habet motiua determinantia neceſſariò intellectum ad aſſenſum, & eſt certa, quòd impoſſibile ſit, rem aliter ſe habere, ſiue naturaliter, ſi eſt euidentia phyſica, ſiue etiam ſupernaturalite, ſi eſt euidentia metaphyſica.

9. Igitur certitudo moralis, vel habet vnicum motiuum vehemens, & violentum, vel plura probabilia. Exemplum primi poteſt eſſe in facto Salomonis, iudicantis contra mulierem, quæ volebat diuidi infantem, pro ea, quæ id renuebat; quia, ſcilicet, fuiſſet valdè extraordinarium, & contra communem curſum naturæ, vt mater vellet, occidi filium ſuum; quamuis abſolutè, & ſimpliciter poſſint matres velle, & cauſare mortem filii, vt de Medæa, aliiſq; refertur; itaque iudicium Salomonis non fuit ex opinione probabili, ſed ex certitudine morali, cauſata ex vnico illo motiuo vehemẽti, ſiue violento, & ita dicitur cap *Afferte* de Præſumptionibus. Simile eſt, quod refert Tullius pro Roſcio Amerino, Titum Clælium Tarracinenſem inuentum fuiſſe iugulatum in lecto, cùm dormiret in eodem conclaui cum duobus filiis ſuis adoleſcentibus, quare horum nomen fuiſſe delatum de Patricidio; quamuis autem, neque liber, neque ſeruus reperiretur, ad quem ſuſpicio illius facti pertinere poſſet, tamen fuiſſe adoleſcentes abſolutos, & omni ſuſpicione liberatos, quia planum factum eſt Iudicibus, eos aperto oſtio dormientes eſſe repertos: etenim incredibile viſum eſt, eos, qui omnia diuina, & humana iura tam nefario ſcelere violaſſent, potuiſſe eodem tempore ſomni quiete frui. Itaque, & hæc ſententia vnico, non probabili, immo vehementi motiuo innixa fuit. Non abſimile eſt, quod refert Capriata in Hiſtorijs Pedemontii, proceres Sabaudiæ refelliſſe ſuſpicionem, vel opinionem eorum, qui Chriſtianam Duciſſam Regis Galliæ ſororem inſimulabant, quaſi poſt mortem viri, ex quo filium habebat, res ad Gallorum Dominium transferre moliretur: eo, inquam, vnico, ſed vehementi argumento refelliſſe, quòd, ſcilicet, incredibile eſſet, matrem proprium filium paterna hæreditate priuare velle. Item, quod habetur cap. *Veniens* de Presbytero non baptizato, quòd, qui natus eſt de Chriſtianis parenti.

Digitized by Google

rentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter conuerſatus, tam violenter præſumitur, quòd fuerit baptizatus, vt hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec euidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur. Tandem iudicium Iſaac benedicentis Iacob pro Eſau: non enim probabili, ſed certo moraliter fundamento innixus benedixit, explorata, ſcilicet, veritate per tactum, qui omnium ſenſuum eſt certiſſimus. Quare, etſi errauerit, quia tamen modo valdè extraordinario deceptus fuit, non imprudenter egit. De ea verò morali certitudine quæ cauſatur ex pluribus indiciis, argumentis, probabilitatibus, motiuis in vnum coeuntibus, adſunt paſſim exempla in praxi Tribunalium. Si enim deferatur quis occidiſſe alium; & probetur, interceſſiſſe inuicem graues inimicitias, grauibus iniuriis coniunctas; hunc autem, qui defertur, eſſe virum ferocem, arma tractantem, delituiſſe in loco, quò erat aſſus tranſitus, auditum ſtrepitum, viſum fumum igneum in loco, vbi ille delitescebat; mox illum iniſſe fugam, ingreſſum Eccleſiam, & alia huiuſmodi; hæc, & ſi quæ alia, reddunt Iudicem non probabiliter opinantem, ſed moraliter certum de homicidio ab illo commiſſo. Igitur plura argumenta probabilia in vnum conuenientia cauſant quandoque moralem certitudinem iuxta illud: *Quæ non proſunt ſingulæ, multa iuuant.*

9. Fortè dicetur: Per hæc non exactè explicari, quid ſit Leuis Credulitas, quid Probabilitas, quid Certitudo moralis.

Reſpondetur: In materia morali, ſicut, & legali, non poſſe dari ita exactas definitiones, ſicut in phyſicis. Propterea enim Philoſophus dixit, Ethicam procedere pingui quadam Minerua, & diſcurrere ex iis, quæ accidunt, vt plurimùm: inde etiam in iis multa remittuntur iudicio prudentum. Quare immoderati ingenii eſt, in moralibus quærere demonſtrationes, vel exactas definitiones; harum enim materia non eſt capax: pacatis autem ingenijs ſufficere poſſunt, quæ dicta ſunt. Ipſi etiam Probabiliſtæ non alio pacto, quantum ſcio, explicant, aut explicare poſſunt, quid ſit probabilitas per contradictionem a leui credulitate, & ſuſpicione; quid maior, vel minor probabilitas, aut quid certitudo illa moralis, quã dant ſuo Iudicio reflexo. In qua re illud eſt iure mirandum, quòd, cùm cognitiones, ſiue ſententias, ſiue iudicia directa de moralibus reuocent ad probabilitates, iudicio illi reflexo concedant moralem certitudinem, veluti priuilegio ſpeciali, quaſi non poſſunt deduci aliæ veritates certò moraliter ex ſuis principiis, vel illud ſolùm graui fundamento nitatur. Quòd ſi aliæ poſſunt; quare non docent

vniuer-

Digitized by Google

vniuersaliter, requirendam certitudinem moralem in agibilibus, nec sufficere probabilitatem? Sed hoc inde est, quia certitudo illius Iudicij est voluntaria, & conducit ad viuendi libertatem; cæterę autem, quæ sunt ex ratione, libertatem restringunt.

10. Septimum Argumentum. In speculabilibus licet defendere opiniones probabiles; ergo in moralibus licet secundùm eas operari.

Respondetur primò, negando consequentiam; nam in opere ex opinione probabili adest periculum peccati, quod non adest in speculatione.

Respondetur secundò, etiam quantùm ad pura speculabilia, si Doctores, qui ex officio docent, tradunt pro probabili id, quod reuera est probabile, nullo modo peccare; nam exinde in Vniuersitatibus institutæ sunt Cathedræ opposita docentium, vt D. Thomæ, Ægidij, Scoti, Durandi, Nominalium, quia vnaquæque sententia ostendi, & defendi potest, vt probabilis. Si autem tradunt pro certo id, quod est probabile tantùm, vel absolutè docent purè probabile relicto probabiliori, nescio, an excusari possint a peccato deceptionis discipulorum; quod videtur innuere D. Bonauentura in 2. dist. 7. ar. 3. qu. 1. nu. 52., & ex eo Fagnanus nu. 113.; verum tamen est, quòd aliqui ex affectu erga suam Scholam, siue Doctorem, vel alia animi dispositione ita afficiuntur, vt eis videatur verum, & certum id, quod reuera est tantùm probabile.

11. Octauum Argumentum. Quando ex duabus opinionibus oppositis vna est probabilis, improbabilis altera, tunc licet sequi probabilem: aliter oporteret sequi improbabilem; ergo semper licet sequi opinionem probabilem. Probatur Consequentia. Quia etiam in illa opinione probabili adest formido de opposito; sed, hoc non obstante, licet tunc eam sequi; ergo semper licebit, &c.

Respondetur negando suppositum: Si enim vna opinio est improbabilis, opposita non est probabilis tantùm, sed moraliter certa ex hoc ipso, quòd illa est improbabilis; vnde non adest tunc formido de oppositio; nec enim formidare possumus, ne peccemus, quia non facimus id, quod est improbabile, licitè fieri.

12. Nonum Argumentum. Si non licet sequi opinionem probabilem, quia adest periculum peccati, neq; licebit sequi probabiliorem, sed omnino tenebimur sequi tutam, idest, eam, in qua nullum adsit periculum peccati; sed hoc est nimis durum; ergo, et. Probatur Consequentia: nam etiam in opinione probabiliori adest formido de oppo-

Digitized by Google

oppoſito; non enim egredimur fines opinionis, quæ ſemper habet formidinem annexam.

Reſpondetur, Nos non dicere, quòd teneamur ſequi opinionem probabiliorem, relicta purè probabili, ſed abſolutè, quòd teneamur ſequi certam moraliter; vnde neque licet ſequi opinionem probabiliorem, ſi ea non ſit moraliter certa; & hoc propter ipſam rationem, quæ in Argumento adducitur. Non dicimus autem, neceſſariò ſequendum tutum, ideſt, in quo nullum omnino ſit, neque ex leui credulitate, periculum peccati; immo dicimus, quòd, ſi doctrina ſit certa moraliter, & rationabilior, quàm tuta in ſenſu explicato, illa potiùs tenenda eſt: oppoſitum enim eſt vitium conſcientiæ ſcrupuloſæ. Exempli gratia; ſi certa moraliter, & rationabilior ſit ſententia, quæ docet, nos non teneri ſub præcepto mortali recitare officium ante Miſſam, non tenemur ſequi opinionem oppoſitam, licèt ipſa ſit omnino tuta; immo rectiùs facimus tenendo illam: tunc enim homo optimè iudicat, quando iudicat iuxta rectam, certamque rationem; ſed, vt ſupponitur, ſententia eximens nos ab illa obligatione eſt certa moraliter, & rationabilior, quàm oppoſita; ergo rectiſſimè tenemus illam, & oppoſitum, vt dixi, dependet ex conſcientia ſcrupuloſa, quæ ſananda eſt, non fouenda. Dummodò opinio, quæ dicitur rationabilior, ſit verè rationabilior .1. per ſuperlationem ad id, quod eſt verè probabile: nam etiam in coniecturis, vna poteſt eſſe maior altera, nec tamen licitum eſt operari ex pura coniectura, etiam maiori.

13. Decimum Argumentum duci poteſt ex authoritate Auguſtini, qui lib. de Adulterijs Coniugijs cap. 26., cùm ſentiat, Cathecumenis in extremo vitæ diſcrimine conſtitutis, qui, vel vi morbi, vel alia de cauſa oppreſſi, nec petere poſſunt Baptiſmũ, nec ad interrogata reſpondere, dandum eſſe illud, quia, inquit: *Multò ſatius eſt, nolenti dare, quàm volenti denegare*, negat eſſe damnandos, qui oppoſitum opinantur, vel faciunt, innixi ſententiæ Chriſti: *Nolite dare Sanctum Canibus*; ergo Auguſtinus permittit vſum opinionis probabilis, etiam contra probabiliorem.

Rurſus; cùm dicit, multò ſatius eſſe baptiſmum nolenti dare, quàm volenti denegare, videtur probare doctrinam plurium Recentiorum, præcipuè Caranuelis, quòd licitè, immo ex debito detur abſolutio Sacramentalis moribundo nulla danti ſigna contritionis; poteſt enim contingere, vt illa adſit, licèt non appareat; atque, etiam ſi neque intus adſit, cùm tamen id ſit incertum, multò ſatius eſt impenitenti dare abſolutionem, quàm pœnitenti negare.

Digitized by Google

Ex quo etiam sequi videtur, maiorem curam habendam esse salutis animarum, quàm dignitatis Sacramenti, ne, scilicet, irritè conficiatur, vel administretur, vel indigno detur. Vnde etiam pariter sequitur, licere Sacerdoti, ei, qui existit in mortali, & agens vltimum spiritum non valet elicere actum Contritionis, vel incertum est, an eliciat, impendere absolutionem Sacramentalem, ne anima eius pereat, quamuis tunc indignè tractari videatur Sacramentum.

Tamdem sequitur, non esse de necessitate sequendum id, quod est certum moraliter, sed sufficere probabilius; Augustinus enim non erat certus moraliter de veritate suæ sententiæ, quandoquidem damnare non audet oppositam, & tamen eam docet sequendam tanquam probabiliorem.

Ad primum Respondetur, Augustinum ibi loqui non de sententia illa, sed de personis secundùm eam operantibus, ait enim: *Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur, agi oportere, ne de pecunia conserua credita improbiùs, quàm cautiùs iudicare voluisse iudicemur. Satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli, vbi dicit: Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus.* Non damnat autem eos, non quia permittat vsum opinionis probabilis contra probabiliorem, sed quia contingere poterat, vt illa sententia ab iis iudicaretur probabilior, quàm sua, aut etiam certa, ex quo iudicio excusarentur à culpa: et quia temerarium, ac superbum visum fuisset damnare oppositum sentientes in re, de qua nullum extabat Ecclesiæ iudicium, aut plurium Doctorum, seu Scholarum præiudicium. Pro sua ergo modestia illos damnare non audet.

Ad secundum Respondetur, illud non sequi. Primò; quia intentio suscipientis Baptismum non est forma, nec materia eius; contritio verò est materia Sacramenti pœnitentiæ; quare, & si licitè detur Baptismus, cùm incerta est voluntas suscipientis, non sequitur, licitè dari absolutionem Sacramentalem, cùm incerta est contritio pœnitentis. Secundò; quia in Cathecumeno vehementer præsumitur intentio suscipiendi Baptismum ex hoc ipso, quòd Cathecumenus est, ideſt, in præparatione ad Baptismum; quòd expressit Augustinus dicens: *Incredibile est, nec in fine vitæ huius Cathecumenum baptizari velle.* At in peccatore moribundo non adest simile fundamentum præsumendi contritionem. Cùm autem dicitur, quòd secundùm Augustinum satius est volenti dare, quàm volenti denegare; Respondetur, Augustinum limitare hoc dictum per verba immè-

Digitized by Google

immediatè sequentia: *Vbi*, inquit, *velit, an nolit sic non apparet, vt tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum, ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit, non oportere, se decorpore exire.* Per quæ manifestè apparet, tunc tantùm secundùm Augustinum satius esse nolenti dare, quàm volenti denegare, cùm ita vehemens præsumptio est, suscipientem velle recipere, vt oppositum sit incredibile, vt ipse supra dixit. Ex quo sequitur, non esse dandum, quando non adest illa præsumptio. Itaque Argumentum est ad oppositum. Vnde nec sequitur, maiorem curam habendam esse de salute animarum, quàm de dignitate Sacramenti: hoc enim peruersum est, quia est anteferre salutem Animæ honori Dei, atque adeò Animam Deo, cùm tamen ipsam salutem animarum propter Deum curare debeamus. Non, inquam, illud sequitur; cùm enim habetur certitudo moralis de intentione suscipientis, certum est etiam moraliter, non esse irritam collationem Sacramenti; & ideo, si conferatur, non despicitur Sacramentum, & saluti animæ consulitur; etenim in omni materia rectè moraliter agimus, quando moralem certitudinem de rectitudine operis habemus, etiam si absolutè opus possit non esse rectum; nam hoc sufficit ad prudenter operandum modo, & possibilitate humana: omnimoda enim certitudo in multis homini est impossibilis. Si autem non sit moraliter certum, Sacramentum validè confici, aut non conferri indigno, tunc non licitè administratur, etiam si exinde salus animæ percipientis prouenire possit; non enim ea licitè procuratur per indignam tractationem Sacramenti.

Quare falsum est, licere Sacerdoti, qui existit in lethali, & nullum elicit actum contritionis, absoluere moribundum; hæc enim est irreuerentia erga Sacramentum, quæ neque per Deum absolui potest a peccato.

Ad vltimum dicitur, Augustinum fuisse moraliter certum de veritate suæ sententiæ dicit enim esse incredibile, vt Cathecumenus in fine vitæ non velit baptizari. Id autem, quod opponitur incredibili, est moraliter certum; nam quod est incredibile non est probabile; oppositum autem eius, quod est improbabile, non est purè probabile, nam amb oppositæ possunt esse probabilia; sed est moraliter certum. Ergo Augustinus erat moraliter certus, quòd Cathecumenus in fine vitæ velit baptizari: siquidem dicit, oppositum esse incredibile; ergo etiam, quòd licitè, immo ex debito si conferatur Baptismus. Ideo hanc sententiam docuit; non damnat autem oppositum sentientes propter rationem, quam supra adduximus.

Digitized by Google

Itaque in Augustini verbis non solùm nihil continetur contra nostrã sententiam, sed ea confirmatur.

14. Supersunt modò Argumenta Caramuelis in Apologemate pro defensione Doctrinæ de Probabilitate. Primum est. Doctrina, quòd in materia conscientiæ non sufficiat opinio probabilis, vel est euidenter vera, vel probabilis; non euidenter vera, quia non demonstrata; ergo probabilis; ergo in materia conscientiæ sufficit opinio probabilis, atque adeo doctrina oppositа destruit seipsam.

Respondetur, ex hoc Argumento innotescere errorem Caramuelis, & cæterorum Probabilistarum, non agnoscentium medium inter probabile, & euidens, cùm tamen admittendum sit *certum moraliter*, tamquam medium inter illa, vt suprà dictum est; ergo doctrina de insufficientia probabilitatis, si non est euidens, est moraliter certa.

15. Secundum. Si non liceret sequi opinionem probabilem, sequeretur valde difficilia, & ferè impossibilia esse Dei præcepta, quod est hæreticum, & damnatum in Iansenio; nam valde difficile, & onerosum esset, in qualibet materia morali inuestigare opiniones probabiliores, vel certas; quare doctrina reiiciens probabilitates est affinis hæresi Iansenianæ.

Respondet Fagnanus ad quintum, & sextum num. 112. debere erubescere, & confundi sic arguentes, quia loquuntur contra authoritatem Scripturarum, Patrum, & Canonum requirentium certitudinem cognitionis in operando. Reuera autem difficultatem illam inuestigandi superarunt plurimi ex Summistis, siue Casuistis, maximè recentioribus, qui operosissimè in qualibet materia inuestigarunt opiniones magis, & minùs probabiles, probabilitatem etiam dantes, vel inuestigantes in iis, in quibus ex natura rei non adest. Vt autem opinor, non maioris laboris est post tantam inuestigationem, docere certas sententias, quàm purè probabiles. Illud reuera difficiliorem reddit doctrinam moralem; quòd tot speculationibus sophisticis, nouis, superfluis, & de longè adductis inuestigari, & muniri cœperunt opiniones libertati, & carni allubentes, relicta puritate, & sinceritate doctrinæ quæ in dictis Patrum, sacrisque Canonibus traditur. Sed, & illud iure est conquerendum, Doctores probabilitatum adeo pertimescere, e via ad salutem reddatur difficilis, nec minimùm verò curare, ne contra sententiam Christi Domini Matth. 7. 14. appareat valde facis, immo ad id omni studio eniti, tot probabilitatibus in omni materia inuentis, & traditis, vt nihil fermè sit, quod non censeatur licitum, adeo vt veren-

Digitized by Google

verendum ſit, ne de Eccleſia Chriſti videatur poſſe dici, quod de Athenienſium Vrbe moribus corruptiſſima dixit ille Spartanus: *Athenis omnia honeſta.* Quod, ſaltem inculcante S. memoriæ Alexandro VII. in proœmio ſui primi Decreti, Probabiliſtæ aduertere deberent.

16. Tertium. Certum eſt, nos poſſe ſequi probabilia, non eſt autem certum, nos debere ſequi certa; ergo, ſi in materia morali debemus ſequi certa, debemus ſequi probabilia.

Reſpondetur, me in his verbis nullam vim argumenti videre, ſed tantùm petitionem principii, & præſumptionem propriæ opinionis, ideſt, quòd opinio Arguentis, ſcilicet, Caramuelis ſit certa, oppoſita verò dubia, vel falſa. Repugnat verò illud Conſequens, quòd, ſi debemus ſequi certa, debemus ſequi probabilia; cùm probabile, & certum contradiſtinguatur. Dicimus ergo, non ſolum non eſſe certum, immo eſſe omnino falſum, quòd poſſimus ſequi probabilia, ſumendo ly *poſſe* pro *licere* iuxta illud: *Id poſſumus, quod iure poſſumus.* Ait enim Auguſtinus lib. 3. contra Academicos, ca. 15. relatus ſupra cap. 2. num. 10. non ſolùm errare eum, qui falſam vitam ſequitur, ſed etiam eum, qui non ſequitur veram. Cùm autem a parte rei vita, quæ non eſt vera, neceſſariò ſit falſa, quia inter illas a parte rei non poteſt cadere medium, oportet fateri, ideo Auguſtinum illa duo diſtinxiſſe, vt doceret, errare etiam eum, qui ſequitur probabile (quod ſequebantur Academici, contra quos ibi arguit); nam probabile iuxta noſtram cognitionem eſt quid medium inter verum, & falſum; errat autem, qui hoc ſequitur, quia non eſt certus, ſe ſequi verum, atque adeo eſt in periculo ſequendi falſum: & hæc eſt vis argumenti illus. Academici enim, & ſi poſſent dicere, ſe non ſequi falſum, quia ſequebantur probabile; non poterant tamen dicere, ſe ſequi verum, quia probabile non eſt verum, vt ipſe Auguſtinus dicit 3. contra Creſconium cap. 75. a Nobis relatus ſupra cap. 1. nu. 5.; non ſequi autem verum errare eſt, ait hîc Auguſtinus: ergo omnino errat Caramuel, dum ait, eſſe certum, nos poſſe ſequi probabile: & reponi ei poteſt, quod ait Tullius in Catone: *Quid ſtultius, quàm incerta pro certis habere, falſa pro veris?*

17. Quartum. Quæſtio præſens eſt, an teneamur ſequi opinionē probabiliorem, an ſufficiat ſequi probabilem; ſed ſententia docens ſufficere ſequi probabile eſt probabilior, quàm oppoſita; ergo eo ipſo, quo ſequimur opinionem probabilem, ſequimur probabiliorē doctrinam; ergo doctrina oppoſita deſtruit ſeipſam. Minor probatur: quia multò maxima pars Doctorum ſequitur illam.

Re-

Digitized by Google

Respondetur primò, Quæstionem non esse de debito sequendi probabile, vel probabilius, sed sequendi certum moraliter per contradistinctionem a quocumque probabili, aut probabiliori tantùm, vt supra dictum est. Respondetur secundò, negando Minorem. Ad probationem dicimus, ex multitudine Doctorum non dari probabilitatem intrinsecam opinioni, sed tantùm extrinsecam, cui longè superfertur probabilitas intrinseca causata ex rationibus; & hæc est in sententia nostra, vltra probabilitatem extrinsecam ex Patribus, & Iuribus. Fundamenta enim sententiæ aduersæ valde leuia sunt & in multis peccant, vt respondendo ostendimus. Sed, & recolendū est illud Exodi 23., quòd diminutè refert Fagnanus: *Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiescas sententiæ, vt a vero deuies.* Doctores enim probabilitatum isto corrupto, & exulcerato sæculo exorti sunt. Corruptio autem morum peruertit iudicium rationis iuxta illud Augustini 3. contra Parmenianum ca. 11.: *Quidquid sceleris, & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem.*

Sed, etsi sententia docens, quòd sufficiat sequi probabile, sit probabilior, quàm opposita, non tamen sequitur, quòd in particularibus materijs, siue casibus, dum sequimur probabile, eo ipso sequamur probabilius; immo hoc repugnat, cùm illa duo, & diuersa sint, & saltem gradu opponantur, sicut calor intensus, & remissus. Nec illa sententia vniuersalis potest particularibus sententijs in particularibus materijs dare maiorem probabilitatem, quàm habeant ex suis particularibus motiuis, siue fundamentis; ex quibus alia possunt esse probabilia, alia probabiliora. Ergo grauiter hic allucinatus est Caramuel.

18. V. Si tenemur sequi certum moraliter, occurrent milleni casus, in quibus homo constitutus erit in necessitate peccandi, ex gr. iacet fidelis moribundus, qui nullo externo signo confessionem petit; quid faciet Parochus? Est enim probabile, quòd illum absoluere non possit; est etiam probabile, quòd sub mortali teneatur absoluere; ergo, siue absoluat, siue non absoluat, peccabit mortaliter: inter hæc autem duo non cadit medium; ergo Parochus erit in necessitate peccandi, nisi vtatur opinione probabili, quòd possit absoluere.

Respondetur primò, ex Argumento inferri, esse necessarium vsū probabilitatum, quod nec ipsi Probabilistæ contendunt, sed tantùm esse licitum, & reuera absurdissimum est præponere probabilitates certitudini. Secundò pro millenis casibus obiectis, vnum afferri.

Digitized by Google

ferri. 3. Illam neceſſitatem peccãdi oriri ex opinione licitæ tunc abſolutionis, & liciti vſus probabilitatum; inde enim ſequitur, neceſſariò tunc dandam abſolutionem ex charitate erga proximum, quia ſupponitur licitè dari; ſi enim hoc non ſupponitur, nulla eſt neceſſitas dandi, immo neceſſitas non dandi: ſed eam dans peccat propter periculum irritæ confectionis Sacramenti, ſi pœnitens dolorem non habeat, vt definitum eſt in hoc Decreto; ergo neceſſitas illa peccandi oritur ex opinione probabili. Ergo dum Caramuel, vt verbis Auguſtini vtar contra Iulianũ, nos territando incautiùs iaculatur, ſuam ſectam lethaliter vulnerauit. Sed qui ex ſua opinione incidit in neceſſitatem peccandi, debet illam deponere, vt neceſſitatẽ euadat; ergo Probabiliſtæ debẽt deponere opinionem de licito vſu probabilitatum. Aſſertores verò certi moralis abſtinent in illo caſu ab abſolutione, certique ſunt, ſe non peccare.

Non deſunt, qui dicant, imminente periculo animæ, Deum diſpenſare ſuper honore ſuo in gratiam animæ, ita vt non imputet ad culpam confectionem Sacramenti cum periculo nullitatis, vel indignam eiuſdem tractationem.

Sed hoc penitus abiiciendum eſt. Nullibi enim reperitur hæc diſpenſatio; & Deus vniuerſa propter ſemetipſum operatur, impium quoque ad diem malum, vt dicitur Prouerb. 16,, ideſt, in ſui honorem, & gloriam. Grauiter quoque reprehendit Heli, quòd in oblatione victimarum magis honoraſſet filios ſuos, quàm ſe, 1. Regum 2. Iſti autem volunt, maiorem curam habendam de ſalute animæ, quàm de honore Dei, non attendentes, curam animæ habendam propter Deum. Conqueritur quoque Malachiæ 1.: *Vbi eſt honor meus?* Nec nos ei, qui bonorum noſtrorum non eget, quidquam conferre poſſumus, niſi honorem, & gloriam.

19. VI. Summus Pontifex in materia fidei, & morum ſequutus eſt opinionem probabilem; ergo licet eam ſequi. Antecedens probatur ex Bullis in fauorem immaculatæ Conceptionis, in quibus permittitur, eam teneri, & doceri; immo feſtum eſt pro ea inſtitutum, cum conceſſione indulgentiarum. Hæc autem eſt materia fidei, quia pertinet ad illud Apoſtoli prima Corinth. cap. 20. *In omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*. Eſt etiam morum, quia reſpicit cultum Diuinum: & tamen de immaculata Conceptione non habetur pluſquàm probabilis opinio. Confirmatur. Quia Thomiſtæ tenentes oppoſitum excuſantur a morte, vt declarant ijdem Summi Pontifices; neque alia ratione, niſi quia ſequuntur proba-

Digitized by Google

babile. Plerumque etiam Pontifices dispensarunt in aliquibus casibus ex probabili opinione, quòd possent.

Respondet Marinarius de Opinione probabili, cap.4. num.7. Pontifices in materia Cõceptionis non esse sequutos purè probabile, sed certum moraliter.

Sed hoc non sufficit: defendendum enim videtur, quòd, etiam si Articulus immaculatæ Conceptionis non sit, nisi purè probabilis, adhuc rectè teneri possit, & de eo festum celebrari; ita enim contingit in plerisque aliis, vt in concessione Scapularis Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo sub spe liberationis a pœnis Inferni, & post mortem a pœnis Purgatorii die Sabbati, de quo tamen non habetur plusquàm probabilis opinio; non enim plus concludit Sebastianus ab Alexãdro Carmelita peculiari opusculo de hac re: similiter in aliis deuotionibus, siue cultibus a Sede Apostol. permissis.

Reuera autem; vel dicitur, immaculatam Conceptionem fuisse moraliter certam ante Bullas Pontificum cultum de ea instituentium, vel redditam certam per eas Bullas. Primum non videtur asserendum; cùm antiquiores, & grauiores Scholastici, immo Scholarum Principes oppositum senserint, adeoque communis esset tunc illa sententia, vt nonnisi pauidè Scotus oppositum pronunciauerit. Neque potest dici secundum; cùm ipsi Pontifices, qui sententiam immaculatæ conceptionis approbarunt, & festum de ea instituerunt, declararint, se nullum intendere prorsus præiudicium afferre opinioni contrariæ, sed relinquere eam in eodem statu, ac terminis, in quibus reperiebatur: Sic enim loquitur Gregorius XV. in Decreto *Sanctissimus Dominus Noster*. Si autem per huiusmodi Decreta, siue Bullas redditus fuisset certus Articulus immaculatę Conceptionis, qui antea erat tantùm probabilis, graue præiudicium illatum fuisset oppositæ sententiæ; reddita enim esset improbabilis, tamquam opposita certo.

20. Igitur est distinguendum: duo enim affirmat sententia de immaculata Conceptione: Alterum, quòd non sit contra Scripturas; alterum, quòd insuper vera sit. Quæ duo non solùm non sunt idem, sed nec se consequuntur; nec enim, si non est contra Scripturas, continuò vera est. Quantùm ad primum, necessariò dicendum est, illud non esse purè probabile, sed saltem moraliter certũ; aliter nõ potuisset pro immaculata Conceptione institui festũ: sicut enim nõ caret peccato facere aliquid de quo probabiliter dubitetur esse peccatũ, ita nec affirmare, aut celebrare aliquid, de quo probabiliter dubitetur, esse cõtra Scripturas, quia hoc est se exponere periculo hæ-

Digitized by Google

lo hæreſis. Igitur hanc moralem certitudinem ſaltem, ſi non maiorem, accepit ſententia immaculatę Conceptionis ex Decretis Pontificum.

Quòd verò ipſa ſententia ſit vera, concedi poteſt, non eſſe redditum certum moraliter ex illis Decretis. Nec enim, ni fallor, alio modo conciliari poteſt fauor Pontificum inſtituentium feſtum de immaculata Conceptione, &, quòd nullum præiudicium oppoſitę ſententiæ ſit allatum ex illo fauore, & inſtitutione.

21. Sed militat Argumentum Caramuelis: Si enim eſt tantùm probabilis veritas immaculatæ Conceptionis, ſequitur, quòd liceat ſequi opinionem probabilem, quandoquidem tota Eccleſia celebrat feſtum de immaculata Conceptione.

Reſpondetur ergo, tunc non eſſe licitum ſequi probabile, quando in eo ſequendo adeſt periculum peccati, vt patet ex omnibus, quæ in ſuperioribus Capitibus dicta ſunt. At ſequendo opinionem probabilem de immaculata Conceptione nullum adeſt periculum peccati; maximè enim adeſſet propter periculum contradicendi Scripturis: ſed iam diximus, hoc periculum non adeſſe; ergo nullum adeſt. Ipſa verò ſententia eſt laudabilis, quia deſcendit ex deuotione erga Beatiſſimam Virginem, & eamdem fouet, exibetque illi cultum ſine vllius præiudicio, vel offenſa, niſi tantùm diaboli. Sicut enim caderet in magnam eiuſdem gloriam, eſſe certò ſine labe conceptam, ita id credere, ex deuotione, ſiue affectu erga eamdem deſcendit; ergo meritò vocatur *Pia*, & recipienda eſt illa ſententia. Hoc autem non ideo dixerim, quia non putem modò, aut non optem, eſſe certum moraliter illum Articulum, quem cupio etiã de fide definiri; ſed quia diluendo Caramuelis Argumento id neceſſarium non eſt.

21. Intelligo, me in ſcopuloſo, ac difficili loco verſari. Ex dictis enim videtur ſequi, eos, qui oppoſitam ſententiam tenent, nempè Thomiſtas, carere pio, ac laudabili erga Deiparam deuotionis affectu, atque adeo, ſi non peccato, ſaltem morali imperfectione teneri. Immo videtur, quòd peccent venialiter, quia Pontifices in Bullis pro immaculata Conceptione eximunt quidem oppoſitam ſententiam a peccato mortali, de veniali verò non loquuntur; ergo, vel videntur indicare, eam labem ineſſe illi ſententiæ, vel ſaltem permittere, vt id dicatur. Sed abſit, vt ego, ne dum peccatum veniale, ſed vel imperfectionem obiiciam grauiſſimo, doctiſſimo, ac ſanctiſſimo Prædicatorum Ordini, qui Beatam Virginem ſpeciali cultu veneratur, ſicut ab eadem ſpecialibus gratijs, etiam poſt exor-

Digitized by Google

tam, auctamque de eius Conceptione controuersiam est decoratus. Tenent illi quidem Patres oppositam sententiam, sed non ex indeuotione erga Virginem; quis enim hoc dicat? Sed quia zelandum putant pro Christi prærogatiua, qui solus, vt Ambrosius loquitur lib. 2. in cap. 2. Lucæ: *Per omnia ex natis de fœmina sanctus est, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cœlesti Maiestate depulerit.* Consimili ratione, qua D Thom. 3. p. qu. 27. art. 3. negat, in eadem Virgine totaliter extinctum fuisse fomitem peccati, antequàm Christum conciperet, quia, licèt hoc, inquit, videatur pertinere ad dignitatem Matris, derogat tamen in aliquo dignitati Christi. Sicut enim nullus adeptus fuit carnis immortalitatem ante immortalitatem carnis Christi resurgentis, ita nullus videtur debuisse liberari secundùm carnem a prima damnatione, ideſt, a concupiscentia, seu fomite peccati, nisi post quàm Verbum Diuinum carnem assumpsit. Zelandum etiam putant pro Christi gloria ex vniuersali redemptione; videtur enim ipsis non redempta Virgo ab eo, qui mundum redemit a peccato, si ipsa, cùm nullum habuerit actuale, saltem originale non contraxit. His enim Argumentis, & ipsi, & antiquorum Scholasticorum plures in eam sententiam inducti sunt: quæ quidem, licèt rectè, & sufficienter a nostris euacuentur, non est tamen negandum, esse probabilia, atque adeo ipsam sententiam; id quod non solum concedit, sed & contendit Caramuel vbi supra. Sicut ergo credentes immaculatam Deiparæ Conceptionem non arguuntur, vel peccati, vel moralis imperfectionis a Thomistis probabiliter iudicãtibus id derogare Christi prærogatiuæ, ita nec huiusmodi defectus obijciendi sunt Thomistis, dum probabiliter pro honore, vt sibi videtur, Christi, non tenent immaculatam Virginis Conceptionem, sed obtemperandum præcepto Apostoli 1. Corinth. 6., ne nos inuicem iudicemus.

Ad aliud Respondeo, non eo fine Pontifices tacere, sed quia sapienter viderunt, si in ea re adesset peccatum, id propter grauitatem materiæ, non veniale, sed mortale fore; ideo, cùm vindicant a mortali, absolutè, & simpliciter a peccato eos absoluisse censendum est.

22. Sed adhuc potest instari; quia saltem adest periculum falsitatis in sententia de immaculata Conceptione, si ea non est plusquàm probabilis.

Respondetur, concedendo periculum, quod non tollitur, nisi per euidentiam, vel per certitudinem fidei diuinæ; vnde etiam, quæ sunt certa moraliter subsunt illi; sed ipsum contemnitur, quia

Digitized by Google

quia adeſt laudabilis, & pius affectus erga Beatiſſimam Virginem, quod bonum longè præponderat periculo illius mali intellectualis.

Quòd autem Caramuel dicit, Articulum Conceptionis eſſe materiam fidei, diſtinguendum eſt. Si enim materiam fidei intelligit, veritatem fide credendam; eſt manifeſtè falſum, cùm talis articulus nondum fuerit a Sede Apoſtolica definitus. Si vero intelligit, eſſe veritatem definibilem de fide, tamquam dependentem a dictis Sacræ Scripturæ, concedendum eſt; ſed de huiuſmodi veritatibus plurimæ adſunt Controuerſiæ, ac proinde opiniones probabiles inter Theologos, quando non conſtat dependentia earum ex principiis expreſſis in Sacra Scriptura; quare nullius momenti eſt illa exaggeratio Caramuelis; quòd etiam in materia fidei Eccleſia ſequitur purè probabile.

23. Quod inſuper ſubdit Caramuel, non ſolùm eſt falſum, ſed etiam præcedentibus eius dictis oppoſitum. Ait enim, Summum Pontificem Alexandrum VII. præcipere in ſua Bulla, ne reuocetur in dubium Conceptio Deiparæ ſine labe. Ex quo infert, a Pontifice diſtingui actum ab obiecto, itaut actus, ideſt, aſſertio immaculatæ Conceptionis ſit prorſus indubius, obiectum verò ipſum, ideſt, Deiparam eſſe conceptam ſine labe, ſit dubium. Vnde putat, egregiè muniri ſuam, ſuorumque Probabiliſtarum ſententiam aſſerentium, operantem iuxta opinionem probabilem eſſe certum de honeſtate formali ſui actus, incertum de obiectiua, ſeu, vt aiunt, materiali.

Falſum, inquam, in primis eſt hoc; Summus enim Pontifex Alexander VII. non definit de fide articulum immaculatæ Conceptionis, immo in ipſo ſuo Decreto vetat affirmari, quòd tenentes oppoſitam ſententiam peccent mortaliter, multò magis, quòd hæreſim teneant; ſed tantùm inhibuit reuocari in dubium voce, vel ſcripto ad euitandas diſſenſiones, & ſcandala, vt patet ex verbis Decreti: eodem modo, ac idem Alexander, & nuper S. D. N. Innocentius XI. inhibuerunt, ne quis defendat, edat, diſputatiuè tractet, aut prædicet, niſi tantùm impugnando, propoſitiones periculoſas, & pernicioſas, quas ipſi damnarunt; qui tamen non inhibuerunt, eas mentaliter teneri, non enim id in ſuis decretis expreſſerunt. Quare, cùm ipſe Caramuel teneat, veritatem immaculatæ Conceptionis eſſe pure probabilem, videat, an cum hoc ſtare poſſit, non licere, neque mentaliter, vocari in dubium. Alexander verò VII. non docuit, actum poſſe eſſe certum de obiecto incerto: etenim

Digitized by Google

hoc repugnat, cùm obiectum dicatur certum a certitudine actus, siue cognitionis, qua attingitur. Certitudo quippe, & incertitudo sunt differentiæ cognitionum, non rerum; quare, rem esse certam non est aliud, quàm certa cognitione teneri; ergo repugnat, actum esse certum, obiectum incertum: sicuti repugnat, actum esse honestum formaliter, & non obiectiuè; cum obiectum dicatur honestum, non vt res, sed vt obiectum, quia, scilicet, actu honesto attingitur, nisi obiectum sit actus etiam; nam quoque honestum & inhonestũ sunt differentiæ actuum, non rerum.

Potest quidem obiectum esse certum in se, idest, adesse in rerum natura eius veritas, & tamen non certò sciri à nobis, quod ad ignorantiam pertinet; & possumus etiam pro certo habere aliquid, quod tamen in rei natura verè non adsit, quod de temeritate opinionis descendit. Sed tamen quidquid pro certo habemus, certum nobis est, licèt in se ipso non sit. Quòd autem dicatur, vel iubeatur, habendam certam cognitionem de aliqua re, vel propositione, & simul dicatur, illam rem, seu obiectum, quod iubetur certò credendum, esse incertum, an sit in rerum natura, non est aliud, quàm præcipere temeritatem, & errorem. Non potuit ergo Summus Pontifex Alexander præcipere, certò credendum articulũ immaculatæ Conceptionis, & simul dicere, non esse certum, quòd illa Conceptio fuerit immaculata. Cùmque permiserit, teneri opinionem oppositam, clarum est, quòd non tantùm non certò tenendum, sed neque tenendum articulum illum iusserit.

Ad aliam probationem, idest, quòd Summi Pontifices plerumque dispensarint ex opinione probabili licitę dispensationis; posset dici cum pluribus, omnia quidem Decreta Pontificum obseruanda, sed non omnia facta probanda. Verùm potiùs asserendum, quòd numquam dispensarint, nisi certi moraliter, id sibi licere: quãuis fortè non semper id ex ratione cognouerint, sed fidem quandoque adhibuerint doctissimis, ac pijs viris, qui id asseruerint; nam, & ex testimonio talium causatur certitudo moralis.

24. VII. Adam, & Eua in statu innocentiæ operati sunt ex opinione probabili, & inde excusantur a culpa; ergo licet operari ex opinione probabili: Antecedens ostendit primò Caramuel in Eua; quia verba Domini de morte sequutura ex peccato intellexit, non assertiuè, sed comminatoriè, cùm tamen assertiuè dicta fuerint; nec tamen Eua fuit infidelis, quia probabile erat, ea dicta fuisse comminatiuè. Secundò in Adam; quia, inquit, Adam ante peccatum comestionis peccauit ex nimio amore erga Euam, voluitque ni-

Digitized by Google

nimium illum amorem, etiam præuiſum, vt cauſam lapſus, ſeu alicuius inconuenientis; ſed quia probabiliter putabat, illum amorem, licèt nimium, non eſſe grauiter periculoſum, nec futurũ cauſam ruinæ, atque adeo non excedere materiam peccati venialis, ideo excuſatur a mortali.

Reſpondetur, hiſtoriam hanc de modo, quo peccauerint noſtri protoparentes, eſſe ipſius Caramuelis inuentum; neque enim ita traditur in Scriptura; & eſſe inſuper improbabilem. Primò enim in noſtris protoparentibus ante lapſum non fuit, nec potuit eſſe opinio, ideſt, aſſenſus ad purè probabile, ſed tantùm aſſenſus ad verum, vt docet D. Thomas qu.18. de Verit. ar.6.; ſi enim potuiſſet in eis eſſe opinio, potuiſſet etiam eſſe falſa opinio, quia opinio eſt contingens ad verum, & falſum; falſa autem opinio eſt corruptio boni intellectualis, & in ſtatu integritatis neque corruptio boni corporalis poterat ineſſe, neque ſenectus, vt docet Auguſtinus primo Retractat. cap.11., & patet ex terminis. Stoici, neque in hac corruptione naturæ docuerunt, in hominem ſapientem poſſe cadere opinionem, quæ affert ſecum periculum erroris, vt refert Tullius pro Muræna. Opinari enim eſt putare, ſe ſcire, quod neſcit, ex Auguſtino de Mendacio cap.2.; id autem error eſt, quia eſt habere incognitum pro cognito, vt idem ſubdit; ſed in ſtatu integritatis nullus poterat eſſe error; ergo neque opinio. Secundò, propter eamdem rationem non poterat in ipſis eſſe peccatum veniale, quod etiam docet D. Thom 1.2. qu.89. ar.31.; nec ſanè profert Caramuel, vnde habeat, quòd Adam ante lapſum habuerit erga vxorem nimium affectum, neque vnde ſciat, affectum illum fuiſſe venialiter tantùm peccaminoſum, & non mortaliter; nam Scotus nimium amorem Angeli erga ſeipſum putat fuiſſe mortalem. Tertiò; nec ſimiliter docet, vnde habeat, quòd Adam præuiderit, ex nimietate ſui amoris aliquem lapſum, aut inconueniens ſequuturum; &, quòd inſuper voluerit illum amorem etiam præuiſum, vt cauſam talis lapſus, ſiue inconuenientis. Quartò; nec docet, vnde habeat, quòd Eua intellexerit verba Domini comminatiuè, non aſſertiuè; & vnde illi probabile fuerit, quòd ea fuerint tantùm comminatoria; ſi enim nullum fundamentum huiuſce ſuæ credulitatis habuit, iam non fuit illi probabile, ſed tantùm imaginatum. Quintò. Nec etiam, vnde habeat, quòd Adam probabiliter iudicauerit, nimium ſuum amorem erga Euam futurum ſibi cauſam lapſus, non grauis, ſed leuis. Omnia hæc ſunt inuenta, ne dicam figmenta Caramuelis, quæ ſaltem ab ipſo, vt certa produci, vel ſupponi non debuerunt. Ex com-

Digitized by Google

communi autem Patrum, Interpretumque sententia, peccarunt Adam, & Eua ex elatione animi, qua noluerunt subiacere diuino præcepto; quam elationem subsequuta est experiendi cupiditas. De qua re sufficiat videre Augustinum 11. de Genesi ad litt.cap.5. & D. Thom.1.2. qu.89. ar.3.

25. VIII. Angeli operantur iuxta opinionem probabilem, & inde excusantur à culpa; ergo idem licebit hominibus. Antecedens probat Caramuel ex pugna Angelorum Danielis 10. vbi habetur; *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus.* Et deinde: *Michael venit in adiutorium meum.* Quod hac ratione factum esse, ait Hugo de S. Charo, & alii; quia Angelus Persarum nolebat, Iudæos exire de Persia, vt populus Persarum per eos in fide vnius Dei edoceretur: Angelus Græcorum volebat, Iudæos transferri ad Græcos, vt ibi cultum vnius Dei propagarent: Angelus verò Hebræorum, eos a captiuitate liberari cupiebat, ne ex Ethnicorum consuetudine corrumperentur in moribus; ignota autem illis de hac re erat voluntas Dei; & Angeli Græcorum, & Persarum de facto voluerunt id, quod Deus nolebat; Deus enim volebat Iudæos liberari ex captiuitate, & redire ad propriam regionem, vt apparuit ex facto. Cur ergo (inquit Caramuel) non peccarunt Angeli, volentes oppositum eius, quod volebat Deus? Quia, inquit, ignorantes inuincibiliter voluntatem Dei, habebant argumenta grauia, & probabilia, quibus suam opinionem fundarent, scilicet, quòd Deus vellet id, quod volebant ipsi. Ego non peecarunt, quia sequuti sunt probabile; & fortè opinio vnius erat probabilior opinione alterius, & tamen nullus peccauit; ergo non tantùm licet sequi probabile, sed etiam relicto probabiliore.

26. Respondetur, non ideo illos Angelos non peccasse, quia sequuti sunt probabile, sed quia vnusquisque operatus est, vt suo muneri congruebat, procurando bonum, maximè spirituale, gentis sibi in custodiam traditæ; & hoc, etiam concesso toto eo, quod assumit Caramuel. Sicut non peccat filius, qui Patri ægrotanti infert medicos, & medicamina, de quo tamen Deus decreuit, vt moriatur; neque ideo non peccat, quia habet probabilem opinionem de decreto oppositio Dei. Quod enim fundamentum huiusce probabilitatis, vel credulitatis? & supponimus nullum haberi. Sed non peccat, quia operatur iuxta pietatem filialem; vnde fortè, etiam si sciret decretum Dei de morte Patris, non peccaret, immo rectè faceret procurando vitam, & salutem eius, dummodò a Deo non esset ei præceptum oppositum. Plerique enim Sancti nouerunt diem

montis

Digitized by Google

mortis suæ, Deo illis reuelante, & tamen medicamina pro incolumitate sumpserunt. Nulla ergo est necessitas adstruendi opiniones probabiles in Angelis de voluntate Dei circa libertatem, vel captiuitatem Iudaicam, vt excusentur a culpa; qui non tantùm excusandi, sed etiam laudandi sunt, quòd iuxta voluntatem Dei, qui eos illis gentibus præposuerat, earumdem procurandæ saluti vigilantissimè incumberēt. Cùmque Caramel non explicet fundamenta huiusmodi Angelicarum probabilitatum, non sanè opiniones probabiles, sed puras, & gratuitas imaginationes illis tribuit, vel potiùs totum factum est pura imaginatio Caramuelis. Absolutè autem non cadit opinio probabilis in Angelos, vt docet D. Thom. 2. sent. dist. 11. ar. 5. vbi quærit: *An in Angelis possit esse pugna*; propter eamdem, immo fortiorem rationem, qua nos id supradiximus de Adam, & Eua in statu integritatis.

Quantùm verò ad pugnam, quæ refertur Danielis 10., ea non aliud fuit. quàm relatio contrariorum meritorum, vt ait D. Thom. loc. cit. *Contingit enim*, inquit, *quandoque, vt in diuersis gentibus inueniantur diuersa merita secundùm quorum diuersitatem videatur, quòd vna gens alteri subesse debeat, vel ab eius dominio liberari; sicut tunc in Iudæis erat, quia Danielis oratio, quantùm in se erat, liberationem populi merebatur, sed peccata populi, & etiam vtilitas, quam Iudæi faciebant in Regno Persarum, dum per eos notitia Dei diffundebatur, erat in contrarium. Et quia vnusquisque Angelus secundùm officium suum ad examen diuinæ scientiæ referebat merita subditorum, ideo relatio contrariorum meritorum per diuersos Angelos facta pugna inter Angelos vocatur.* Hucusque D. Thomas. Ex quo apparet, sine vlla necessitate, aut fundamento, immo contra rationem a Caramuele inductas in Angelis oppositas opiniones probabiles, quibus innixi non peccatent.

Nonnulla alia Caramuelis Argumenta ex dictis facillimè solui possunt.

27. Vlteriùs obiicit Madernus tract. 5. de Actibus humanis quæst. 4. art. 8. num. 2. Quia, Machab. 2., aliqui, ne violarent sabbatum, maluerunt mortem subire, quàm pugnare; at Machabæi decreuerunt pugnare, ne tota gens periret. Ecce, inquit, apud vtrosque erat probabilis opinio; & tamen Machabæi propriam sequentes opinionem probabilem, non peccarunt pugnando; ergo, &c.

Respondetur, Machabæos non purè probabile, sed certum moraliter sequutos, pugnando etiam die Sabbati, ne gens, & sancta pe-

Digitized by Google

cta perirent; vt enim ait Christus ipse Matthæi 13. Archysinagogo indignanti, quòd curasset in die Sabbati: *Vnusquisque vestrum non soluit bouem suum, aut asinum a præsæpio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas ecce decem, & octo annis, non oportuit solui a vinculo isto die Sabbati?* Quo ostendit, non potestate, qua supra legem erat, sed rationabili, veraque intelligentia legis (dixerat enim: *Non veni legem soluere, sed adimplere*) se licitè curare in die Sabbati. Si autem Sabbato licebat curare, cur non etiam pugnare ad tuendam vitam? Certè adhunc finem Iudæi manducabant die Sabbati; cur ergo illicitum putarent repugnare hostibus, vt vitam, & sancta defenderent? Defensio licet de iure naturæ; cui iuri præiudicare non poterat præceptum positiuum de Sabbato seruando. Itaque ex parte eorum, qui pugnandum non putabant, error erat ex nimio timore, & non recta intelligentia legis descendens, in Machabæis certitudo moralis, in nullo opinio probabilis.

28. Obiicit secundò. Quia Ecclesia permittit, Grecos vti suis opinionibus, qui nec conferunt ordines Minores, nec habent Subdiaconatum pro ordine sacro, nec vtuntur materiis Latinorum in collatione ordinum, sed impositione manuum; non consecrant in azymo, & pleraque Latino ritui opposita faciunt; ergo Ecclesia iudicat, licitum esse, vti opinione probabili.

Respondetur, hoc Argumento probari, quòd etiam in administratione Sacramentorum liceat vti opinione probabili de valore Sacramenti, quod damnatur a S. D. N. Innocentio XI., & ipse Arguens negat eadem quæstio. art. 14. conclusione 1. & 2. Dicitur ergo primò, quòd, vt supra dictum est, licet vti opinione probabili, cùm non adest periculum peccati. Secundò, quòd vbi non est lex, nec præuaricatio, Rom. 4. Tertiò, quòd permissiio non semper indicat actum permissum non esse peccatum, sed tantùm non punit, nam peccata permittutur, bona verò, vel præcipiuntur, vel prohibentur. Ea ergo, quæ Ecclesia Græcis præter, vel contra Latinum ritum permittit, vel talia sunt, in quibus non adest peccatum; vel talia, de quibus ipsis non est imposita lex; vel permittit non castigando, non verò approbando, seu iustificando a peccato. Quæ dixerim, quia de singulis allatis in Argumento longum esset differere.

Sed Arguens illud maximè debebat attendere, quòd Græci, quamuis non seruantes ritum Latinorum, validè conferunt ordines; opinio autem probabilis, licèt, vt ipse vult, excusetoperantem

Digitized by Google

rantem a culpa, non tamen præſtare poteſt, vt actus fiat validè; hoc enim dependet ex natura rei, vel inſtitutione; nam opinio probabilis medici de medicamine profuturo præſtare non poteſt, vt medicamen reuera profit; ſi ergo Græci validè conferunt ordines, quamuis nec materia, nec ritu vtantur Latinorum, inſpicere debebat, non poſſe id ex probabilitate opinionis deſcendere, ſed quia materia, quam adhibent Latini, non eſt in ſpecie determinata a Chriſto, ſicut nec ritus; ergo eo Argumento vtendum non erat. Videri poteſt Bellarm. lib. 1. de Sacram. ord. cap. 9.

29. Obiicit tertiò. Iudices ſæpè iudicant ex ſolis præſumptionibus, cap. *Litteras* de Præſumptionibus: cap. *Excommunicamus* §. *Qui autem*, de Hæreticis, & cap. *Is qui Fidei* de Sponſalibus; & tamen præſumptio, & ſi vehemens, violenta, aut violentiſſima, non facit niſi probabilitatem; ergo licet ſequi probabile.

Reſpondetur, poſſe iudicari ex ſolis præſumptionibus, ſi ipſæ ſint violentæ; vt patet ex cap. *Afferte* de Præſumptionibus, & ex Gloſa ibi, & ex cap. *Litteras* eodem titulo; & nos notauimus ſupra cap. 5. num. 9., ſed falſum eſt, quod ait Arguens, immo videtur implicare contradictionem, quòd, ſcilicet, præſumptio, etiam violenta, & violentiſſima non faciat, niſi probabilitatem; nulla enim purè probabilis ratio violentat ad aſſenſum; talis ergo præſumptio facit certitudinem moralem. Sed Doctores Probabilitatum non ſolent diſtinguere probabile, niſi ab euidenti: nec agnoſcunt certum moraliter, quod tamen maximè in hac quæſtione cognoſcendum, & diſtinguendum eſt. Caput *Litteras* dicit potiùs oppoſitum eius, quod intendit Arguens: ſic enim habet: *Quò circa mandamus, quatenus, cùm propter ſolam ſuſpicionem quamuis vehementem, nolumus illum de tam graui crimine condemnari, talem, & tantam ſecuritatem recipiatis ab ipſo, &c.* Vbi patet, Pontificem inhibere; *ne iudicium in ea cauſa feratur ex ſola ſuſpicione, quamuis vehementi*. Item in Cap. *Excommunicamus: Qui autem inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi iuxta conditionem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint, anathematis gladio feriantur: ita quòd, ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur*. Vbi Gloſa: *Sola ſuſpicio, ſiue præſumptio purgationem inducit, quod, ſi non faciat, punitur; & intellige, quòd ſit probabilis præſumptio, ſiue ſuſpitio, aliàs non indiceretur purgatio*.

32. Quòd ſi arguens, eo quia propter ſuſpicionem indicitur purgatio, vel requiritur ſecuritas, infert, fieri iudicium ex ſola pro-

Digitized by Google

babilitate, non rectè infert; aliud enim est, propter suspicionem iudicari aliquem esse reum de eo crimine, de quo est suspectus: aliud, propter suspicionem indici, vt se purget ab ea, & nisi se purgauerit, subeat aliquam pœnam: non enim hoc est iudicare illum reum de crimine, de quo est suspectus; sed rectissimè propter suspicionem indicitur purgatio, & non se purganti infligitur pœna; nam suspicio ipsa euidens supponitur, & est culpa, vel eam supponit, non se purgare. Cæterùm, cùm suspicio longè minor cognitio sit, quàm probabilitas, vt supra cap.5. num.8. dictum est, omnino non potest ferri iudicium ex ea sola, nisi sit violenta, quæ facit certitudinem. In cap. verò: *Is, qui Fidem* definitur, quòd is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, seu, cum ea contraxit per verba de futuro, & cum eadem habuit copulam, si postea in facie Ecclesiæ ducat aliam, & cognoscat, tenetur redire ad primam, quia adeo vehementer præsumitur iniisse cum ea matrimonium, vt non admittantur probationes in contrarium; quia, vt ait Glossa, talis præsumptio est iuris, & de iure, aduersùm quam non admittuntur probationes in foro externo. Sed hoc non est iudicare ex qualibet suspitione, sed ex vehementi, siue violenta, quæ non facit purè probabile, immo moraliter certum. At in foro conscientiæ, quod solùm veritatem intuetur, nec innititur præsumptionibus, si ille reuera non contraxit matrimonium cum prima, sed cum secunda, ad hanc licitè accedit, non ad primam.

31. Sed fortè aliquis dicet: In cap *Afferte*, & in cap.: *Is, qui Fidem* fit iudicium ex præsumptionibus violentis: at in cap. *Litteras* Pōtifex inhibet iudicari, seu, condemnari ex suspicione, quamuis violēta; ergo ista iura sunt ad inuicem contraria.

Hæc quidem difficultas non facit ad præsentem quæstionem de licito, vel illicito vsu probabilitatum: potest videri Glossa in cap. *Excommunicamus* §. *Qui autem* de Hæreticis.

32. Obiicit quartò. Quia in cap. *Inquisitioni* de sententia excommunicationis dicitur, quòd is, qui credit credulitate probabili, quamuis non euidenti, & manifesta, se contraxisse cum impedimento, *debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam.* Ex hoc, inquit, deduco: si est probabile, quòd adsit impedimentum, propter quod non potest reddere, erit etiam probabile, quòd non adsit, propter quod potest petere; ergo licet sequi probabile; quia ex probabilitate, quòd non adsit impedimentum,

Digitized by Google

tum, excuſatur a culpa reddens debitum, aliter peccaret mortaliter accedendo ad non ſuam.

Reſpondetur, Arguentem facillimè potuiſſe videre, quòd, ſi mera probabilitas de nullitate impedimenti, faceret licitam redditionem debiti, faceret etiam licitam petitionem; quod Pontifex negat. Quare e contrario, quia Pontifex negat, in eo caſu eſſe licitam petitionem, inferendum eſt, non licere vti opinione probabili, vt Nos ſupra deduximus cap. 3. num. 13. Non ergo opinio probabilis de nullitate impedimenti, ſed certitudo, quòd in dubio nullus eſt ſua poſſeſſione ſpoliandus, facit tunc licitam in viro redditionem; quia, ſcilicet, vxor, quæ non dubitat, eſt in poſſeſſione ſui iuris ad exigendum, ideoque vir, non ſolùm poteſt, ſed tenetur reddere; ſi autem illud naſceretur ex probabilitate illa, vir, & ſi poſſet, non tamen teneretur reddere; quia nec ipſi Probabiliſtæ dicunt, nos teneri ad ſequendum probabile, ſed tantùm poſſe. Atque id mirum eſt, Arguentem non aduertiſſe. Si autem, & mulier dubitarer, nec ipſa poſſet petere, atque adeo nec vir reddere. Atque id luculenter expreſſit Pontifex, dum ait: *Ne in altero, vel contra legem coniugij*, ideſt, in non reddendo contra ius coniugis, cui tradidit poteſtatem in corpus ſuum, *vel contra iudicium conſcientiæ*, ideſt, in petendo cum conſcientia dubia de impedimento, committat *offenſam*. Ex quo euidenter ſequitur, quòd probabilitas, quæ ſtat cum dubio de nullitate impedimenti, non præſtat, vt coniux dubitans poſſit exigere debitum, atque adeo, quòd non liceat vti probabilitate.

Obiter hic adnotauerim, quòd Arguens infert eam Conſequentiam: Si probabile eſt, quòd adſit impedimentum, erit etiam probabile, quòd non adſit. Quam tamen ipſe art. 12. eiuſdem quæſt. num. 4. reprehendit in Caramuele pariter arguente: Si probabile eſt, aliquem peccaturum, probabile quoque eſt, ipſum non peccaturum.

33. Poteſt quoque adduci Innocenti. 3. cap. *A nobis il 2.* de Sententia Excommunicationis, vbi ſic loquitur: *Iudicium Dei Veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: iudicium autem Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam, & fallere ſæpe contingit, & falli.* Ergo licet ſequi opinionem probabilem, cùm eam nōnumquam ſequatur etiam iudicium Eccleſiæ.

Reſpondetur primò, quòd, vt ait Auguſtinus 11. Confeſſ. c. 4. *Scientia noſtra ſcientiæ Dei comparata, ignorantia eſt.* Rectè ergo Innocentius comparans iudicium Eccleſiæ ad iudicium Dei dicit, Eccle-

Digitized by Google

siam sequi opinionem: potuisset enim quoque dicere, quòd sequatur ignorantiam, etiamsi nedum certitudinem moralem, sed etiam naturalem euidentiam sequeretur.

Respondetur 2. Innocentium loqui de illo iudicio Ecclesiæ, quo ex externis iudicat interna (loquitur enim de moriente in excommunicatione, pro quo Ecclesia non orat publicè, quamuis ille fortasse apud Deum sit absolutus) quod quidem contingit aliquando falli; vt, cùm quis fictè dolens, vel insufficienter, creditur verè, & sufficienter dolere de peccatis, a quibus absoluitur. Verùm non propterea Ecclesia, siue Sacerdos operatur ex probabili, immo ex certo; quia certum est, exhibenti signa doloris in confessione impendendam absolutionem: in hoc enim principio fundatur iudicium de absolutione danda, non in cognitione probabili de vero, & sufficienti dolore confitentis. Itaque habet Ecclesia, sicut omnes homines, cognitiones, siue opiniones incertas, & dubias, sed numquam operatus ex incerto; immo neque suis opinionibus adhæret, vt certis; sed in ipsis dubiis operatur, quod certò in illis nouit operandum; quamuis, si sciret veritatem, non illud operaretur, quia nec illud esset operandum; & propterea dixit Innocentius, quòd iudicium Ecclesiæ nonnumquam sequitur opinionem, ideſt, operatur in opinione constituta, sed tamen non operatur id, quod ex opinione, sed quod ex certiuudine nouit in ea esse operandum.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO II.

Contra Propositionem Quintam.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

CAPVT I.

Ostenditur falsitas Propositionis.



IVM Propositio non ab omni, sed tantùm a peccato mortali excusetelicientem semel tantùm per totam vitam actum dilectionis Dei, ex se ipsa præfert, præceptum illius dilectionis obligare plusquàm semel; veretur tamen, ne audax sit proferre, quòd semper obliget sub mortali, vnde indicat, quòd semel tantùm sub mortali, aliis verò vicibus obliget sub veniali. Quare videndum est primò: An possit idem præceptum naturale pro vna vice obligare sub mortali, pro aliis sub veniali.

Et statim patet, quòd non. Quis enim dicat, vna, vel prima vice esse mortale furari, occidere, fornicari, idola colere, aliis veniale? Aut, si illud volunt verificari tantùm in peccatis contra præcepta affirmatiua, non contra negatiua, ideſt, in omissionibus, non in commissionibus; primò id ad libitum, & sine fundamento dicitur. Secundò: Præcepta audiendi sacra in festis, & communicandi in Paschate affirmatiua sunt, & neque Diuina, aut naturalia, sed humana; & tamen eorum omissio semper est moralis. Tertiò: Eadem est ratio de vtrisque; grauitas enim, vel leuitas materiæ distinguit peccatum in mortale, & veniale; & repetitio actuum, vel successio temporum non transfert materiam de graui in leuem, aut è contra (non enim, qui pluries mentitur, peccat mortaliter in postremis

Digitized by Google

mis mendaciis .) Ergo siue præcepta sint affirmatiua, siue negatiua; dum eis subest eadem grauitas, vel leuitas materiæ, semper obligant respectiuè sub mortali, vel veniali; nec potest in materia graui dari transgressio leuis, nisi ex imperfectiore actus, siue deliberationis; nec in leui, mortalis, nisi ex prauitate intentionis constituentis in illa vltimum finem, vel ordinantis illam ad mortale, vt docet D. Thomas 1.2. qu.88. art.2., & 22. qu.35. art.3. Potest quidem in aliquo casu cessare obligatio præcepti, vel ex impotentia ad obseruandum, vel ex concursu præcepti fortioris incompossibilis cum illo; at vigente præcepto, maximè naturali, posse eius transgressionem de mortali diminui ad venialem, omnino absurdum est, cùm non minuitur grauitas materiæ. Multò autem absurdius, quòd prima, vel vnica vice obliget sub mortali, cæteris sub veniali; non enim, vel tractus temporis minuit vim præcepti, vel muliplicatio transgressionum grauitatem earum, quin potiùs auget tamquam repetita contumacia, & obfirmata malitia. Cùm ergo præceptum dilectionis Dei naturale sit, & in materia omnium grauissima, vt pote de tendentia in vltimum finem, ex qua cæterorum motuum rectitudo dependet (qui enim non graditur ad finem, non potest rectè incedere) & non obliget pro vna vice tantùm, vt Propositio ipsa supponit, neque pro vna vice tantùm obligat sub mortali.

2. Potest fortasse voluntate Superioris ita imponi præceptum, vt pro prima, vel vna vice obliget sub mortali, cæteris sub veniali; quamuis nec id difficultate careat; quia, si materia præcepti est grauis, transgressio ex natura rei est mortalis; si autem est leuis, plurium est sententia, non posse præcipi sub mortali. Sed admissa illa possibilitate, adhuc ea non potest habere locum in præceptis positiuis, nisi in materia ex se indifferente; & requiritur specialis declaratio. At in præceptis naturalibus, quæ desumuntur ex ordine rerum, seu in illo fundantur, non potest id contingere, nisi idem ordo modò sit grauis, modò leuis, id quod saluis naturis rerum accidere non potest: & in aliquo ordine, nempe vniuersali, aut essentiali, aut supremo neque per Dei potentiam absolutam fieri potest. Talis est ordo bonitatis, atque adeo amabilitatis inter Deum, & creaturas: Cùm enim Deus excedat bonum cuiusque, & omnium creaturarum simul, immo in infinitum excedat, hinc est, vt creatura amare debeat ipsum supra omnia, & supra se ipsam; atque id immutabile est, sicut immutabilis est ipsa Dei bonitas. Cùmque amor ille sit fundamentum, & initium vitæ spiritualis, & iuxta rectam

Digitized by Google

rectam rationem, vt patet, & habet D. Thomas 1.2. qu.12. art.5. & qu.88. art.2., ſequitur, quòd res grauiſſima ſit, neque cadens ſub leui obligatione, vel præcepto; ergo, cùm obligat, obligat ſub mortali.

3. Quia autem dici poteſt (quamuis Propoſitio id non dicat) præceptum illud obligare pro vna vice tantùm, probatur oppoſitum, nempe obligare per totam vitam, ſeu ſemper, in ſenſu tamen mox explicando.

Primò. Quia Lex diuina dirigit actus per totam vitam: *Lex. n. dominatur in homine, quanto tempore viuit*, Rom.7.; ſed vniuerſa Lex continetur in præcepto dilectionis, Matthæi 22. Lucæ 10, & Rom.13. ergo preceptum illud obligat per totam vitam.

2. *Qui non diligit, manet in morte*, prima Ioannis 3.; ſed non licet manere in morte; ergo ſemper tenemur diligere. Hinc idem Apoſtolus vnicũ illud ſemper ſuis inculcabat diſcipulis: *Filioli diligite alterutrum; quia*, ſubdebat, *præceptum Domini eſt, & ſi ſolùm fiat, ſufficit*; vt refert Hieronymus Com. ad Galat lib.3.cap.6.

3. Omnia præcipiũtur propter charitatẽ, vel acquirendã, vel ſeruãdã, vt patet ex Euangelicis, & Apoſtolicis litteris; ergo ideo cætera præcepta obligãt, quia obligat præceptũ charitatis; ſed aliqua præcepta per totam vitam obligant, vt præcepta negatiua, ergo præceptũ charitatis ſemper obligat. Ideo Chriſtus dixit, illud eſſe ſuum præceptum, vt diligamus, Ioann. 11. quia .s. in omnibus præceptis illud obligat, propter quod cætera ſunt data.

Explicatur magis hoc Argumentum. Qui non eſt in charitate, neceſſariò, vel peccat, vel eſt in ſtatu peccati; ſed tenemur pro ſemper abſtinere a peccato, & eſſe extra ſtatum illius; ergo pro ſemper tenemur eſſe in charitate. Maior patet. Quia non poteſt arbor mala bonos fructus facere, ſicut nec bona malos Matth.7., arbor autem bona eſt charitas, & mala cupiditas ex Auguſtino de Gratia Chriſti cap.20., & etiam ex ratione, quia aliud non poteſt aſſignari. Vbi autem non eſt charitas, neceſſariò eſt cupiditas; tum quia charitas non niſi cupiditate amittitur; tum quia neceſſariò aliquis amor debet regnare in corde, aliter remaneret ſine affectibus, atque adeo ſine operationibus, nam hæ dimanant ab affectibus, & & omnes affectus ab amore. 12. qu.25. art.1., & qu.28. ar,6. Si ergo in eo non eſt charitas, ideſt, Amor Dei ſuper omnia, neceſſariò adeſt cupiditas, ideſt, amor creaturæ; ergo neceſſariò peccat; quia cupiditas eſt arbor mala, quæ non poteſt bonos fructus facere. Quòd autem non habens charitatem ſit in ſtatu peccati, manifeſtum eſt, quia

Digitized by Google

quia non est in gratia; charitas enim, vel est ipsa gratia, vel ab ea inseparabilis; & hæc quidem argumenta probant necessitatem habendæ charitatis, siue in actu, siue in habitu, quo sensu dicimus, præceptum charitatis semper obligare.

4. Quòd autem actus charitatis sæpiùs sit eliciendus, probatur primò. Quia tenemur abstinere a peccatis ex amore Dei, sed occasiones peccandi sæpissimè per totam vitam occurrunt; ergo sæpissimè tenemur elicere actum dilectionis, vt possimus ab illis abstinere. Qui enim semel tantùm in vita illum elicit, non potest nisi valdè exiguo tempore, idest, quamdiu ille durat, vel formaliter, vel virtualiter ex vi illius abstinere a peccatis. Sicut ergo, cùm insurgunt tentationes carnis, vel eæ timentur, tenetur homo ad eas compescendas per ieiunia, aut alias mortificationes se munire, vt communiter dicitur; ita debent se munire per actus dilectionis Dei cõtra quamlibet tentationem ad lethalia, quia ex amore Dei euitanda sunt.

Scio Maiorem a plurimis Recentiorum non admitti, putantibus sufficere, si abstineatur ex motiuo turpitudinis peccati, vel decore virtutis, vel timore gehennæ. Tamen probatur.

Primò. Quia solùm Deum tenemur habere pro nostro vltimo fine obiectiuo, sicut ipse tantùm re vera est, non nosmet ipsos, non decus virtutis, non operationes, aut delectationes, non vllam creaturam; aliter possemus absque peccato, immo rectè diligere creaturam plusquàm Deum. Si autem virtus esset vltimus noster finis, essent ei erigenda templa, consecrandi Sacerdotes, offerenda sacrificia, vtpote cui, (quod maius est) dicatum esset templum nostri cordis, & affectuum sacrificia oblata. Quod ne Romani quidem, nisi post longa tempora, fecerunt, vt obseruat Plutarchus libro de virtute, vel fortuna Romanorum, quamuis innumeris Diis, ipsique fortunæ, (quæ procul dubio est virtuti postponenda) templa dicassent. Essent quoque virtutis Martyres, qui pro aliquo eius actu asserendo, vel vitio declinando cruciatus, vel mortem substinuissent. Veræ autem virtutes Deo seruiunt in hominibus, & Angelis, a quo ipsis donantur, vt ait Augustinus 19. de Ciuit. cap. 25. Igitur superbissimæ Stoicorum sectæ fuit, habere virtutem pro vltimo fine; qui tamen re vera non illam, sed seipsos habebant vltimum finem; eam enim diligebant, tamquàm sui ornamentum, & gloriam.

Cuius autem respectu abstinemus a peccato, ipse vltimus finis a nobis habetur: cùm enim per peccatum auertamur ab vltimo nostro fine, cuius gratia nolumus auerti, ipse vltimus noster finis est.

Et

Digitized by Google

Et nullo modo euidentiùs oſtendi poteſt, vbi vltimum noſtrum finem conſtitutum habeamus, niſi, cùm, ne ipſum amittamus, abſtinemus a peccato. Scientes enim, nos peccato auerti a Deo, dum non ne auertamur ab ipſo, (cùm eius habetur memoria) ſed ab alia re, fugimus peccata, non Deum, ſed aliam illam rem habemus pro vltimo fine, ſeu Deo; ergo tenemur propter Deum abſtinere a peccatis, aliter non Deum, ſed illam rem habemus pro vltimo noſtro fine, propter quam ab illis abſtinemus.

Secundò. Illud eſt diſcrimen inter pertinentes ad vetus teſtamentum, & pertinentes ad nouum; quòd illi legem ſeruant ex timore, hi verò ex amore; vnde ipſius vtriuſque teſtamenti differentia dicitur breuis, Timor, & Amor, nouumque teſtamentum dicitur ſcriptum in cordibus per charitatem diffuſam, iuxta illud Ieremiæ 31. 33., vbi promittitur gratia noui teſtamenti: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*; cùm lex vetus ſcripta eſſet in tabulis lapideis. Hoc ipſum habetur ex Apoſtolo Rom. 8.: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*; & docet Auguſtinus de Spiritu, & littera cap. 25., & ſermone 21. de Verbis Apoſtoli, & alibi ſæpè, & communiter Patres. Idipſum docet D. Thomas 2.2. qu. 106. ar. 1., & 2. Hinc pertinentes ad vetus teſtamentum non ſeruant legem, niſi fortè exteriùs, quia non ſeruant generale illud præceptum: *Diliges*; ergo ſaltem peccata vitare debemus ex amore Dei; aliter nullo modo apparet, quomodo Lex noua ſit Lex Amoris. In humanis, & ſi amicus non teneatur omnia pro amore facere amici, tenetur tamen pro eius amore eius offenſas euitare, aliter non curat de amicitia eius, atque adeo ipſum ſpernit. Ergo, & ſi non teneremur omnia facere ex dilectione Dei, tenemur ſaltem, ſi amici Dei permanere volumus, ex eius dilectione eius offenſas declinare.

5. Tertiò. Vita traducenda eſt in amicitia Dei, nec ſufficit ſtatus indifferens, ideſt, neque in amicitia, neque in inimicitia; id enim perinde eſſet, ac ſi homo non pertineret ad Deum, nec Deus ad hominem: neque etiam cum Principe temporali ſufficit ille ſtatus, immo Principi debetur amor; ſimiliter, & proximo. Chriſtus inſuper dixit: *Qui non eſt mecum, contra me eſt*, Matth. 12. 30., vnde nec eſt poſſibilis ſtatus ille indifferens cum Deo.

Sed qui ſemel tantùm in vita diligit Deum, non traducit vitam in eius amicitia: tùm quia etiam inter homines, ſi longo tempore non colitur amicitia, non perſeuerat, immo cenſetur abrupta; tum

Digitized by Google

quia propter frequentes occasiones peccati, nisi frequenter renouetur propositum manutenendi amicitiam cum Deo, deficit illud, & cadit; ergo non semel, sed frequenter eliciendus est actus dilectionis Dei.

Quartò. Non sufficit semel tantùm timere Deum; ergo neque semel amare. Probatur Consequentia, quia nulla suppetit ratio, cur pluries Deus sit timendus, quàm amandus. Antecedens probatur. Quia pessima erit vita hominis, si semel tantùm timeatur, vel ametur Deus: diruptis enim hisce frænis in omnia mala præcipitabitur.

Quintò. Non sufficit tantũ semel in vita amare parentes, dominos, ac proximos. Quis enim hoc dicat? Ergo multò minùs Deum.

Sextò. Qui non habet charitatem non est in statu salutis, immo languidus est, & indiget a Deo curari; sed tenemur seruare statum salutis; ergo tenemur habere charitatem; ergo tenemur pluries ad eam seruandam elicere actum eius. Maior probatur ex Augustino Tractat. 17. in Ioannem, vbi ait, illum piscinæ languidum triginta, & octo annos habentem in infirmitate sua, sanatum a Christo, Ioannis quinto, significare hominem carentem charitate; quia numerus quadragenarius significat perfectionem obseruantiæ legis, ad hunc autem numerum implendum deerant illi duo, idest, geminata charitas Dei, & proximi, in qua est plenitudo legis; ideo languebat.

Septimò. Tenemur ambulare in dilectione, Ephes. 5., sed qui semel tantùm in vita diligit Deum non ambulat in dilectione; quid enim est ambulare in dilectione, nisi viuere, seu operari ex illa, vel secundùm illam? Hoc sensu dicitur: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*, Galat. 5. Et: *Sicut in die honestè ambulemus.* Rom. 13. Et: *Per fidem ambulamus*, 2. Cor. 5. Et: *In nouitate vitæ ambulemus*, Rom. 6, Et: *Non secundùm carnem ambulant*. ibidem 8., & plura talia. Affectus enim animi sunt passus, seu motus eiusdem, iuxta illud Augustini: *Anima non mouetur pedibus, sed affectibus.* Non ambulat autem, qui per vnicum tantùm passum mouetur; ergo non sufficit semel tantùm in vita diligere Deum.

Fortè dicetur, eo loco Apostolum non præcipere, sed consulere.

Sed id gratis dicitur, parique libertate dici poterit, in omnibus locis adductis purum contineri consilium, scilicet, vt spiritu ambulemus, & non secundùm carnem, &c. Idem Apostolus 1. Corint. 16. ait: *Omnia vestra in charitate fiant*; quod imperium sonat, sicut, & illud ibidem 14. *Omnia ad ædificationem fiant.* Et: *Omnia honestè, &*

Digitized by Google

ſtè, & ſecundùm ordinem fiant; ergo, & imperat, cùm dicit: *Ambulate in dilectione*.

Præterea Apoſtolus dicit, vt ambulemus in dilectione ad imitandum Deum: ſic enim loquitur: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos*. Vbi imitationem Dei, ſicut filii ad Patrem ſtatuit in dilectione, quemadmodum, & Chriſtus Matth:5. *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt*. At tenemur imitari Deum, qui eſt prima regula honeſtatis, & virtutis; ergo tenemur ambulare in dilectione.

Rurſus: Fideles ſunt filii Dei nō ſolùm per creationem, ſed etiã per regenerationem ſpiritualẽ: at filii non ſemel, ſed pluries tenentur amare parẽtes; ergo, & fideles Deum. Hinc eſt eiuſdem Dei conqueſtio aduersùs degeneres filios, ideſt, ipſum non amantes, Malachiæ 1.: *Si Pater ego ſum, vbieſt honor meus?* Honor autem parentis de amore deſcendere debet; aliter erit ex timore, qualis erga tyrannum.

8. Arguunt Nauarrus, Sotus, Sanchez, & alii. Eſſet inutile præceptũ dilectionis, ſi ſemel tantùm per totam vitam, & ad tempus incertum obligaret; at præceptum illud eſt maximum, & primum in lege, eſtque directiuum totius vitæ; ergo, &c.

9. Deus colitur Fide, Spe, & Charitate ex Auguſtino in Enchiridio cap. 3.; ergo qui ſemel in vita diligit Deum, ſemel illum colit; at quis dicat, hoc ſufficere tot, tantiſque Dei in nos beneficiis, ac ſpe, quam in ipſo habemus?

10. Quoties quis lædítur ab inimico, tenetur ei parcere ex amore Domini, Matth. 5., poteſt autem quis pluries in vita lædi ab inimico; ergo ſaltem is tenetur pluries elicere actum dilectionis erga Deum.

Tamdem Mahometes ſuis ſectatoribus præcipit ſemel quidẽ in vita iter ad Mæchã ſui colẽdi gratia, pluries autem in die ſui memoriã: & cultũ. An ne; ergo Authoribus Propoſitionis, vtiq; Chriſtianis, actus dilectionis Dei viſus eſt, ſicut peregrinatio ad Mæcham Mahometanis? Ergo audax ipſis videri debuit, non damnare de mortali elicientem non pluſquàm ſemel actum dilectionis Dei per totam vitam, ſed illum a tali reatu abſoluere; nec ficta fortè, & ſubdola præferenda erat modeſtia, vt impietas induceretur.

✠ ✠ ✠

Digitized by Google

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro damnata Propositione.

1. POteſt pro ea argui primò ſic. Præceptum dilectionis Dei non obligat ad ſemper, vtpote affirmatiuum. Cùm ergo in eo non præſcribatur tempus obſeruantiæ, idque variis Doctorum placitis nutet, atque incertum ſit, ſufficit, ſemel illum diligere in vita.

Reſpondetur, propter idem Argumentum nonnullos dixiſſe, quòd præceptum illud numquam toto tempore vitæ obligat, quorum ſententiam proſcripſit Alexander VII. in priori ſuo Decreto Propoſitione 1.; & Antonium Syrmondum eòuſque delapſum, vt protulerit, nobis potiùs interdictum eſſe odium Dei, quàm præceptam dilectionem, vt refert Fagnanus de Opinione probabili nu. 336. in fine. Alios etiam ſenſiſſe, non eſſe præceptum ſpeciale, ſed, cui ſatisfiat per obſeruantiam aliorum præceptorum; adeo, ſcilicet, res inuertentes, vt, cùm cætera præcepta data ſint propter charitatem, vnde Chriſtus de Charitatis præcepto, tamquàm de ſingulari loquitur, dicens: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis* Ioannis 11., quia, vt explicat Gregorius Homil. 27. in Euangelia: *Quidquid præcipitur in ſola charitate ſolidatur, & omnia præcepta vnum ſunt in radice dilectionis*, ipſi alia præcepta retinentes, charitatem de medio ſubſtulerint, media, ſcilicet, ſine fine, fructum ſine radice, cultum Dei ſine amore, obedientiam ex timore, tamquam erga tyrannum. Sed rurſus Chriſtus Lucæ 10. Legis perito, cæteris præteritis, ſolum dilectionis præceptum memoranti, dixit: *Hoc fac, & viues*; oſtendens, non ex cæterorum obſeruantia mandatorum, quæ tunc memorata non erant, mandatum dilectionis impleri, ſed ex obſeruantia huius conſequi cæterorum obſeruantiam, & dari ingreſſum ad vitam, qui ſine totius legis obedientia non obtinetur. Ideo Apoſtolus Rom. 3., nullum Iudæum ait implere legem, aut facere bonum, quia, ſcilicet, præceptum dilectionis implere non poterat ex vi legis, aut arbitrii; etenim alia præcepta implere poterat; ergo ſine obſeruantia illius præcepti non ſeruatur lex. Expreſſiùs autē Ioannes Apoſtolus, cùm ſemper diſcipulis inculcaret: *Filioli diligite alterutr-*

Digitized by Google

terutrum, eam tam frequentis repetitionis cauſam aſſignauit: *Quia præceptum Domini eſt, &, ſi ſolum fiat, ſufficit*; vt refert Hieronym. ſuper Epiſtolam ad Galat. lib. 3. c. 6., ergo illud præceptum eſt maximè ſeruandum, nec propter alia illud impletur, ſed alia propter ipſum.

Dicitur ergo, quòd e contra, cùm dilectionis tempus determinatè non præſcribatur, & eius præceptum tam ſæpè, ac vehementer commendetur, colligendum eſt, illud pro omni tempore obligare, non quidem vt ſemper in actuali Dei dilectione ſimus: ſummè enim gratiæ, & fælicitatis id eſſet, ſed ſemper, vel in actuali, vel virtuali, vel habituali. Quod veriſſimum eſt, & a nullo fideli negandum. Si enim ſemper tenemur eſſe in gratia, & hæc, vel eſt ipſa Charitas, vel inſeparabilis a Charitate, vtique tenemur ſemper habere Charitatem ſaltem habitualiter, qua ſtãte ſtat gratia, qua amiſſa illa recedit: cùmque præceptum viuendi ſemper in gratia non reperiatur, ni fallor, ſpecialiter expreſſum in ſcripturis, dicendum eſt, hoc eſſe ipſum præceptum dilectionis, atque adeo illud ad ſemper obligare, ſaltem quantùm ad habitum.

Licèt ergo ſit affirmatiuum, includit tamen negatiuum de non habendo alio fine, ſeu non diligenda alia re ſupra Deum, & de alijs diligendis propter ipſum, ideo obligat ad ſemper modo dicto.

2. Sed hîc exoritur dubium, quod ſupra inſinuauimus; quandonam ſit eliciendus actus dilectionis Dei. Præ difficultate enim aſſignandi huius tẽporis pro obligatione eius, abſurdæ illæ ſententiæ proruperunt.

Ad quod primò reſpondendum eſt cum Thomiſtis, eliciendum eſſe, cùm quis primò peruenerit ad vſum rationis; tunc enim deliberare debet de vltimo ſuo fine ad dirigendos ſuos affectus, & actus per totam vitam; de qua re hic nihil vltra dicendum exiſtimamus, remittentes ad Thomiſtas.

Secundò ex dictis capite præcedenti in 4. probatione, eliciendum eſſe quoties peccati adeſt, vel tentatio, vel occaſio: ſi enim peccata vitanda ſunt ex amore Dei, vt ibi oſtendimus, conſequenter, quandocumque vrget periculum peccati, amor ille excitandus eſt. Sicuti cùm vrgent rentationes contra fidem, actus fidei ad illas vitandas eliciendus eſt, vt communiter dicitur. Hinc Diuus Thomas 2.2. queſt. 109. art. 8. *Cùm homo*, inquit, *non habet cor ſuum firmatum in Deo, vt pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari velit, occurrunt multa, propter quæ conſequenda, vel vitanda homo recedit*

à Deo

Digitized by Google

a Deo; præcipuè, quia homo in repentinis operatur secundùm finem præconceptum, & secundùm habitum præexistentem 3. Ethic. cap. 9. Quæ verba indicant etiam debitum frequentiùs eliciendi illum actum ad præparandum, vel muniendum cor, ne deficiat in repentinis.

Tertiò: Placet sententia Scoti in 3. dist. 27. qu. 3., eliciendum esse singulis diebus festis; etenim hæc instituta sunt ad cultum Dei, & Sanctorum eius, Deus autem maximè charitate colitur, immo sine charitate non colitur. Quamuis autem festa humana lege indicta sint, tamen Lex illa determinat tempus, actus verò ipse sub precepto diuino est; sicuti septimus dies lege positiua præscribebatur Hæbreis ad cultum Dei, ipse autem cultus de Iure Diuino erat, quod notauit D. Thomas 1 2. qu. 100. art. 3. ad 2.; sic etiam tempus communionis percipiendæ ab Ecclesia est determinatum, cùm communio ipsa ex Christi præcepto sit. Quod maximè verificatur, cùm in festis recoluntur beneficia nobis a Deo præstita, Incarnationis, Natiuitatis, Circumcisionis, Mortis, Resurrectionis, Ascensionis, Institutionis Sacramenti Altaris, & similia; tunc enim tenemur in Deum per amorem ferri, eique gratias agere. Et ita, dum peculiaria beneficia quisque recipit. Sunt fortè, & alia tempora, quibus eliciendus est actus dilectionis Dei, quæ non opus est enumerare, cùm ex dictis satis pateat, non esse semel tantùm in vita illum eliciendum, quod damnata Propositio asserit.

3. Secundò. Potest argui contra id, quod diximus capite precedenti, omnia præcepta data esse propter charitatem, atque ex eius fine seruanda. Ex hoc enim sequitur, quamlibet obseruantiam præcepti non ex illo fine, etiam si sit ex fine boni virtutis, esse malam, & peccaminosam, quod videtur nimis durum, & contra sensum Fidelium; vnde sententia Gregorii in 2. dist. 29. qu. 1. art. 1. dicentis, omnia opera non relata saltem habitualiter in finem charitatis esse mala, communiter reiicitur a Theologis.

Respondetur, illud assertum sepissimè haberi in scripturis, præcipuè apud Apostolum. Prima Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas*. Et Colossensium 3., cùm ad plures virtutes hortatus esset, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiã, &c. subdit: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Prima Corinth. 16.: *Omnia vestra in charitate fiant.* Et cap. 10.: *Omnia in gloriam Dei facite*. Id etiam vniuersa Sanctorum Patrum dicta sonant. Quæ, & si non eo sensu intelligenda sint, vt quodlibet opus sub pœna peccati sit ex charitate faciendum, neque tamen

Digitized by Google

tamen eo ſenſu tantùm, vt nunquam habeatur finis charitati contrarius, aut feruori eius, vt ſolet dici, quorum primum eſt peccatum lethale, ſecundum veniale; ſed etiam, vt ex intentione, & ſtudio ipſius charitatis, eiuſque finis non tendamus in finem ei oppoſitum, quod communiter Recentiores non aduertut; ſed Nos neceſſarium ducimus, quia aliter nullo modo ſaluatur; quòd Charitas ſit præceptum, & finis præcepti, &, quòd pertinentes ad nouum teſtamentum per contradiſtinctionem ab iis, qui pertinent ad vetus, mandata Dei impleant ex amore Dei, non ex timore. Si enim euitantur peccata ex alia intentione, ſeu fine, quàm Dei ſummè dilecti, iam lex, cuius præcipuum, ac generale præceptum eſt: *Declina a malo, & : Non concupiſces*, non ſeruatur ex amore. Sententia verò Gregorii, neque Nobis probatur. Actus enim non procedit ex habitu, vt habitualiter permanente, & per conſequens neque refertur in finem illius; immo requiritur influxus in eum, vel actualis, vel virtualis: poteſt enim fieri actus etiam contrarius habitui, prout habitualiter permanenti, vt patet in conantibus ad deſtruendum habitum prauum, quos conatus quis dicat, elici ab habitu prauo ad finem ſui? Hinc opus non dicitur procedere ex intentione, niſi, vel actuali, vel virtuali; ergo relatio illa habitualis ad finem charitatis, quam ſtatuit Gregorius, nulla eſt. Secundò: Actus relatus in finem charitatis procedit ab ea ſaltem, vt actus imperatus; quidquid autem procedit a charitate, malum eſſe non poteſt, quia: *Non poteſt arbor bona* (charitas) *malos fructus facere*, idque Nos oſtendimus lib. 3. de Actibus Humanis cap. 39., & 40. Non poteſt, inquam, eſſe malum, neque venialiter: licèt enim peccatum veniale non opponatur charitati, opponitur tamen feruori eius; ergo non poteſt ab ipſa procedere; non enim poteſt procedere a calore quidquid opponitur feruori eius, aliter idem ageret contra ſe ipſum; ſed ſtante habitu charitatis in anima poteſt quis venialiter peccare; ergo permanentia habitualis eius non facit, vt opus ex ea procedat, in eiuſque finem referatur; ergo falſum eſt, quòd opus eo ipſo, quo procedit ab habente charitatem, ſit relatum in finem eius; ſicut falſum eſt, opus, eo quia procedit ab habente libidinem, eſſe relatum in finem libidinis.

Quamuis ergo euitatio peccati, puta furti, non ſit mala, quatenus euitatio furti eſt, (quis enim oppoſitum dicat?) tamen malum eſt, illum non euitare ex fine charitatis, ſi, vrgente tentatione, Dei recordemur; quia tunc homo non operatur, vt habens pro vltimo fine Deum ſummè dilectum, ſed illam rem, pro qua peccatum euitat,

Digitized by Google

tat, vt cap. præcedenti ostendimus. Est igitur omissio illa, vel voluntas omittendi bona non benè facta. Sicut igitur Augustinus defendens, in infidelibus non adesse opera bona, ait 4. contra Iulianum cap. 3., nudum operire per se ipsum quidem peccatum non esse: *Sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum*; ita, & Nos dicimus, quòd euitare peccata, per seipsum malum non est, sed illa euitare ex alio fine, quàm charitatis, malum est.

4. Fortè dicetur. Ergo in actu malo adest duplex ratio peccati, siue malitiæ, altera propter transgressionem præcepti de illo vitãdo, altera propter transgressionem præcepti charitatis, seu carentiam dilectionis Diuinæ. Hoc autem non videtur asserendum.

Respondetur, vnum quidem actum malum vnum esse peccatum; ipse enim actus est peccatum; sed in eo, cùm non est tantummodò contra præceptum charitatis Dei, esse duplicem malitiam, dixit ipse Dominus Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas.* Quod non reperitur ab eo dictum de gentibus ipsum non agnoscentibus; ergo cognoscentes Deum, & propter hoc ipsum supra omnia amare debentes, in adhæsione ad obiectum illicitum peccant, etiam contra præceptum amoris Dei, quem deserunt. Idem patet ratione. Nam peccatum contra præceptum fornicationis vitãdę habet, & malitiam desertionis amicitiæ Dei, & deordinationem a fine naturæ destinantis semen ad generationem; & etiã a gradu rationis, seu spiritus supra sensum, dum ratio non frænat concupiscentiam, sed ab ea vincitur. Hinc etiam non agnoscentes Deum plura peccata contra naturæ legem agnouerunt; & a pluribus Theologis admittitur peccatum Philosophicum per contradistinctionem a Theologico. Communis etiam hominum sensus habet, vt, qui offendit amicum, grauiùs peccet, idest, non tantùm propter iniuriam illatam, quæ nulli inferri debet, sed etiam propter læsam amicitiam. Ex quo est illud Apostoli 1. Corint. 4. *Iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* & Abram ad Lot Genesi. 13. *Ne, quæso, sit iurgium inter me, & te, fratres enim sumus.*

Ergo saltem, cùm quis primò propter adhæsionem ad obiectũ illicitum deserit amicitiam Dei, duplicis malitiæ reus est, & desertæ amicitiæ, quam seruare debet, & adhæsionis ad obiectum, a quo abstinere tenetur. Non enim tantùm illa adhæsio mala est, quia læsiua amicitiæ cum Deo, sed etiam ex sua propria ratione, vnde non potest dici: Vbi vnum propter aliud, vtrobique vnum. Non tamen

Digitized by Google

tamen vtraque malitia explicanda eſt in confeſſione, quia ex vna neceſſariò cognoſcitur altera, ideſt, ex adhæſione ad creaturam deſertio amicitiæ Dei.

5. Tertiò argui poteſt contra id, quod pariter dictum eſt in præcedentibus, peccatum eſſe, non euitare peccata ex motiuo charitatis. Deteſtatio peccati ex motiuo turpitudinis illius, ſeu metu gehennæ non eſt mala, ſed bona, immo, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti, diſponitque ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam ex Tridentino ſeſſione 14. cap. 4, quod eſt de contritione; ergo falsò Nos dicimus, peccatum eſſe, non euitare peccatum ex motiuo charitatis.

Reſpondetur, aliam eſſe rationem permanentis adhuc in amicitia Dei per charitatem, aliam eius, qui per peccatum lethale eam abrupit; amicus enim tenetur ſeruare amicitiam; qui verò ab ea receſſit, recuperare, & ſatisfacere offenſæ; amicitia autem cum Deo in ipſa charitate, ſeu dilectione conſiſtit: *Qui enim diligit me, diligetur a Patre meo*, Ioannis 14. *Et ego diligentes me diligo*, Prouerb. 8. Qui ergo permanet in amicitia Dei, ipſa lege amicitiæ tenetur ex amore Dei offenſas eius euitare, aliter non curat de amicitia, immo ab ea iam receſſit, vt patet in Humanis. At ei, qui eam per peccata diſſoluit, ſufficit, ſi eam reparare conetur; cuius reparationis primus gradus eſt, auerti ab affectu obiecti, propter quod eam diſſoluit; non requiritur autem ad euitandum nouum peccatum, vt ex Dei amore ab illo auertatur; tunc enim ſupponeretur habere charitatem, & operari, vt amicus, atque adeo iam reſtitutus eſſet ad amicitiam; multoties autem nec poteſt ſubito elicere actum dilectionis Dei propter conuerſionem voluntatis ad creaturas, maximè ſi habitu detinetur peccati, immo ad id requiritur magnum Dei auxilium, quod fortè non ſemper datur. Rectè ergo facit, ſi deteſtetur peccatum propter turpitudinem illius, vel metum gehennæ, nec id ad nouum peccatum ei adſcribitur, ſed ad permanentiam in antiquo; diſponitur autem ad ſurgendum de eo; quia auerſio a creatura eſt initium conuerſionis ad Deum iuxta illud: *Initium ſapientiæ timor Domini*; timor, ſcilicet, Domini tamquam potentis infligere malum; nam timor Dei filialis de ipſa ſapientia, ideſt, charitate deſcendit.

Nec tamen propterea melioris conditionis cenſendus eſt inimicus Dei, quàm amicus, eo quia huic ad non peccandum euitanda ſint peccata ex motiuo altiori, ſcilicet, charitatis, illi autem ſuf-

Digitized by Google

ficiat ea detestari propter turpitudinũ illorum, vel pœnam consequẽtem; immo hic est deterioris, & infelicioris; tũ quia adhuc cum illa detestatione peccati est in peccato, & in Dei inimicitia, nec ad amicitiá reparatur, nisi accepta per Sacramentum Pœnitentiæ remissione cum Charitate, & gratia (Quod ipsũ fieri non posse sine aliquo amore pœnitentis erga Deum, plurium Sententia docet;) tùm quia ex ipsa dejectione status, & debilitate virium, nascitur, vt ei sufficiat ad nouum peccatum vitandum detestari peccata ex inferioribus illis motiuis; sicuti in humanis non est inferioris conditionis amicus, qui eo debito erga amicum tenetur, quo non tenetur non amicus, vt, scilicet, vitet offensas amici ex lege amicitiæ & communicet cum eo bona, & beneficia præstet, & cætera.

✠ ✠
✠



Digitized by Google

DISPVTATIO III.

Contra Propositionem VI.

Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs obligare per se præceptum charitatis erga Deum.

Ostenditur falsitas Propositionis.



Orrèly, rigorosè, notat quinquennium Mathematicum, quod computatur de momento ad momentũ, per cõtradistinctionem a quinquennio morali, quod nõ sic computatur; quare pertinet ad minuendã vim, seu tempus obligationis præcepti charitatis. Cęterùm, cùm a Mahomete in Alchorano filiis præcipiatur, vt singulis saltem quadrienniis cultum, & obsequium exhibeant Patri (quam obligationem obtendit Selymus primus, dũ ad sollicitãdos milites cõtra Patris Baiazetis imperium Constantinopolim, vbi ille manebat, accedere voluit) multum est, vt a Christianis Doctoribus simplex summi parentis Dei dilectio vltra rigorosum quinquennium prorogetur; vt proinde iustè ipse conqueratur Malachiæ p.: *Si pater ego sum, vbi est honor meus?*

Ipsa Propositio remanet sufficienter confutata ex dictis Propositione præcedenti. Sed est in ea mirandum, quòd quinquennio determinat tempus obligationi illius præcepti, nec vltra, aut citra, quod merè volutarium, & absque vllo rationis fundamento est; nisi fortè ad Græcorum Olympiades, aut Romanorum lustra respexit, quæ singulis quinquenniis celebrabantur; vt ita, scilicet, vita hominis per dilectionis Diuinæ actus numeretur, sicut per Olympiades sæculorum spatia computabantur. Ipsa, nec vt probabilis defendi potest, quia damnatur in suis terminis, quibus tantùm probabilis dicitur.

Digitized by Google

DISPVTATIO IV.

Contra Propoſitionem VII.

Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

MENS Authorum eius eſt, quòd tunc teneamur diligere, quando opus eſt exercedum, quod lethale ſit exercere in mortali; vt excipere confeſſiones ſacramentales, concionari, miniſtrare Altari in ſacris, &c.; tunc enim, ſi non præmittitur confeſſio, exiſtenti in mortali eliciendus ſaltem eſt actus dilectionis Dei ſuper omnia ad recuperandam Dei gratiam. Et in hoc caſu tantùm obligare dicunt præceptum dilectionis.

Sed hoc idem eſt, ac dicere, quòd illud præceptum ex vi ſua numquam obliget, quod damnatum eſt ab Alexandro VII. prima Propoſitione prioris ſui Decreti; nam tunc illa obligatio eſt ex vi præcepti Religionis, ne ſancta indignè tractentur: non ex vi charitatis. At homo abſolutè, & ſimpliciter tenetur traducere vitam in amicitia Dei, quia aliter non habet ipſum vt Deum, & Dominum; ſicut non haberet quis pro Principe ſuo illum, cum quo perpetuas exerceret inimicitias; ergo ex vi præcepti charitatis tenemur charitatem ſemper habere. Præterea. Qui non Deum, ſed aliud quidpiam habet pro vltimo fine ſummè dilecto, non ſeruat rectitudinem ordinis, immo illum maximè perturbat; quid enim magis inordinatum, ſiue peruerſum? Ergo pro ſeruanda rectitudine ordinis debet homo diligere Deum ſuper omnia, quacumque alia circumſtantia, ſiue conſideratione præcluſa; ergo ſemper tenetur diligere ſaltem habitualiter, quia recti-

Digitized by Google

rectitudo ordinis semper seruanda est; &, si perturbata sit, reparanda. Hinc communiter dicitur, hominem teneri ad habendam gratiam, &, si eam amiserit, ad recuperandam; gratia autem, vel est ipsa charitas, vel ab ea inseparabilis.

Disputatione antecedente ostensum est, pluries in vita ex vi sua obligare præceptum de actu charitatis eliciendo; quare non sunt hic plura addenda.

* * *



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO V.

Contra Propositionem VIII.

Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

CAPVT I.

Ostenditur falsitas Propositionis.

HÆC Propositio apertissimè de Epicuri, siue Aristippi doctrina progreditur: vt enim ex libris Ethnicorum, & nostrorum est notissimum, Epicurei summum bonum, seu finem hominis locabant in voluptate carnis, Stoici autem in virtute mentis. Quare, vt Augustinus ait ser. 13. de verbis Apostoli: Illorum erat vox: mihi frui mea carne bonum est: istorum: mihi frui mea mente bonum est, Illorum: Beatus, cuius est in fructu voluptas carnis eius: istorum: Beatus, cuius est in fructu virtus animi eius. Fruitio enim est obiecti, quod non ad aliud refertur; vnde ipse Augustinus 10. de Trinitate cap. 10.: *Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter ipsa delectata quiescit*: Ergo, & Epicurei voluptate carnis, & Stoici virtute mentis fruebantur, quia ea non ad aliud referebant. Nam eorum, quæ ad aliud referuntur, ideſt, mediorum, non est fruitio, sed vsus. Sed Propositio asserit licitam comestionem, & potionem ob solam voluptatem, &, quòd appetitus naturalis licitè fruitur suis actibus; ergo ponit finem, & fruitionem hominis in voluptate carnis; ergo de Epicuri doctri-

Digitized by Google

doctrina deſcendit, immo ipſum principale dogma Epicuri, ſiue potiùs Ariſtippi eſt.

Quare contra eam militant omnia, quæ ab Auguſtino, tùm locis citatis, tùm in libris de Ciuitate, tùm in tract. de Stoicis, & Epicureis iaciuntur; quòd, ſcilicet, vox Chriſtianorum eſt: *Mihi autem adhærere Deo bonũ eſt.* Et: *Beatus vir, cuius eſt nomen Dñi ſpes eius.* Et quòd Chriſtiani, neque ſecundùm carnem, neque ſecundùm animum, ſed ſecundùm Deum viuunt; & quòd: *Maledictus eſt omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine*, Ierem. 17. Qui autem finem ſuum ponit in voluptate carnis, ponit ſpem ſuam in homine, ideſt, in carne ſua. Et tamdem, quòd ipſi Gentiles Philoſophi Epicurum porcum nominauerunt, volutantem ſe in cæno carnali, quia voluptatem corporis ſummum bonum dixit, Enarratione in Pſalm. 73. ad verſ.: *Exurge Domine, iudica cauſam meam.* Horatius etiam Poeta fatetur, ſe propter profeſſionem Epicureæ doctrinæ appellatum Epicuri de grege Porcum. Militant etiam omnia ea, quæ ab aliarum ſectarum Philoſophis, maximè Stoicis, contra Epicureos afferuntur, quę longum eſſet recenſere. Cùm inſuper ex doctrina omnium Theologorum cum Auguſtino, & Magiſtro in primo diſt. 1. habeatur, ſolo Deo eſſe fruendum, cæteris omnibus vtendum, mirùm eſt, quomodo Propoſitio licitam dicat in homine fruitionem actuum potentiæ naturalis, ideſt, ſenſitiuæ. Quamuis enim, vt idem Auguſtinus ait qu. 3. ex 83.: *Cibo, & qualibet corporis voluptate non adeo abſurdè frui exiſtimentur beſtiæ*; quia earum non aliud excellentius bonum eſt, quàm ſẽſibile; tamen tribuere rationem fruitionis actui potentiæ ſenſitiuæ in homine, nimis indignum eſt; quaſi in homine nil ſit præſtantius ſenſu, eiuſque bono; vel eius fruitio non debet eſſe in Deo. Hæc igitur ſit prima ratio contra Propoſitionem; ex qua probatur, non ſolùm comeſtionem uſque ad ſatietatem, ſed quamcunque, etiam minimam, ſi fiat ob ſolam voluptatem, eſſe peccaminoſam, quia tunc iuxta Epicuri dogma ponitur finis hominis, & fruitio in voluptate ſenſus.

2. Secunda Ratio. Si potentia naturalis licitè fruitur ſuis actibus, etiam potentia ſeminatiua, ſiue generatiua; non enim ſpecialiter de potentia comedendi, & bibendi illud dicitur, ſed generaliter de appetitu naturali; neque verò adeſt ratio, cur potiùs vna potentia naturalis, quàm alia poſſit frui ſuis actibus; generaliter verò quælibet potentia, tunc eſt in ſui perfectione, cùm eſt in actu ſecũdo, ideſt, in ſui operatione, qua aſſequitur ſuum finem; ergo licita erit mollities,

Digitized by Google

ties, ne quid grauius dicam, vt potentia seminatiua fruatur illo suo actu voluptuoso.

Quòd si dicatur, hoc non esse licitum, quia potentia illa, & semen non sunt ordinata ad delectationem, sed ad generationem; pariter aduertendum erat, neque potentiam comestiuam ordinatam esse ad delectationem gulæ, sed ad substentationem vitæ per assumptionem cibi nutrientis; numquam enim natura intendit delectationem, sed opus; licèt aliquibus actibus miscuerit delectationem; aliter ægroti, qui cibo non tantùm non delectantur, sed etiam stomachantur, peccarent comedendo, quia agerent contra intentionem, siue ordinem naturæ ordinantis cibum ad voluptatem.

3. Tertia ratio fundamentalis, qua euertitur dogma illud Epicuri, si fortè defendi tentetur. Quidquid fit ob finem voluptatis sensibilis malè fit; ergo malum est comedere, & bibere ob solam voluptatem. Probatur Antecedens. Quia voluptas sensibilis est bonum sensus, honestum autem bonum rationis; homo autem debet viuere secundùm rationem, quæ excellit in ipso, non secundùm sensum, qui inferior est; aliter deiicit se ipsum de sublimitate suæ conditionis, & viuit more brutorum, idemque esset bonum arietis, ac P. Scipionis Africani, vt dixit Tullius relatus ab Augustino 4. contra Iulianum cap. 12.; ergo debet prosequi in omni opere suo bonum honestum, non sensibile; ergo quælibet actio ob finem voluptatis sensibilis mala est. Hinc Stoici solum honestum appellarunt bonum; & quamuis rationabiliùs Peripatetici, aliique Philosophi etiam valetudinem, & diuitias appellarint bona, tamen non in ipsis, sed in honestate finem locandum docuerunt; omnino autem non locandum in voluptate carnis. Aristoteles quidem 7. Ethic. cap. 10. *Qui prosequitur*, inquit, *voluptates propter se ipsas, & non propter aliud inde prouenientes, intemperans est.* Et Tullius 1. Officiorum: *Victus, cultusque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem.*

Immo grauissimi Philosophi adeo a collocando fine, seu bono hominis in voluptate sensus abhorruerunt, vt potiùs eam maximè detestati sint, naturamque accusauerint, quòd eam operationibus sensuum inseruerit. Architas Tarentinus, referente Tullio in Catone, pernicioſissimam omnium pestem, a natura homini datam, eam appellauit, qua absorbeatur lumen rationis, eneruentur vires animi, &, quò vehementior sit, deteriores pariat effectus. Plato, referente eodem ibidem, eam malorum omnium escam appellauit, qua homines sicut pisces hamo capiantur. Cato autem Maior mirari

Digitized by Google

rari ſe dicebat, quomodo conſiſtere poſſit ea ciuitas, in qua amplius nullus, quàm bos arator æſtimaretur, ideſt, in qua plus impenſarum fieret in voluptates gulæ, quàm in neceſſaria vitæ, ex Plutarcho in Apophteg. Et miles ille Romanus, vt idem refert, audiens Philoſophum (Epicurum) Athenis docere, ſummum hominis bonum in voluptate carnis eſſe, optauit, vt hoſtibus ſuæ Reipublicę ea inhęreret opinio, citò enim, & facillimè ruituros. Quorum omnium ea ratio eſt, quia illa voluptas trahit ad ſe animum, & impedit nobiliores, & proprias operationes hominis, contemplationem veritatis, & opera virtutum. Hinc Tullius relatus ab Auguſtino 4. contra Iulianum cap. 14. *Voluptatis motus, vt quiſque eſt maximus, ita eſt inimiciſſimus Philoſophiæ. Quis enim, cùm vtatur voluptate ea, qua nulla poſſit eſſe maior, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam poteſt?* Idipſum habet Auguſtinus ibidem contra Iulianum. Proinde infert Tullius: *Quis bona mente præditus non mallet, nullas a natura voluptates datas?* Quem probat Auguſtinus eodem loco dicens: *Quis mente ſobrius non mallet, ſi fierit poßet, ſine vlla mordaci voluptate carnali, vel arida ſumere alimenta, vel humida, ſicut ſumimus hæc aerea, quæ de circumfuſis auris reſpirando ſpiramus, ſorbemus, & fundimus? Quis amator ſpiritualis boni, etiam ſola cauſa ſobolis coniugatus non mallet, vel ſine iſta (voluptate) ſi poſſit, vel ſine tam magna vi eius filios procreare?* Ex quibus ſequitur, non eſſe bonæ, vel ſobriæ mentis, nec amatorem ſpiritualis boni, qui voluptatem ſenſus per ſe ipſam expetit, vel expetendam docet.

4. Igitur etiam a ſaniori Philoſophia gentium aberrat Propoſitio, quæ licitam aſſerit comeſtionem, & potum ob ſolam voluptatem, & liçitè appetitum ſenſitiuum frui actibus ſuis. Epicuri enim, ſiue Ariſtippi doctrinam ab omni omnium gentium, ac ſæculorum honeſtate damnatam in Chriſti Eccleſiam inducit. Proinde ab eius Authoribus id poſtulari poteſt, quod a Iuliano, vt bonam laudante concupiſcentiam, poſtulat Auguſtinus: *Obſecro vos, non ſit honeſtior Philoſophia gentium, quàm noſtra Chriſtiana, quæ vna eſt vera Philoſophia*, 4. contra Iulianum cap. 14.

Quæ Philoſophia, ideſt, ſacræ litteræ, vbique damnant, & prohibent quidquid ex fine voluptatis ſenſibilis fit.

Hinc Numero. 11. occiduntur Hebręi, qui petierunt, & comederunt carnes; non quia comeſtio carnis ſit per ſe mala, aut illis tunc interdicta, ſed quia eas petierunt ex fine voluptatis gulæ; vnde dicebant: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium,*

Digitized by Google

scium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, pepones, &c. Ideo dicitur de eis in Psalmo 101.: *Et concupierunt concupiscentiam in deserto*. Et sepulchra eorum vocata sunt sepulchra concupiscentię.

Apostolus autem Roman.8. *Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Viuere autem secundùm carnem, non aliud est, quàm viuere secundùm appetitum carnis, illum, vel sequendo, vel excitando; sicut viuere secundùm spiritum non est aliud, quàm dictata spiritus sequi: appetitus autem carnis non est, nisi ad suas delectationes; ergo sequi delectationes carnis, idest, eas habere pro fine, mors est; illas autem contemnere, & mortificate, vita. Et hoc est certamen, in quo exercenda est virtus hominis, Dei auxilio roborata in hac vita, de quo idem Apostolus pluries. Ergo apertissimè repugnat Apostolo doctrina Propositionis, licitum asserens operari ob solam carnis voluptatem. Omitto breuitatis causa plurima alia dicta scripturarum: sed locum concludo sapientissima, ac grauissima sententia D. Ignatij Martyris Epistola ad Philadelphios: *Si quis beatitudinis finem voluptatem ponat, is neque Dei, neque Christi amans esse potest, sed suæ ipsius carnis corruptor, & idcirco Spiritu Sancto vacuus, & a Christo alienus. Omnes huiusmodi cippi sunt, & sepulchra mortuorum, in quibus dumtaxat nomina mortuorum hominum inscripta sunt.*

5. Quarta Ratio. Si licitè locatur finis operationis in voluptate sensibili, re vera, & ex natura rei illa erit finis eius: aliter operatio erit contra ordinem naturæ, atque adeo mala. Sed illud absurdissimũ est; tunc enim homo esset propter delectationem sensibilẽ, quia vnumquodque est propter suam operationem, qua assequitur suum finem, 2.Cęli tex. 3. Sicuti, quia re vera finis hominis est visio, vel fruitio Dei, rectè dicitur, hominem esse, vt videat, fruaturque Deo. Dicere autem, quòd homo sit propter delectationem sensibilẽ, nescio, an sit sanæ mentis.

6. Quinta. Operari propter delectationem sensibilem, libidinis, seu concupiscentię est; sed omnis actus de libidine descendens malus est; ergo omnis actus habens pro fine delectationem sensibilem. Maior probatur. Quia libido non est aliud, quàm appetitus voluptatis propter ipsam; nam appetitus libidinis contrariatur appetitui spiritus, vt patet per Apostolum Gal.5. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Vbi nomi-

Digitized by Google

nomine carnis intelligenda eſt libido carnis, & nomine ſpiritus, appetitus ſpiritus; nam ſubſtantia ſpiritus, & carnis non ſibi inuicem aduerſantur, immo ſimul componuntur in vno homine: ſed deſiderium carnis, quod opponitur deſiderio ſpiritus, quodque perficere non debemus, non eſt niſi libido voluptatis carnalis propter ipſam, quæ contrariatur appetitui ſpiritus, qui tendit in honeſtum tamquam in finem; ergo libido eſt appetitus voluptatis propter ipſam. Minor probatur. Quia libido, ſeu concupiſcentia, vitium eſt, vt probat Auguſtinus totis penè ſex libris contra Iulianum, quem omnes Theologorum Scholæ ſequuntur, & conſtat euidentibus ſcripturę teſtimoniis: *Concupiſcentia non eſt a Patre, ſed ex Mundo*, ait Ioannes Apoſtolus Epiſtola prima cap. 2. Exquo infert Auguſtinus quinto contra Iulianum cap. 1., eam eſſe ex diabolo, qui princeps dicitur huius mundi. Propterea vbique prohibemur ſequi concupiſcientiam. Eccleſiaſtici quinto: *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui*. Et cap. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Et cap. 23. *Auſer a me ventris concupiſcentiam, & concubitus concupiſcentia ne apprehendat me*. Tobiæ 3. *Tu ſcis Domine, quia numquam concupiui virum, & mundam ſeruari animam meam ab omni concupiſcentia*. Roman. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius*. Et cap. 13. *Carnis prouidentiam ne feceritis in deſideriis*. Galatu. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſceutijs*. Iacob. 1. *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum*. Et Chriſtus Dominus Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo*.

7. Adſunt quoque Argumenta Auguſtini ſcripturarum dictis innixa, quæ indico tantùm, non explico. Quia, contra quod concupiſcit, & pugnat ſpiritus bonus, non eſt bonum, ſed malum: (nam nulla pugna eſt ſine malo) & in hac pugna non conamur vincere bonum, ſed malum. Et: quòd, cùm concupiſcentia vincit, vincit, & diabolus, &, cùm ipſa vincitur, vincitur diabolus. Et, quòd ex frequentatis actibus libidinis generatur luxuria: Vt enim inquit 4. contra Iulianum cap. 13. *Ne fiat malum excedendi*, quod eſt luxuriari, *reſiſtendum eſt malo concupiſcendi*. Luxuria autem indubiè mala eſt. Et, quòd de concupiſcentia erubuerunt protoparentes in Paradiſo, vnde ſibi perizomata, ſeu ſuccintoria fecerunt. Erubeſcentia autem non eſt niſi de malo. Et tamdem, doctrina eſt communis Theologorum, ideo trahi peccatum originale in poſteros, quia copula, licèt nō fiat propter libidinē, fit cum libidine; ex quibus omnibus euincitur, libidinem eſſe malum, ſiue vitium: quòd autem omnis actus

Digitized by Google

descendens de vitio sit vitiosus, patet ex terminis; cùm ergo omnis actus habens pro fine delectationem sensibilem sit actus libidinis, sequitur, quòd sit vitiosus, & malus, sicut ipsa libido. Hinc Apostolus Romanorum 7. vocat peccata motus sensualitatis primò primos, dicitq;, quòd non nos operamur illos, sed quod habitat in nobis peccatum, scilicet, concupiscentia.

Et hinc etiam deducitur, quòd Propositio fauet errori Pelagianorum; si enim opus factum ex fine delectationis sensibilis non est malum, sequitur, quòd libido, ex qua procedit, non sit mala, qui fuit error Pelagianorum.

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propositione.

1. PRo Propositione potest argui. Licet sumere salsiuscula, aut aliàs sapida ad excitandum appetitum gulæ, vt delectetur in comestione: id enim solet fieri non tantùm ab ægrotis, sed passim a sanis initio prandij, & maxime cenę, in qua solent primo loco sumi hærbæ oleo, sale, acetoque conditæ; ergo licet in comestione habere pro fine delectationem sensibilem.

Respondetur, ex facto plurium, seu plurimorum non validè inferri, opus licere, nam pauciſſimorum est, & maximè perfectorum vitare venialia, quale est peccatum comestionis ob voluptatem, quando non comeduntur cibi prohibiti, aut non notabiliter læditur valetudo. Et tamen illud ipsum potest fieri absque peccato, quãdo ex deiectione stomachi propter ægritudinem, siue debilitatem, non appetitur cibus sustentandæ vitæ necessarius; tunc enim sumendo cibos sapidos, & excitantes appetitum, appetitum, inquam, non libidinem, non ponitur finis in delectatione, sed in salute, ad quam necessaria est illa delectatio; proinde tunc non irritatur libido, sed excitatur sensus. Vt enim ait Augustinus 4. contra Iulianum c. 14. *Alimentorum sustentaculis indigemus; si suauia non sunt, quæ sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & pernicioſa sunt cauenda fastidia. Non solùm ergo cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exaturandam libidinem, sed propter tuendã salutem.* Hinc serm. 5. de Verb. Dom. secundùm Matth. indulget diuitibus, vt pretiosis vescantur cibis, ne mutata consuetudine, ægrotent.

So-

Digitized by Google

Socrates quidem, vt narrat Plutarchus in Apopht., peccatum putabat ſumere cibos, quibus non depelleretur fames, ſed accerſeretur: quia id eſt contra finem naturæ inſtituentis cibos ad expulſionem famis. Quod quidem verum eſt; tunc enim illa ſumptio non poteſt ordinari, niſi ad voluptatem. At excipiendus eſt caſus, de quo diximus; tunc enim voluptas ipſa ordinatur ad ſalutem.

2. Quòd autem Propoſitio tunc tantùm non iuſtificat a peccato comeſtionem ob ſolam voluptatem, cùm obeſt valetudini, id etiam de Epicuri ſchola eſt. Ad eius enim dogmatis turpitudinem, omnia ad voluptatem referentis, exprimendam, cæteri Philoſophi, vt refert Auguſtinus 5. de Ciuit. cap. 20., tabulam quamdam verbis depingebant, vbi voluptas in ſella regali, tamquam delicata Regina, virtutum, ceu famularum choro ſtipata, ſingulis præcipiens, quæ ad ipſam conferant, etiam Temperantiæ iubebat, vt tantum capiat alimentorum, &, ſi quę delectant, ne per immoderantiam noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas grauiter offendatur. Ergo ipſi Epicurei facultatẽ comedendi ob ſolam voluptatem eo limite frænabant, ne læderetur valetudo. Ergo omnino de eorum ſchola prodit hæc Propoſitio.

Quòd ſi dicatur, Epicureos ex fine voluptatis inhibuiſſe læſionem valetudinis, Propoſitionem autẽ nõ eo fine, ſed quia contra ordinem rationis, ſeu debitum naturale eſt, lædere vitam, quam cuſtodire, & conſeruare debemus; tunc reponetur, quòd etiam contra ordinem rationis eſt ponere finem in voluptate ſenſus, cùm ratio, atque adeo eius bonum, quod eſt honeſtum, incomparabiliter excedat ſenſum, bonumque ſenſibile; ergo non debebat licita affirmari comeſtio ob finem voluptatis; ſi autem in ea ſemel ſtatuatur finis, ſequitur, quòd etiam propter eam ſit cibus temperanter ſumendus; quare in hac re conſequenter diſcurrebant Epicurei, non conſequenter iſti.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VI.

Contra Propositionem IX.

Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

CAPVT I.

Ostenditur falsitas Propositionis.



1 AFFINIS est præcedenti, in qua excusatur ab omni peccato comestio, & potus ob solam voluptatem. Cùm igitur ibi ostensum sit, opus factum ob voluptatem eo ipso peccaminosum esse, quia homo debet intendere honestatem, non voluptatem, & quia tale opus descendit de libidine, quæ vitium est, abundè remanet confutata Propositio præsens.

Verum adhuc ostenditur falsitas eius. Primò ex Apostolo prima Thessalonic. 4. vbi sic loquitur: *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos a fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Quæ verba ita explicari possunt, vt nomine vasis intelligatur vxor, quæ ex præcepto Domini possidenda sit in sanctificatione propter Sacramentum Ecclesiæ conferens gratiam ex opere operato, & in honore nominis paterni, & materni, quod inde comparatur, quem honorem Augustinus 6. Confes. cap. 12. appellat decus coniugale in officio matrimonii regendi, & suscipiendorum liberorum; non autem in passione desiderii, idest, in affectu libidinoso; Augustinus enim explicat, ly, in passione desiderij, *victi libidine*, & Theophylactus, ly, desiderii, legit, *concupiscentiæ*;

nec

nec aliud intelligi poteſt. Opus autem coniugii exercitum ob ſolam voluptatem eſt opus libidinis, quæ fertur in voluptatem propter ipſam; quare falſo vocatur opus coniugii; nec habet ſanctificationem, & honorem: ergo illud, teſte Apoſtolo, eſt prohibitum a Domino, & adeo malũ, vt dicatur pertinere ad gentes ignorantes Deũ. Et ita explicauimus, & arguimus Elucubratione contra hanc Propoſitionem in Opere de Actibus Humanis; iuxta quam explicationem primò Apoſtolus monet omnes, vt abſtineant a fornicatione, deinde ſpecialiter coniuges, vt coniugio continenter vtantur. Si autem nomine vaſis intelligatur proprium corpus, vt intelligit Theophylactus, Lyranus, & communiùs Interpretes, quia, ſcilicet, in ipſum, tamquam in vas infunditur anima (vnde & Auguſtinus dicit, animã, dum infunditur, maculari in corpore, tamquam in vaſe vitiato) adhuc ſequitur noſtrum propoſitum; quia copula etiam inter coniuges fata ob ſolum finem voluptatis eſt ex paſſione deſiderii, ideſt libidine, non in ſanctificatione, & honore. Hinc Tobias filius, antequam copularetur, dixit Saræ coniugi ſuæ, Tobiæ 8.: *Exurge, deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras; filij quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum*, ideſt ex feruore libidinis. Ad quem locum fortè reſpexit Apoſtolus. Et ſubdit: *Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione*. Sed copula exercita ob ſolam voluptatem eſt luxuriæ cauſa, non dilectione poſteritatis; ergo mala reputatur a Tobia.

2. Oſtenditur ſecundò ex eodem Apoſtolo prima Corinth. 7. 5. *Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium*. Hic Apoſtolus expreſsè teſtatur, a ſe non imperari, ſed indulgeri tantùm ſecundùm veniam coniugibus copulam propter incontinentiã, ideſt, initã ex feruore libidinis, ſeu ob ſolam voluptatem; ergo ea eſt peccatum; vt enim ait Auguſtiuus 30. contra Fauſtum cap. 5. verſans hoc ipſum dictum Apoſtoli: *Non conceditur ſecundùm veniam, niſi peccatum*. Et de Bono coniugali cap. 10. *Quis ambigat, abſurdiſſimè dici, eos non peccare, quibus venia datur?* Idem dicit Gregorius cap. Nerui diſt. 13., & D. Thom. in ſupplemento qu. 49. art. 5. ad ſecundum. Magiſt. in 4. diſt. 31. cap. 6. accipit ea verba Apoſtoli, tamquam dicta de copula verè coniugali, ideſt, facta ob procreationem liberorum; & quia ea non eſt peccatum, & per conſequens, vt ipſemet dicet, non poteſt ei præſtari venia,

dicit

Digitized by Google

dicit ibi inteligendam esse indulgentiam non puræ permissionis, sed concessionis.

Sed certè non potest sic intelligi. Primò; quia quod nos legimus, *secundùm indulgentiam*, Augustinus, Gregorius, & alii legunt, *secundùm veniam*; venia autem non datur nisi peccato.

Secundò. Quia propter suscipiendos liberos non opus est, immo nec potest exerceri copula, nisi vsquequó mulier conceperit; nam existente vno fœtu in ventre non potest alius suscipi, vt docet Augustinus 5. de Ciuit cap. 6., & cum ipso Medici. Sed Apostolus nullum tempus excipit copulæ inter coniuges exercendæ, nisi orationis ex consensu eorumdem, & vult, vt iterum reuertantur idipsú ad vitandum peccatum mechiæ propter incontinentiam; manifestissimè ergo non loquitur de copula exercenda ob procreationem filiorum, sed propter incontinentiam, seu libidinem ad voluptatem percipiendam, eique dat veniam.

Fortè dicetur. Apostolus prima Corinth. 7. ait; *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*, idest, qui in coniugio viuunt. *Ego autẽ vobis parco*; nec tamen propterea indicauit coniugiũ esse peccaminosum. Ergo ex eo quôd ibi dixit: *Secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*, non validè infertur ab eo damnatam, vt peccaminosam copulam inter coniuges ob solam voluptatem.

Respondetur, Apostolum per ea verba non significare, quòd ipse parcat coniugibus pro tribulatione carnis, quam subtinent, in hoc enim non potest habere locum venia, sed auxilium, aut compassio; neque pro statu coniugali, in quo nullum est peccatum; sed quod parcat a distinctè narrandis illis tribulationibus in suspicionibus, & zelo coniugali, in liberis educandis, in timoribus, & mæroribus orbitatis &c.; vt explicat Augustinus de Sancta Virginitate cap. 16. & 21. Voluit enim commemoratione eius tribulationis deterrere homines a coniugio, sed modestè, quia non tãquam a re mala, sed tamquam ab onerosa, & molesta; & ideo, nec eam omnino tacuit vera prænuntians, nec pleniùs explicauit, hominum infirmitati parcens. Non defuerunt tamen, qui propter illa verba putarint, ab Apostolo damnatas esse nuptias, tamquam peccatum, vt refert idem Augustinus ibidem; sed prorsus ineptè, cùm immediatè ante Apostolus dicat: *Si acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit*.

4. Ostenditur tertiò. Quia præceptum generale est in omnibus scripturis, immo, & de iure naturæ, vt resistamus concupiscentiæ carnis; hoc autem præceptum non obligaret coniuges in concupiscen-

Digitized by Google

ſcentia omnium maximè pudenda, nempe in Venerea, ſi ipſis liceret, quoties ſtimulantur, Venerem cum coniuge explere.

Oſtenditur quartò ex Patribus. Primò ex Auguſtino, cuius duo loca iam retulimus, ſed adſunt alia non prætermittenda. De Bono coniugali cap. 10.: *Concubitus neceſſarius cauſa generandi inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille autem, qui vltra iſtam neceſſitatem progreditur, iam non rationi, ſed libidini obſequitur. Si autem ambo coniuges tali concupiſcentia ſubiungantur, rem faciunt non planè nuptiarum.* Et eodem libro cap. 5. *Matronæ, quæ viros ſuos plerumque etiam continere cupientes ad reddendum carnale debitum cogunt non deſiderio prolis, ſed ardore concupiſcentiæ, ipſo ſuo iure intemperanter vtuntur.* Actus autem intemperatus peccatum eſt. Et ibidem: *Turpe eſt libidinosè velle vti marito.* Et alibi pluries idem affirmat in eo libro. Lib. 22. contra Fauſtum cap. 6. *Conſulta*, inquit, *æterna lex illa, quæ ordinem naturalem conſeruari iubet, perturbari vetat, non niſi propagationis cauſa ſtatuit, hominis concubitum fieri.*

5. Maximè autem hanc veritatem inculcat Auguſtinus ſer. 244. de Tempore, vbi docet ex profeſſo, peccatum eſſe cognoſcere vxorem non procreandorum filiorum cauſa, immo eſſe contra tabulas matrimoniales, vbi dicitur: *Liberorum procreandorum cauſa*, non libidinis. Item peccatum eſſe cognoſcere vxorem tempore fluxus menſtrui, afferens illud Ezechielis 15. & Leuitici 16. *Ad mulierem menſtruatam ne acceſſeris*; quod memorat etiam Gregorius cap. *Ad eius* diſt. 5., ſubditque, filios ex tali copula ſuſceptos euadere leproſos, epilepticos, vel etiam dæmoniacos, idque ſolere accidere filiis ruſticorum, quia ruſtici minùs continent, quàm ſapientes. Item; quòd cognoſcere vxorem grauidam ſit magnæ luxuriæ, vel ebrietatis argumentum: *Quod peius eſt*, inquit, *ſunt aliqui ita luxurioſi, vel ebrioſi, qui aliquoties nec prægnantibus vxoribus parcant.* Iiſdemque verbis loquitur de Bono coniugali cap. 5.: *Sunt item viri vſque adeo incontinentes, vt coniugibus nec grauidis parcant*: Dicitque, eos eſſe animalibus peiores, quæ non niſi certo tempore copulantur, & contra eos militare dictum Apoſtoli: *Vt ſciat vniſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione &c.*, quod ſupra oſtendimus. Arguit etiam, quòd terra ſata non amplius ſeminatur, nec abſolutè ſeminatur, niſi quantum fructificare poteſt; ergo ita faciendum eſt in vxore. Affert etiam præceptum Domini ad Hæbreos Exodi 16., ne cognoſcerent vxores, cùm acceſſuri erant ad Montem Synai. Et illud Deuteron. 27., quo interdicitur vſus carnium ſa-

Digitized by Google

crificij nocturnam passo pollutionem. Affert autem obiectionem: *Sed dices, vxorem excepto desiderio filiorum agnoscere, peccatum est?* Et respondet: *In tantum peccatum est, vt Propheta pœnitens clamet. In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Hortatur etiam, vt eleemosynis impetrent a Deo gratiam, ne libidine vincantur ad cognoscendam vxorem præter desiderium filiorũ. Idemque docet homil. 50. ex. 50.

6. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum (& refertur cap. Origo 32. qu. 4.) redarguens eos, qui cognoscunt vxores grauidas: *Imitentur*, inquit, *saltem pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit, ne perdant filios*. Supra quod Glosa: *Perit enim partus ex frequenti concussione*.

Gregorius cap. *Adeius*, dist. 5. prohibet viris accedere ad vxores quoadusque filius ablactetur, & reprehendit illum accessum, tamquam causatum ex incontinentia Lib. autem 12. epist. cap. 10. ad interrogation. Augustini: *Romanorum*, inquit, *semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri quiescere, & ab ingressu Ecclesiæ paululùm reuerenter abstinere. Nec hæc dicentes deputamus, culpam esse coniugium; sed, quia ipsa licita admixtio coniugũ sine uoluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia uoluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest*; cùm, scilicet, voluptas expetitur propter ipsam. Et subdit: *Si quis ergo suam coniugem non cupidine uoluptatis, sed solummodò liberorum creandorum gratia utitur, iste profectò de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Corporis Domini, Sanguinisque mysterio suo est relinquendus iudicio, quia nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cùm uerò non amor procreandæ sobolis, sed uoluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione, quod doleant*. Quæ verba referuntur cap. *Vir cum propria* 33. qu. 4.

Clemens Romanus l. 6. Apostolica. Constit. cap. 7. *Sola uoluptas, si quis ea etiã utatur in cõiugio, est præter leges, & iniusta, & a ratione aliena.*

Anselmus in primam Corinth. 7.: *Tunc solùm coniuges sine culpa sunt in admixtione, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Sed tamen, & illa commixtio, quæ fit pro sola uoluptate, ueniam accipit propter nuptias*. Veniam accipit, non quasi non imputetur ad culpam; hoc enim repugnat dicto præcedenti, & aliàs venia non datur, nisi culpæ, vt supra dictum est; sed, vt sit venialis, non mortalis.

Fulgentius Epistola de debito coniugali cap. 3.: *Coniugatus, si fornicetur, damnabiliter peccat; si uerò thori fidem non deserat, sed in uxo-*

in uxore ſua naturali dumtaxat uſu aliquantulùm intẽperatus excedat, non ſolùm, ſcilicet, generationem quærens, ſed aliquando libidini carnis obtemperans, hoc equidem ſine culpa non facit. Idem repetit cap. 4.

Iſidorus lib. primo de Summo bono cap. 39. (& refertur cap. *Non ſolùm* 32. qu. 7.) *Quæ indeſinenter libidini ſeruiunt, nec mutis pecoribus comparauerim: pecora enim, cùm conceperint, vltra non indulgent maribus copiam ſui.* Athenagoras in fine legationis pro Chriſtianis dicit, vxoribus Chriſtianis, ex quo grauidæ ſunt, viros eſſe deſinere, modumq; concupiſcentiæ definiri procreatione liberorum apud Chriſtianos. Quod ipſum dixit Apoſtolus ſupra relatus Theſſalonic. 5. vbi præcipit Chriſtianis poſſidere vas ſuum in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut gentes, quæ ignorant Deum. Ex quo ſequitur, a lege, vel more Chriſtiano diſcedere Propoſitionem, contra quam diſputamus.

7. Oſtendi poteſt etiam ex Scholaſticis; nam quadraginta pro hac parte enumerat Sanchez de Matim tom. 3. lib. 9. diſp. 11. num. 4. quam etiam ipſe ſequitur; ex quibus grauiores ſunt, Magiſter in 4. diſt. 31. D. Thomas eadem diſt. quæſt. 2. art. 3. & 22. qu. 154. art. 2. ad 6, vbi inter peccata luxuriæ enumerat copulam inter coniuges gratia libidinis, licèt aſſerat, minoris eſſe grauitatis, quàm ſit fornicatio; & in Supplemento qu. 49. art. 6. Albertus Magnus in 4. diſt. 31. ar. 25. §. *Reſponſio*: Alenſis 2. p. ſummæ qu. 147. membro 2. Bonauentura eadem diſtinctione qu. 3. in fine. Abulenſis qu. 235. in cap. 1. Matthæi.

Oſtenditur tamdem breui argumento. Quia opus factum ob delectationem eſt factum ex incontinentia, quia, ſcilicet, animus nõ ſe continet ab illa delectatione, ad quam fertur libido; idque vltro fatentur ipſi Authores Propoſitionis, immo hoc eſt, quod contendunt, ſcilicet, opus coniugii exercitum ob incontinentiam non eſſe peccatum; ſed hoc repugnet in terminis; nam incontinentia mala, & vitioſa eſt; ergo & actus eius. Impoſſibile eſt enim, vt actus deſcendens de vitioſo non ſit vitioſus; ergo, &c.

✠ ✠ ✠

Digitized by Google

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propositione, & ostenditur, nuptias non esse institutas secundariò in remedium libidinis.

1. PRincipale fundamentum damnatæ sententiæ est; quia nuptiæ, vt aiunt, institutæ sunt primò quidem in procreationem prolis, secundò verò in remedium libidinis; ergo, etiam si copula ineatur tantùm ad extinguendam libidinem, adhuc a peccato erit immunis, quia adhuc tendit in debitum finem. Antecedens probant ex Apostolo prima Corinth. 7.: *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum*: Et: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet uos Satanas propter incontinentiam vestram*. Et: *Si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quàm vri*. Addunt quoque præceptum Domini Matth. 5. 33., & cap. 19. 9. iubentis, non dimitti vxorem, ne exponatur periculo mœchiæ.

Respondetur, negando Antecedens, cuius falsitas ostenditur multipliciter. Primò. Nuptiæ institutæ sunt in Paradiso ante exortum malum libidinis, vt patet Genes. 2. Et dicitur cap. *Quod votum* de voto, & voti Redemptione in 6., notatque Augustin. 3. contra Iulianum cap. 26., ergo non sunt institutæ, neque secundò in remedium illius mali.

2. Hic solet dici, ex præscientia futuræ libidinis nuptias institutas a Deo in remedium illius; vel post exortam libidinem extensas ad illum finem. Glosa autem in supradictum caput, *Quod uotum*, Gratianus 32. qu. 2, cap. 2., & Magister in 4. dist. 26. iisdem fere verbis asserunt duplicem institutionem nuptiarum, alteram ante peccatum: *Vt esset*, inquit Gratianus, *immaculatus thorus, & honorabiles nuptiæ*; altera post peccatum; *ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate exciperetur coniugij*. Quod probat ex illo Apostoli mox relato; *Et iterum reuertimini in idipsum, &c.* Ex quo sic arguit. *Qui ergo propter incontinentiam in naturalem usum redire monentur, patet, quòd non propter filiorum propagationem tantùm miscери iubentur*. Similia dicit Magist. loc. cit. & in 3. dist. 26. Et hęc sententia tãquã indubia habetur a Recẽtioribus.

Lon-

Digitized by Google

Longiùs progreditur Abulenſis quinque diſtinguens inſtitutionea nuptiarum. Primam ante peccatum in officium naturæ, & procreationem prolis. Secundam poſt peccatum in remedium libidinis, cùm dictum eſt Noè: *Creſcite, & multiplicamini*, Geneſ. 9. Tertiam ad idem remedium, ſed cum determinatione perſonarum Leuitici 18. & 20. Quartam a Chriſto Domino in remediũ libidinis Matt. 5. & ad ſignificandam vnionem Chriſti cum Eccleſia Epheſior. 5. Quintam in iure ciuili ad obſequia, & vtilitates humanas. Addit. qu. 8. in cap 7. Matth., a Chriſto principaliùs inſtitutas nuptias in remedium libidinis, quàm ob generationem.

3. Hæc improbabilia ſunt; vtq; ab vltimo incipiamus. Non opus erat, a Chriſto inſtitui nuptias in remediũ libidinis, ſi iam, vel extenſæ, vel inſtitutæ erant ad eum finem; quia poſt inſtitutionẽ res confirmari poteſt, non inſtitui, ſicut poſt productionẽ conſeruari, nõ produci. Secundò. Copulari ex incontinentia, vitium eſt; ergo, ſi Chriſtus principaliùs inſtituit nuptias in remediũ incontinentiæ, imperfectiores eas ſtatuit, quàm eſſent in lege veteri, vel ante diluuiũ cùm ſolũ, vel principaliùs ad generationem erant inſtitutæ; ergo perfectior erat lex naturæ, & Moſaica, quàm lex Euangelica: hoc autem in iniuriam Chriſti, & Euangelii eſt. Tertiò. Diuerſitas ſexuum, per quam fit copula, vel ſolùm, vel ſaltim principaliùs eſt ob generationem; quis enim oppoſitum dicat, cùm illa diuerſitas fuerit ante exortam libidinem? Ergo etiam copula, idque ex rei natura; ergo neque poterat inſtitui, vt nuptiæ, & copula principaliùs eſſent in remedium libidinis, fuiſſet enim contra ordinem naturæ. Quartò. Chriſtus non venit ad relaxanda fræna libidinis, ſed ad eam cohibendam, immo ad virginitatẽ inducendam in terris; non enim facilè in his reperitur, niſi poſtquam ipſe deſcendit, vt notat Ambroſius lib. 1. de Virginibus; ſed inſtituere nuptias principaliùs in remedium libidinis eſt relaxare fræna libidinis, vt, nimirum, exaturari poſſit ſine peccato; ergo id non conuenit Chriſto. Quintò. Chriſtus inhibuit pluralitatem vxorum, quæ quantùm ad ius naturæ non erat illicita, vt vult ipſe Abulenſis; & hoc ſine dubio ad reprimendam libidinem; ergo non eſt veriſimile, vt eam indulgentiam tribuerit libidini coniugum, qua poſſet ſine peccato expleri, quoties inſurgeret; nam copulari pluribus vxoribus ad procreationem prolis poteſt non eſſe libidinoſum, vt de antiquis Patriarchis credere debemus; vel ſaltem minùs libidinoſum eſt, quàm vni vxori copulari, quoties feruet libido; ergo non fuit conueniens, Chriſtum, & inhibere poligamiam, & illam indulgentiam dare libidini.

Digitized by Google

ni. Sextò. Christus non venit soluere legem, sed adimplere Matth.5. quod Augustinus, Hieronymus, & passim alii Patres, & Interpretes explicant, quia (verba sunt Hieronymi lib.1. in cap.5. Matth.) *Ea quæ ante propter infirmitatem audientium rudia, & imperfecta fuerant, sua prædicatione complenerit, iram tollens, & vicem talionis excludens, & occultam in mente concupiscentiam damnans*. Si autem instituit nuptias principaliùs in remedium libidinis, quòd non erat in lege Moysi, neq; naturę nō perfecit imperfecta, immo ad maiorē imperfectionem inclinauit; ergo illud non est dicendum. Septimò. Tunc coniugia fideliū nō perfectiora, & nobiliora essent cōiugiis gentiliū, & Iudæorum, cujus oppositum ait Carhechis. Rom. part.2. de matrim. n.22., immo Trid. sess.20., sed imperfectiora, & ignobiliora. Octauò. Christus eleuauit nuptias ad rationem Sacramenti; ergo non potuit eas principaliùs instituere ad finem, adeo demissum, & vilem, qualis est expletio libidinis; nam nobilior, & dignior est finis procreationis; aliter non eas eleuasset, sed deiecisset. Etiam, quia nuptiæ eleuatæ ad rationem Sacramenti conferunt gratiam ex opere operato, sed gratiam, quam conferunt est ad conseruandam castitatem coniugalem, vt non tantùm coniuges in adulteria non ruant, sed etiam continenter se ipsis vtantur, & non vltra necessitatem generandi; ergo non possunt ipsę esse institutæ, vt sine peccato possit exerceri libido. Minor probatur. Nam si illa gratia non est pro conseruanda castitate coniugali, non est propria Sacramenti coniugii. Est autem absurdissimum, vt, cùm confertur gratia pro castitate seruanda, simul detur licentia, & quidem ex intentione principali, satiandæ libidinis, quam licentiam saltem ex intentione principali non ferebant nuptiæ, cùm illam gratiam non conferebant.

Tamdem. Nullum adest fundamentum huius assertionis. Nam, quòd Christus inhibuerit dimitti coniugem, ne exponatur periculo mechiæ, quod vnum affert Abalensis, non infert illam institutionem, sed tantùm, quòd debeat reddi debitum coniugi, etiam illud petenti ex libidine, ne exponatur illi periculo; etenim in illo reddendo nullum est peccatum; petitio autem, vel exercitium ex libidine, minus malum est, vtpote veniale, quàm adulterium.

Reuera autem Christus non instituit nuptias, sed tantùm ad rationem Sacramenti illas eleuauit.

Quare, & illę quinque institutiones nuptiarum, quas comminiscitur Abulensis, sunt reiiciendæ; non enim quandocumque de aliqua re agitur, aut decernuntur, quæ ad eius rectum vsum, vel admini-

miniſtrationem pertinent, dicendum eſt, ea inſtitui; aliter plurimæ erunt inſtitutiones nuptiarum, quia plurima de iis, tum in vtroque teſtamento, tum in vtroque iure decernuntur.

4. Hinc oſtenditur, non eſſe factam nouam inſtitutionem nuptiarum poſt exortam libidinem in remedium eius, quod dicunt Gloſa, Gratianus, & Magiſter. Primò. Quia, vel dicitur facta ſtatim poſt exortam libidinem; & hoc gratis dicitur, cùm non habeatur in ſcripturis; tanta autè res ſine ſcripturæ authoritate inducenda non eſt. Vel facta poſt egreſſum Noè ex Arca per illa verba: *Creſcite, & multiplicamini*, vt dicit Abulenſis; & tunc plura ſequuntur abſurda. Primò, non fuiſſe eadem iura matrimonii ante, & poſt diluuiũ, ſed ante peccaſſe coniuges, qui ex libidine copulabantur, non peccaſſe poſtea, eo quia antea non erant inſtitutæ nuptiæ in remedium libidinis, ſicut poſtea. Secundum. Æquiorem fuiſſe Deum hominibus poſt diluuium, quàm antea, immo ipſi libidini, quam permiſit, ſine culpa exaturari; quod inde magis apparet abſurdum, quia Deus propter libidinem diluuium induxit in genus humanum: vnde ergo factus eſt illi æquior, & fauorabilis? Tertiò. Quia, nec ante diluuium illa copula fuit mortalis, nec poſt diluuium ceſſauit eſſe venialis; ad quid ergo illa extenſio, ſeu noua inſtitutio nuptiarum? Antecedens quantum ad primum conceditur; quantum ad ſecundum patet ex dictis ſupra cap. primo huius Diſputationis. Quartò. Verba illa: *Creſcite, & multiplicamini*, non ſonant conceſſionem copulæ ex libidine, ſed ad generandum. Quintò. Nuſquam legitur Deus dixiſſe coniugibus: Medemini morbo libidinis; ſed hominibus: *Creſcite, & multiplicamini*, immo libidini vbique iuſſit reſiſti. Quæ argumenta militant etiam contra extenſionem nuptiarum in remedium libidinis. Sed quia Gratianus, Magiſter, & Abulenſis, qui nouæ illius inſtitutionis ſunt Authores, non excuſant a veniali illam copulam locis citatis, non immeritò contradictionis arguuntur; nam peccatum eſt deuiatio a fine, vt lib. 3. de Actibus Humanis cap. 5. probatum eſt; ergo, ſi copula inſtituta eſt in remedium libidinis, non peccat, qui eam ex illo fine exercet; vel ſi peccat, copula non eſt inſtituta ad illum finem; ergo qui vtrumque dicit, ſibi contradicit. Et mirum eſt, qua ratione nouam illam nuptiarum inſtitutionem, vel extenſionem protulerint, de qua, vt dictum eſt, nulla mentio eſt in ſcripturis, ſi exinde non redditur immunis à peccato copula inter coniuges inita ex libidine.

Si autem non admittitur noua inſtitutio nuptiarum in remedium libidinis poſt eam exortam, ſed tantùm extenſio earum, vel

ipſa

Digitized by Google

ipsa prima institutio in Paradiso dicatur facta etiam in remedium libidinis ex præscientia futuritionis eius, id idipsum gratis dicitur; cùm non habeatur ex scripturis; & si id asserirur, vt a veniali sit immunis illa copula, frustra asseritur; impossibile enim est, etiam per Dei potentiam, vt opus factum ex libidine non sit saltim venialiter peccaminosum, vt supra Propositionem 8. probatum est, & cap. 1. huius Disputationis. Atque hoc sit primum argumentum pro falsitate huius opinionis, seu Antecedentis, cuius impugnationem suscepimus.

5, Secundum Argumentum sit ex authoritate Augustini ser. 244. de Tempore, vbi probat, peccaminosam esse copulam inter coniuges ob libidinem, quia terra non seminatur, nisi ad finem fructificandi, vnde tantum seminatur, quantum fructificare potest, & semel seminata, non amplius seminatur. Hæc autem ratio supponit, seminationem, siue copulam inter coniuges esse institutam tantùm ad finem generandi, aliter nulla esset; ergo, &c. Expressè autem ibidem: *Vxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur. Denique, & ipsæ tabulæ matrimoniales hoc continent, liberorum, inquiunt, procreandorum causa. Videte, quia non dixit, libidinis causa, sed liberorum procreandorum.*

Nec potest dici, Augustinum loqui tantùm de causa principali; nam, & exemplum de seminatione terræ excludit omnem aliam causam copulæ coniugalis præter procreationem filiorum; & idipsum ibi suadet coniugibus, vt non copulentur libidinis causa, sed tantùm prolis; ergo vult, nuptias nullo modo esse institutas, vel extensas in remedium libidinis.

Tertium sit ex authoritate Hieronymi, & Isidori, quos retulimus cap. præcedenti, suadentium coniugibus, vt saltim imitentur pecudes, quæ postquam conceperint, non amplius miscentur, reluctante, nimirum, fœmina. Ex quacumque autem causa oriatur illa reluctantia, siue ex naturali auersione copulæ post conceptum, siue, quia, vt aiunt, vulua fœmellæ clauditur post conceptū, vt nō possit sine doloris sensu aperiri, semper dignoscitur, libidinem, siue delectationem veneream in Brutis cohibitā esse fine generādi; ergo ita debet esse in hominibus: nę dicamus, ampliorem licentiam Veneris a Deo ipsis datam, quàm a natura pecudibus; nisi fortè hic propudiosissimam illam neptis, siue sororis Augusti vocem audiemus, quòd, scilicet, ideo Bruta post conceptum non copulantur, quia bruta sunt, nec considerant, quanta se voluptate priuent. Absit.

Quar-

Digitized by Google

Quartum ſit ex authoritate D. Thomæ in Supplemento qu. 49° ar. 5. ad ſecundum, vbi dicit, quòd, ſi coniux per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in ſe, eſt ibi aliqua infirmitas, & ſecundùm hoc eſt peccatum veniale, nec ad hoc eſt inſtitutum matrimonium, niſi ſecundùm indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.

Quintum ſit. Sic Deus inſtituit copulam inter coniuges ad ſalutem generis, ſicut cibum ad ſalutem indiuidui, vt cum Auguſtino de Bono coniugali cap. 16. omnes aſſerunt; ſed cibus non eſt inſtitutus ſecundariò, immo neque extenſus in remedium libidinis gulæ, nec licet comedere ob illam libidinem; ergo neque copula inter cõiuges inſtituta, vel extenſa fuit in remedium libidinis Veneris. Minor patet ex damnatione octauæ Propoſitionis, de qua Nos ſupra; & ex ratione pluries replicata, quia quodlibet opus factum ob delectationem ſenſibilem, ſiue ob libidinẽ natura ſua, & indiſpenſabiliter malum eſt; quia homo debet intendere honeſtum, non delectabile ſecundùm ſenſum, quod eſt proprium bonum brutorum, aliter viuit more eorum, ſiue ſecundùm carnem, ſubiiciendo illi ſpiritum, & rationem.

Fortè negabitur paritas, reponendo, quòd acrior ſit libido Veneris, quàm gulæ; & ideo propter humanam fragilitatem indulſerit Deus remedium illud copulæ inter coniuges.

Sed in primis Argumentum probat, nec potuiſſe concedi, vt illa copula immunis ſit a peccato. Secundò. Non in omnibus acrior eſt libido Veneris, quàm gulæ, vt conſtat experientia, maximè in frigidis, & legitur in hiſtoriis; de Vitellio enim refert Tacitus 2. Hiſtor. cap. 2., quòd epularum fæda, & inexplebili libidine teneretur, non ſic Veneris. De quare nonnulla dicimus etiam infra Propoſitione 48.

8. Acriori libidini acriora ſunt iniicienda fræna, non habenæ laxandæ: Cùmque Venus vſu maximè roboretur, & roborata deterrimos pariat effectus, potiùs inhibitionibus eſt reuocanda, quàm indulgentiis nutrienda. Quartò. Si in remedium fragilitatis conceſſa eſt illa copula, certè etiam non vxorati fragiles ſunt, quibus tamen omnis venerea voluptas etiam minima eſt ſub lethali interdicta; iniuſtum autem videri poteſt, vt is, qui, ſecundùm quòd loquitur Auguſtinus 4. Confeſ. cap 2., regno potiuntur vxorio, vbi per copulam initam gratia prolis etiam poſſunt ſedare libidinem, licentiam inſuper habeant copulæ ob ſolam libidinem exercendæ, ne illa erumpat in adulteria; pro ſolutis autem nullum adſit venereum

Digitized by Google

remedium Veneris comprimendæ, ne in grauia flagitia ruant. Videri igitur potest ad illum finem istis licita mollities, vel simplex fornicatio, quod nefas est asserere. Certè non aliud discrimen intercedit inter coniuges, & solutos, nisi, quòd illi dant operam liberis procreandis, isti verò minimè. Ex quo, si sequitur, quòd illi vltra finem procreandorum liberorum, vbi sedatur etiam libido, possint quoties voluerint sine peccato ad eam sedandam (potiùs nutriendam) sese copulare, illud videbitur in hac re impleri, quod dicitur: *Omni habenti dabitur, & abundabit*. Et coniuges sine peccato facient sibi curam, siue prouidentiam carnis in desideriis, non obstante inhibitione Apostoli Rom. 13.

13. 5. Reuera facultas illa non est remedium contra morbum libidinis, idest, vt caro subiiciatur spiritui, in quo est vera hominis sanitas, sed potiùs effusio, expletio, & victoria libidinis contra spiritum. Nullus autem ea approbet Medicorum pharmaca, sed nec pharmaca appellet, quibus ingraueſcat vis morbi ad superandam naturam. Verum igitur contra libidinem pharmacum illud est, quod, & sumebat, & propinabat Apostolus: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, prima Corinth. 9. Nec sufficit, quòd illi, qui sunt soluti, possint ducere vxores, & sic eodem priuilegio, vel remedio pro sua libidine potiri. Quot enim sunt, qui, vel deformitate, vel inopia, vel alia de causa non possunt statum inire coniugalem? Et semper militat ratio nimiæ inæqualitatis inter coniugatos, & solutos, idest, excedentis finem coniugii. Sextò. Illud ipsum remedium pro coniugibus est insufficiens. Quid enim, si alter coniugum, vel diu ægrotet, vel carcere detineatur? Quid, si (quod frequenter accidit) longo tempore pro negotiis absit? Quid, si reddatur impotens impedimento non perpetuo? Tunc, nimirum, ad labores, mortificationes, orationes confugiendum est. Ad hæc igitur remedia recurrant: etiam cùm, & præsentes, & sani, & validi sunt.

7. Non negamus autem, immo vltro fatemur, nuptias ferre secũ re medium libidinis; idq; duplici ratione; quia, & ex copula inita ob prolem sedatur etiam ardor libidinis, & quia ex fœdere coniugali fit, vt copula inter coniuges etiã facta ex libidine sit venialis tantũ, nõ mortalis: atq; in hoc sensu potest admitti nuptias habere pro fine secundario illud remedium tãqm effectũ cõsequentẽ. Vtrumque prẽstrinxit Augustinus 9. de Genesi ad litt. cap. 7. *Vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum. vt quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium*) Ecce ipsa copula ad suscipiendam prolem, quæ sola est officium sani, est reme-

Digitized by Google

remedium contra morbum libidinis): *Neque enim, quia incontinentia malum eſt, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non eſt bonum; immo verò non per illud malum culpabile eſt hoc bonum, ſed per hoc bonum veniale eſt illud malum.* Ecce quòd nuptiæ medentur morbo libidinis, quatenus reddunt venialem copulam propter incontinentiam, quæ aliàs eſſet mortalis. Quòd verò ita inſtitutæ ſint ob illum finem, vt abſque vllo peccato poſſit a coniugibus exerceri copula propter libidinem, omnino falſum eſt.

8. Ad loca Apoſtoli pro ea ſententia adducta Reſpondetur. Ad primum, quòd ly *propter* non denotat cauſam finalem, ſed excitantem, & impulſiuam; timor enim fornicationis poteſt excitare homines, vt applicent ſe, & decernant inire ſtatum coniugalem; ipſe verò ſtatus ad propagationem prolis, tamquam ad finem eſt ordinandus, vt ipſe tabulæ matrimoniales, quod ſupra monuit Auguſtinus, teſtantur. Sic Conſtantinus Magnus ex fine curationis a lepra motus eſt, vt cogitaret de Baptiſmo, & ad ipſum recipiendum applicaret; tamen finis principalis ſuſceptionis fuit mundatio a peccatis, & renaſci in Chriſto; aliter peccaſſet. Sic Valerianus D. Cæciliæ ſponſus ex cupiditate videndi Angelum motus eſt ad percipiendum Baptiſmum, vt in Actis eiuſdem D. Cæciliæ legitur. Sic, cùm Principes pro concilianda pace nuptias contrahunt, non habent, nec habere poſſunt eam pacem pro fine principali nuptiarum, vel copulæ, ſed bene pro fine, ſeu motiuo, quo excitentur, ſeu applicent ad eas nuptias.

Pius Secundus eleganti, & prolixa Epiſtola ſuadet Turcarum Principi, vt Baptiſmum, fidemque Chriſtianam ſuſcipiat; ſic enim fore, vt Chriſtianis omnibus amori, & veneration eſſet, & veluti arbiter Chriſtianitatis. Quis autem dicat, id intendi a Pio, vt bonum illud tẽporale haberetur a Turca, tãqm̃ finis principalis fidei ſuſcipiendæ? Etenim grauem iniuriam fidei irrogaſſet, & Turcam ad peccatum impuliſſet; ergo illud motiuum proponit ad excitandum, & applicandum, non tamquam finem principalem. Sic dicendum de motiuo vitandæ incontinentiæ per nuptias.

Ad ſecundum dicitur, ibi præcipi, vt reddatur debitum, etiam dum petitur ex libidine, ad auertendas tentationes Satanę de Mechia; non præcipi autem, ſed tantùm permitti ſecundùm indulgentiam, ſiue veniam, vt ad eumdem finem petatur; ex quo reuera ſequitur, illam petitionem eſſe peccaminoſam.

Ad tertium patet ex dictis ad primum.

Ad quartum dicitur, ex illo præcepto Chriſti non inferri, quòd

Digitized by Google

sit immunis a peccato petitio debiti ex incontinentia, neque, quòd nuptiæ institutæ sint propter incontinentiam, sed tantùm, quòd, quia grauior est mœchia, quàm copula cum coniuge ex incontinentia, debet coniux potiùs permittere hoc minus malum, quàm inducere coniugem ad primum grauius, & ideo retinere coniugem domi, ne fiat adultera.

Argui potest secundò pro Propositione authoritate Augustini lib. de Adulterinis Coniugiis cap. 12. *Infirmitati*, inquit, *voluit Apostolus subuenire honestate nuptiarum, non enim ait: Si filios non habent, sed, si se non continent, nubant.* De Bono quoque Coniugali c. 10. & de Sancta Virginitate cap. 9. ait, quòd modò solummodo periculum incontinentiæ debeat esse ratio nubendi, non desiderium prolis; nam modò nullus perfectus quærit habere filios, nisi spiritualiter.

Respondetur, non posse a voluntate nubendi excludi intentionem suscipiendæ prolis, aliter nuptiæ destruuntur in sui natura, ideſt, non nuptiæ, sed pacta sunt fornicationum; vt ipse Augustinus docet 4. Confess. cap. 2., & de Bono Coniugali cap. 5., & Nos ostendemus infra supra Propositionem 48. cap. 3. & 4. Ergo ipse ibi iuxta mentem Apostoli suadet tantummodò hominibus, vt non applicent ad nuptias propter habendos filios, quia appropinquante fine sæculi, & vocatis per fidem omnibus gentibus ad Ecclesiam pro implendo numero filiorum Dei, non est necesse, vt per generationem carnalem multiplicentur filii sæculi, quibus cum sanguine tradatur fidei successio, sicut oportebat fieri in Synagoga, cùm solus Iudaicus populus cognitor esset, & cultor veri Dei, propter quod antiqui Patres plures etiam vxores ducebant, non vtique ex libidine, sed ex charitate multiplicandi populi fidelis: ideo modò non amor prolis, sed tantùm timor fornicationis debet mouere homines, vt applicent ad nuptias; ideo dicit, quòd nullus perfectus modò quærit habere filios, nisi spiritualiter. Nuptiæ verò ipsę, si ineuntur, pro procreandis filiis ineundæ sunt, licèt motiuum, vt ad eas ineundas applicetur, debeat, vel possit esse timor fornicationis.

9. Argui potest 3. authoritate Chrysostomi homilia 3. super verba illa Isaiæ: *Vidi Dominum*, vbi ait, per vxorem tolli a marito excusationem de culpa adulterii commissi ex vi concupiscentiæ: *Ob id enim*, inquit, *matrimonium, & huius legitimus vsus permittitur, ne quid horum excusare possit maritus. Hanc ob causam data est illi mulier adiutrix, vt efferaescentem naturam coerceat, vt concupiscentiæ fluctus*

Digitized by Google

fluctus ſedet. Ergo planè Chryſoſtomus vult, nuptias inſtitutas in remedium libidinis, dum dicit, mulierem datam eſſe adiutricem, ſeu in adiutorium viro ad ſedandos concupiſcentię fluctus.

Reſpondetur, mulierem datam eſſe adiutricem viro, antequã conſurgerent concupiſcentiæ fluctus; non ergo ad illos ſedandos, ſed ad generandum: *Sicut adiutorium ſemini terra eſt, vt virgultum ex vtroque naſcatur, idque & in prima rerum conditione dictum eſt: maſculum, & faminam fecit eos, & benedixit eis dicens: Creſcite, & multiplicamini*; vt ait Auguſtinus 9. de Geneſi ad litt. cap. 3. Sed, quia ipſe ardor concupiſcentiæ poſt peccatum exortæ per copulam initam gratia prolis ſedatur, ideo Chryſoſtomus dicit, datam mulierem adiutricem viro ad ſedandos concupiſcentiæ fluctus, & hoc ſufficit ad redarguendos adulteros, quod ille intendit. Neque facile iudicandum eſt, illum eam ex inſtitutione matrimonii dediſſe licentiam coniugibus, vt abſque vllo peccato ſola libidinis, ſeu voluptatis gratia copulari poſſint.

Poteſt quoque eo ſenſu dici mulier adiutrix viri ad ſedandam concupiſcentiam, quia ex fœdere nuptiali fit, vt copula inter coniuges etiam ex libidine inita ſit tantùm venialis, quæ alias eſſet mortalis: vnde rectè redarguuntur, ſi in adulteria erumpant, quia minore culpa, ideſt, tantùm veniali poſſunt ſedare concupiſcentiam, quod alij non poſſunt. Quare cauſalis illa Chryſoſtomi intelligenda non eſt ſtrictè, ſed potiùs in ſenſu concomitanti, cùm id ſufficiat ad eius intentum, & non rarò ſimiles loquendi formæ vſurpentur.

10. Argui poteſt 4. ratione. Quia, niſi dicantur nuptiæ inſtitutæ ſaltem ſecundariò in remedium libidinis, ſequitur, copulam inter coniuges initam ex libidine eſſe mortalem, cuius oppoſitum dicunt Patres relati capite præcedenti. Sequela probatur. Primo. Quia non redditur ſufficiens ratio, cur talis non ſit. Secundò. Quia fœdus nuptiale non dat poteſtatem coniugibus mutuò in corpora, niſi ad finem generandi, ſi tantùm huius gratia dicitur inſtitutum fuiſſe, & contrahi; ergo copula præter hunc finem inita non excuſatur ex illo fœdere, ſed relinquitur in grauitate ſuæ malitiæ, veluti inter ſolutos; ſed hæc eſt mortalis, ergo & illa.

Reſpondetnr negando ſequelam. Ad primam probationem dicitur, rationem reddi poſſe ex verbis Auguſtini de Bono Coniugali cap. 11., vbi ſic loquitur: *Tantum valet ordinatio Creatoris, & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum conceſſis, etiam cùm modus excedituꝛ, longè ſit tolerabilius, quàm in eis, quæ conceſſa non ſunt, vel*

vnus

Digitized by Google

vnus, vel rarus excessus; & ideo in re concessa immoderatio coniugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam, quòd longè minus peccat quàmliet assiduus ad vxorem, quàm vel rarissimus ad fornicationem. Quod confirmari potest exemplo concessionis de cibis Paschalibus in diebus vetitis: per hanc enim fit, vt qui eam concessionem habent, etiam si in comedendo modum temperantiæ excedant, venialiter peccent, nisi notabiliter suam valetudinem lædant; quamuis iisdem nec concedatur, nec concedi possit licentia ad exaturandam gulæ libidinem, sed tantùm ad tuendam salutem.

Qui verò eam concessionem non habent, etiam si modicum comedant, peccant mortaliter; quia, nimirum, isti vtuntur re non concessa, illi verò immoderatè re concessa. Quamuis ergo coniugibus non sit concessa potestascopulæ ad exaturandam libidinem Veneris, sed ad procreationem prolis, adhuc tamen, cùm propter libidinem miscentur, non lethaliter, sed venialiter peccant, quia non vtuntur re non concessa, sed immoderatè re concessa. Exemplum ipsum deducitur ex Augustino de Bono Coniugali cap. 16.: *Quod est,* inquit, *cibus ad salutem hominis. hoc est concubitus ad salutem generis. Quod est autẽ in substentãda vita illicitus cibus, hoc est in quærenda prole fornicarius, vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxuria ventris, & gutturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullus immoderatior appetitus, hoc in coniugibus venialis ille concubitus.*

11. Sed fortè dicetur. Quæstio est, an illa copula sit mortalis, nec ne; ergo non confert, quòd coniux, cum qua initur, sit concessa ad copulam; non enim est concessa ad illam, si nuptiæ non sunt etiam in remedium libidinis; ergo illa remanet in malitia, quam habet extra nuptias; sed illa est mortalis; ergo, &c.

Respondetur, multùm conferre, vt patet in exemplo de cibis: concessio enim ciborum paschalium tempore vetito præstat, vt immoderata eorum sumptio non sit mortalis, cùm aliàs etiam moderata mortalis esset; quamuis nec concedatur, nec concedi possit comestio immoderata etiam de cibis licitis, seu, nulli possint cibi concedi ad immoderatam comestionem Ita, quamuis non sit concessa illa copula, seu coniux ad illam copulam ex libidine, quia nec concedi potest, vt sit sine peccato; quia tamen est cum coniuge, quæ est concessa ad copulam, venialis est, non mortalis.

12. Video contra hæc posse replicari. Quòd ex discursu illo Augustini non inferatur, copulam illam non esse mortalem, sed tantú tole-

Digitized by Google

tolerabiliorem fornicatione; etiam autem ex cu pis mortalibus vna poteſt eſſe minor, & tolerabilior altera. Nec, cùm Patres dicunt, illam eſſe venialem, cõſtat ſumi ab eis veniale pro eo peccato quod nõ abrumpit cum Deo amicitiam, quodq; tolli poteſt abſque eius confeſſione in Sacramento pœnitentiæ: poſſunt enim illud ſumere pro peccato faciliùs condonabili, etiam ſi mortale ſit, propter magnam carnis fragilitatem; & quòd copula, & effuſio ſeminis ex natura ſua res grauis eſt, atq; adeo, cùm non eſt licita, non eſt venialiter, ſed mortaliter mala; ideo enim, & pollutio, & fornicatio iudicãtur mortaliter malæ: Et quòd, cùm effunditur ſemen ſine ſpe, aut poſſibilitate conceptionis, vt accidit in copula cum coniuge grauida, vel ſterili, diſperditur homo, & quodammodò occiditur, antequam concipiatur; quia ex qualibet effuſione poteſt ille generari; & hac ratione mollities dicitur eſſe mortalis, vt patebit infra Propoſit. 49. Et inſuper, quòd ſubmerſio rationis accidens in copula, & ſeminatione ex vehementia delectationis, propter quam Propoſitione 48. & 49. probabimus, illas eſſe ex natura ſua malas, & numquam excuſabiles à culpa, niſi cùm fiunt cum coniuge ad finem generandi, etiã res grauis eſt. Ex quibus omnibus videtur confici, copulam ex libidine, etiã cum coniuge eſſe mortalem. Quare difficiliùs eſt mihi excuſare illam à mortali, quàm de veniali damnare, & mallem in hac re aliena excipere, quàm mea ingerere. Sed quia ratio adducta ex Auguſtino eſt probabilis ad propoſitum, & ſententiæ plurium Patrum excuſare videntur illam copulam à mortali, perſpicuè autem Apoſtolus prima Corinth. 7. dum dicit, ſe illam permittere ſecundùm veniam, quod non diceret de mortali, ideo exiſtimo in hoc quieſcendum eſſe.

13. Argui poteſt quintò etiam ratione. Quia reddere debitum, dum petitur ex libidine, non eſt peccatum; ergo neque ex libidine petere. Conſequentia probatur. Quia non videtur poſſibile, quòd peccet, qui petit, & non qui reddit; nam qui reddit, cooperatur peccato petentis.

Ad hoc Argumentum reſpondebitur infra Propoſitione 51. cap. 4 argum. 2. vbi agemus de peccato, quod committitur ex concurſu ad peccatum alterius.

Sed modò reſpodemus ad aliam difficultatem, quæ etiam ex hoc capite poteſt vrgeri.

Nam, ſi peccat petens ex libidine, non videtur eſſe, neque iuſtitiæ, neque charitatis tunc reddere, quia non poteſt tunc exerceri copula ſine peccato eius, qui eam ex libidine exercet; iuſtitia autem non poteſt obligare, vt demus alteri occaſionem, vel materiam

Digitized by Google

riam peccandi, vel vt faciamus id, in quo alius noscitur peccaturus, multò minùs ad id potest obligare charitas, ergo, vel peccat etiam reddens, vel neque peccat petens ex libidine: ex quo sequitur, nuptias esse saltem secundariò institutas in remedium libidinis.

Respondetur, posse ex iustitia, & charitate oriri debitum, non quidem ad mouendum alium ad peccandum, sed ad faciendum aliquid, sine quo alter peccare non potest, seu, ad præbendam alteri materiam, siue occasionem, in qua noscitur peccaturus; non quidem ex intentione, aut complacentia peccati illius, sed ex fine virtutis; totum enim hoc non est amplius, quàm permittere peccatum, quòd non tantum non repugnat virtuti, sed potest oriri est ea. Si non possit quis succurrere graui necessitati sui, vel familiæ, nisi mutuando ab vsurario, tenetur id facere ex charitate ergæ se ipsum, & ex debito iustitiæ erga familiam; & tamen in eo materiam, & occasionem vsurario præbet exercendæ vsuræ. Milites in bello ex iustitia propter stipendia, quæ accipiunt, tenentur fortiter sternere hostes etiam infideles, quamuis illi post mortem cadant in gehennam. Si a debitore exigatur pecunia debita, tenetur hic reddere ex iustitia, etiam si noscat, creditorem ex prauo affectu ad finem praunm illam exigere. Ita: coniux ex iustitia propter fœdus nuptiale, & ex charitate ad auertendum coniugem a grauiori culpa mœchiæ tenetur, & vtique absque peccato, (nam ad peccatum nullus teneri potest, immo quilibet tenetur euitare peccatum) reddere debitum alteri coniugi, etiam petenti ex libidine. Quòd autem totum hoc non sit amplius, quàm permittere peccatum alterius, patebit ex dicendis infra Propositione 51.

14. Hinc Apostolus prima Corinth. 7. negare debitum vocat fraudem: *Nolite*, inquit, *fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus*, eo quia, vt præmiserat: *Vxor sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed vxor*; & propterea præcipit: *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro*. Ergo tantùm abest, vt peccatum sit reddere debitum coniugi etiam petenti ex libidine, vt illud negare pecatum sit. Perperam autem id intelligit Theophylactus de debito beneuolentiæ, &, quòd coniuges non habent potestatem sui corporis quantùm ad faciendam eius copiam alteri; nam hæc expositio non consonat contextui verborum, neque communi intelligentiæ Patrum, & Interpretum.

Hinc etiam Augustinus de Bono Coniugali cap. 10.: *Debitum non exigere, sed reddere coniugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perso-*

Digitized by Google

perſonam pertinet coniugalem. Et cap. 6.: *Debent ſibi coniuges non ſolùm ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem liberorum procreandorum cauſa; verùm etiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus euitandos mutuam quodammodò ſeruitutem, vt, & quod non filiorum procreandorum cauſa, ſed infirmitatis, & incontinentiæ cauſa expetit, non ſibi alterutrum negent.* Et cap. 7.: *Reddere debitum coniugale nullius eſt criminis, exigere autem vltra generandi neceſſitatem, culpæ venialis. Cauere autem debet charitas coniugalis, ne dum ſibi quærit, vnde amplius honoretur,* (nimirum ex continentia) *coniugi faciat, vnde damnetur* (ex mœchia.) Item Chriſtus etiam præcipit, non dimitti vxorem, ne inducatur in mœchiam.

15. Hinc patet, grauiter erraſſe Huguitium apud Gloſam in caput: *Vir cum propria. 33.* qu. 4., & apud Abulenſem qu. 231. in cap. 5. Matth., dum ait, peccatum eſſe reddere debitum, quia pruritus adeſt, & voluptas in emiſſione ſeminis.

Quæ ratio probat, etiam copulam verè coniugalem, ideſt, quæ fit tantùm generationis cauſa, eſſe peccaminoſam, quod pertinet ad Manicheos damnantes nuptias. Item; etiam copulam in ſtatu innocentiæ, quia illa non fuiſſet ſine delectatione, immo longè maiori, quàm modò propter maiorem incolumitatem corporis, & ſenſuum; cùm tamen copula fuerit in præcepto Adam, & Euæ, ſicut Noe, & filiis eius poſt diluuium, vt propagaretur genus humanum; peccatum autem præcipi non poteſt, cùm peccatum omne ſit contra præceptum.

Quod autem addit Huguitius, ideo, Chriſtum noluiſſe concipi ſecundùm carnem ex copula, quia in ea eſt peccatum, hæreticum eſt, quia ſupponit, nuptias eſſe peccatum, quod eſt contra Apoſtolũ prima Corinth 7., nec ea de cauſa, ſed quia in copula etiam coniugali regnat ardor libidinis ex corruptione naturæ propter peccatum originale, ideo Chriſtus per illam concipi noluit; libido enim mala eſt. Fallitur etiam Sanchez, & nonnullus alius ſecum, dùm putat, tunc ſalem abſque vllo peccato iniri copulam inter coniuges ex ſola libidine, quando nullum aliud ſupereſt remedium illius cohibendæ. Fallitur, inquam. Primò: quia nullus concupiſcentiæ motus eſt inſuperabilis, niſi qui dicitur primò primus, quia anteuertit vſum rationis, & exercitium libertatis; cæteri verò gratia Dei, & libertate arbitrii ſuperari poſſunt, niſi perducant ad infamiam, vt ait D. Thom, 1. 2. qu. 56. art. 2. 2. Quia opus factum ex libidine natura ſua, & indiſpenſabiliter malum eſt, vt pluries oſtendimus. Tertiò. Quia ieiunia, labores, mortificationes, orationes valida ſunt

Digitized by Google

remedia contra carnis petulantiam, iisque vtebatur Apostolus prima Corinth.9., cui ad reprimendam elationem datus erat stimulus carnis. Quartò. Quia Deus non permittit nos tentari supra id, quod possumus, vt idem dicit prima Corinth.10.13.

CAPVT III.

An exercere cum coniuge copulam propter fornicationem vitandam sit idem, ac illam exercere propter libidinem, siue voluptatem.

1. NOnnulli contendunt, hos fines esse distinctos; alii id supponunt, proindeque putant, licitè doceri, immunem à peccato copulam exercitam cum coniuge ad finem vitandæ fornicationis, quamuis id damnatum sit doceri de copula exercita ob voluptatem, siue libidinem. Quare id modo discutiendum est, vt videatur, an illa sententia cadat sub damnatione huius Propositionis.

Dicendum: finé vitandæ fornicationis addere supra simplicem finem percipiendæ voluptatis, siue explendæ libidinis; potest enim voluntas sistere in sola voluptate, absque eo, quòd excurrat ad finem vitandæ fornicationis. Nihilominus, etiam copulam exercitam a coniuge tantùm ad vitandam fornicationem esse ex libidine, atque adeo peccaminosam, idque contineri in damnatione huius Propositionis.

Ostenditur. Quia exercere copulam cum coniuge ad vitandam fornicationem, est illam exercere, vt quiescat ardor libidinis, ne stimulet ad fornicationem; sed exercere copulam, vt quiescat ardor libidinis, est illam exercere ex libidine; ergo, &c. Maior patet. Minor probatur: quia libido ipsa appetit sui quietem per satietatem, siue expletionem; omnis enim inclinatio, siue naturalis, siue acquisita est ad sui quietem, quam motu, vel opere suo quærit. Hinc Augustinus epist 119. ad Ianuarium: *Non aliud*, inquit, *appetunt corpora ponderibus suis, quàm requiescere a motibus suis. Nam corpus tamdiù nititur pondere, donec ad locum, quò nititur, veniens conquiescat.* Qui etiam 19. de Ciuit. Dei cap.12. & 13. ostendit omnia expetere quie-

Digitized by Google

quietem, & pacem; ergo facere opus, ad quod fertur inclinatio, eo fine, vt illa quieſcat, eſt operari ſecundùm illam inclinationem; ergo excercere copulam, ad quam vtique fertur libido, vt ipſa quieſcat, eſt operari ex libidine; ſicut, ſi quis biberet ad quietandum ardorem ſitis, vtique operaretur ex ardore ſitis. Hoc quidem Argumentum apparet euidens.

2. Sed fortè dicetur: Libido appetit copulam propter voluptatẽ, nec libidiniseſt cauere adulteria, immò etiam in ea ferri propter voluptatem; ſed coniux, vt ſupponimus, exercet copulam, vt vitet adulterium; ergo tunc non operatur ex libidine, immò ad comprimendum illam.

Reſpondetur, coniugem quidem tunc non ferri omnino ex libidine, immò aliqualiter ex ratione ad comprimendum eam; id eſt, ab honeſtate, non quantùm ad id, quod facit, ſed quantùm ad id, a quo abſtinet. Vt enim ait Auguſtinus de Bono coniugali cap. 5. *Et ſi turpe eſt libidinosè velle vti marito, honeſtum tamen eſt, nolle miſceri niſi marito.* Ducitur tamen a libidine eo ipſo, quo ad vitandam fornicationem non ieiuniis, mortificationibus, laboribus carnis, velorationibus vtitur, ſed copula, in quam fertur libido; ergo cedit libidini, atque ex eius inſtinctu operatur; ſicut lapis ex grauitate deſcendit deorsũ, etiã cùm a corpore intermedio detinetur, ne feratur vſque ad centrũ; nec abſtinet ab omni malo, ſed eligit minus præ maiori, quod in omni inclinatione vitioſa facere quis poteſt: ex. gr. percutere, ne vulneret, fornicari, ne mechetur, furari argentum, ne rapiat aurum, &c. & tamen omnis actus deſcendens de vitio eſt vitioſus, nec vllus, vt arbitror, excuſabit a peccato percutientem, ne vulneret; operatur enim ex inclinatione iræ, licèt non totaliter ei relaxet frænã. Sic, ſi aliqua honeſtatis ratio reuocat coniugem a profundiori gurgite carnalium voluptatum, non ideo non ſeruit libidini, ſiue ex eius inſtinctu non operatur, dum ſolùm ad eam inſtar ferocis belluę cicurandam coniugi miſcetur, ne ſ. ruat in adulterium. Hoc autem, vt Auguſtinus ait primo de Ciuit. cap. 25.: *Nullo modo faciet animus, qui Deo potiùs, eiuſque ſapientiæ, quàm corporis concupiſcentiæ ſubiectus eſt: Dominatur enim*, vt idem ſubdit, *iniquitas, dum non innocentia, ſed potiùs peccata eliguntur.*

3. Ex his ſequitur, talem copulam eſſe peccaminoſam. Cùm enim libido mala ſit, quidquid ex ea procedit malum eſt.

Item: Tenemur reſiſtere libidini, vt omnes ſacræ paginæ docent; at in illa copula non reſiſtitur, immo ceditur ei; ſicut enim ridiculè quis permittens graue deſcendere deorſum, diceret, ſe reſiſtere motui

Digitized by Google

tui, vel grauirati eius, quia intendit, vt post peruentionē quiescat; ita iudicrè, dum exercetur copula, quā expetit libido, diceretur resisti libidini, quia intenditur, vt postea quiescat, vel ad grauiora nō feratur. Reuera autem copula non est congruum remedium contra libidinem; nullus enim actus procedens de inclinatione est remedium contra eam, immo est augumentum, & robur eius, id quod maximè in Veneris libidine apparet; remedium autem est abstinere ab actu, quia ex tali abstinentia habitus, seu inclinatio debilitari potest, & langueſcere. Hinc Augustinus 4. contra Iulian. cap.14.: *Amor edendi non edendo, sed continendo est comprimendus*. Et vniuersaliter: *In quibuslibet rebus talis* (libidinosus) *domandus, & sanandus est appetitus*. Et loquens de desiderio suauis odoris: *Numquid*, inquit, *si aliquis id desiderauit, satiare debet istam libidinem, non frænare?* Et lib.8.Confess. cap.7. reprehendit se ipsum, quòd maluisset libidinem suam expleri, quàm extingui. Hoc autem facit coniux, qui ad vitandam fornicationem miscetur coniugi; explet enim libidinem suam, non frænat. Quare, & si pro tunc illa quiescat, quia nimirum expleta est, tamen roboratur in habitu, vt denuo impellat ad alias copulas, ex quibus etiam magis roborata feruentiùs, & frequentiùs accendat. Tamdem irrationabile est putare, quòd medela morbi possit esse effectus, siue eruptio eius, siue id, quòd morbus morbosè vtique expetit.

Sed: An coniux semper, ac dicit, se propter fornicationem vitandam miscerì, vel mistum esse coniugi, reuera stimulo fornicationis, idest, concupiscentiæ ad non suam, perculsus fuerit, ipse viderit. Etenim id creditu difficile est; longeque verisimilius, simpliciter eum libidine carnis adactum, quam explere volens, ad excusandas excusationes in peccatis, dicit, se per copulam cum coniuge euitare voluisse fornicationem.

4. Sequitur etiam, quòd sententia immunem reddens a peccato copulam inter coniuges ad vitandam fornicationem tantùm initam, damnata sit in hac Propositione: Etenim in ea damnatur sententia asserens, peccaminosam non esse copulam exercitam inter coniuges ob solam voluptatem, idest, exercitam ex libidine (nam libido est, quæ fertur in voluptatem sensibilem propter ipsam, immo hęc est definitio libidinis: Appetitus voluptatis propter ipsum;) sed copula exercita a coniugibus propter vitandam fornicationem est exercita ex libidine, vt probatum est; ergo saltem virtualiter, & implicitè illa sententia hic damnata est.

Notamus autem in fine huius Capitis, quòd in aliquo sensu potest

Digitized by Google

teſt copula exercita ob incontinentiam, ſiue ob fornicationem vitandam diſtingui a copula exercita ob voluptatem, ſiue libidinem, quo modo diſtinguit eas Abulenſis qu. 235. in cap. 5. Matth.

Si nimirum copula ob incontinentiam dicatur ea, ad quam mouet ſuperabundantia humoris ſeminalis pulſantis ad exitum, & vehementem concupiſcentiam excitantis; copula verò ob voluptatem, ſiue libidinem dicatur ea, ad quam mouet voluntas animi ſuſcitantis libidinem in carne, vt ſentiat voluptatem, quod accidit in habitualiter libidinoſis. Hæc enim copula propriè non exercetur ex incontinentia, ſed ex vitio peiori, ideſt, luxuria, quæ ex ſe mouet ad quærendam voluptatem; incontinentia autem ſupponit tentationes, & occaſiones, quibus non reſiſtitur. Vtraque autem eſt ex libidine, vt ex dictis manifeſtum eſt, atque adeo vtraque peccatum, licèt grauius hæc ſecunda, quàm prima, vt dicit idem Abulenſis.

CAPVT IV.

An oſcula, & tactus inter coniuges ſola voluptatis gratia ſint peccata.

1. AD complementum huius Diſputationis oportebat excitare hoc dubium; pertinet enim ad materiam Propoſitionis, de qua agimus. Et reſpondendum affirmatiuè ex principiis adductis; omnis enim actus factus ob ſolam voluptatem, eſt peccaminoſus, quia factus ex libidine.

Deinde. Oſcula, & tactus voluptatis gratia natura ſua feruntur ad copulam, & ideo in ſolutis mortalia ſunt, quia in illis copula eſt mortalis, vt ait D. Thomas 22. qu. 154. ad 2., ſed in coniugibus copula ob voluptatem eſt venialis; ergo etiam oſcula, & tactus. Tertiò. Tunc tantùm eſt vſus non malus libidinis malæ, quando ordinatur ad generationem; ſed oſcula, & tactus voluptatis gratia, ſiue ex libidine non ordinatur ad generationem; ergo tunc eſt vſus malus libidinis. Idem dicendum eſt de delectatione copulę præteritæ, vel futuræ apprehenſæ, de delectatione, inquam, non per ſimplicem mentis approbationem propter honeſtatem ſuſceptæ, vel ſuſcipiendæ prolis; in hoc enim nullum eſt peccatum; ſed de delectione venerea; copula enim ex vnico illo fine honeſtatur ſuſceptionis [illegible] copula ad id autem non confert, vel pertinet delectatio vener[illegible] la præ-

Digitized by Google

la præterita, vel futura; ergo non est, vnde honestetur; descendit autem de morbo libidinis inclinantis in voluptatem; ergo est mala.

Simile est de delectatione sensibili comestionis, & potationis apprehensæ, de qua ad similitudinem delectationis venereæ sæpe loquitur Augustinus. Habens enim votum, vt Regulares Minimi, de abstinentia a carnibus, & lacticiniis extra tempus infirmitatis, non potest, dum sanus est, sensibiliter delectari de comestione carnium facta tempore infirmitatis, supposito, quòd votum illud extendatur etiam ad delectationes internas, sicut extenditur virtus temperantiæ; quia necessitas, quæ excusabat in opere, non excusat in illa delectatione, de qua nulla est necessitas. Hinc Augustinus ita monet suos in Regula: *Nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos.*

Etenim contra virtutem temperantiæ est capere illam voluptatem, atque adeo est etiam contra votum, si hoc extendatur ad delectationes internas. Nescio, an hæc censenda sint noua; sed, cùm, vt arbitror, sint vera, sunt etiam antiqua, immo antiquissima; nihil enim antiquius veritate, vt dixit Gymnosophista ille ad Alexandrum.

CAPVT V.

An in copula venialiter peccaminosa sit etiam veniale emittere semen extra vas.

1. HOc etiam dubium quadamtenus pertinet ad materiam Propositionis, de qua disputamus.

Et dicendum, quòd emissio seminis extra vas etiam in illa copula sit lethalis. Copula enim tantùm secundùm indulgentiam permittitur coniugibus ad vitandam fornicationem; cùm autem semen emittitur intra vas pertinet illa emissio ad copulam, tanquam terminus eius; sed, cùm emittitur extra non pertinet ad copulam, immo tunc receditur a copula; ergo neque secundùm veniam permittitur.

2. Copula permittitur ad vitandam fornicationem; sed ad hanc vitandam nihil confert emissio seminis extra vas, immo omnino pericu[illegible] & irrationabiliter fit; ergo non est, vnde malitia eius

Digitized by Google

eius minuatùr ad veniale; ergo remanet in ſua malitia mortali.

3. Cùm coniux non eſt grauida, nec ſterilis, proindeque concipere poteſt, tunc emittere ſemen extra vas eſt perdere hominem, & quodammodò interficere, antequam naſcatur; eſt diſturbare animam naſcituram, &c. quæ contra mollitiem dicemus infra Propoſitione 49.; ergo omnino eſt mortale.

4. Mollities in coniugibus eſt mortalis, ſicut in ſolutis; ſed emiſſio ſemin's extra vas eſt ſicut mollities; ergo ea eſt mortalis; & omnino exiſtimo ita dicendum, ne paulatim eò vſque delabamur, vt dicamus, eſſe venialem in coniugibus mollitiem procuratam ad finem exatu randæ libidinis, ne in adulteria feratur; ſi enim eſt tantùm veniale emittere ſemen extra vas, quid refert, an libido exerceatur intra, vel extra?

Poteſt obiici. Ideo videtur mortalis emiſſio ſeminis extra vas, quia præciditur ſpes concipiendæ prolis; ideo enim rem deteſtabilem feciſſe, & percuſſus a Domino legitur Onam ſemen fundens in terra, quia eam ſpem abrumpebat, Gen. 33.; ergo in copula, quæ nõ fit propter prolem, ſed propter incontinentiam non videtur mortalis illa emiſſio, dum copula ipſa non eſt mortalis; aut ſaltim talis non eſt copula cum grauida, vel ſterili; immo tunc videtur ſtultum emittere ſemen iutravas ad ſuſcipiẽdã prolẽ, cũ id ſupponatur impoſſibile.

Reſpondetur, quôd, quamuis copula non ineatur propter prolem, ſed propter incontinentiam, & mulier, quia grauida eſt, vel ſterilis non poſſit concipere, adhuc emiſſio ſeminis extra vas eſt mortalis, quia copula tantùm permittitur propter incontinentiam, non mollities: illa autem emiſſio non pertinet ad copulam, ſed eſt veluti mollities; ergo illæ Onam non tantùm in eo peccabat, quòd ſpem prolis abſcinderet, ſed etiam, quia ſemen fundebat in terra.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VII.

Contra Propositionem X.

Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 TRIBVITVR Scoto in 3. dist. 20. §. *Quantum* versiculo: *Sed loquendo*; tenentque Lorca, Coninch, aliique, dicitque probabilem Auersa, quamuis eam non teneat

Est contra illud Ioannis epistola 1. cap 3. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*: Veritate, scilicet, affectus; cùm enim post opus addat veritatem, non potest intelligi nisi de veritate affectus interni, vt nec sufficiat opus, nisi de illa affectus interni veritate procedat; & meritò, nã sine illa opus esset fictio charitatis; quid enim est fingere, nisi id ostendere exteriùs, quod intus non habeas? Dicit autem Apost. 2. Corinth. 6. *In charitate non ficta*.

Item contra illud Christi Domini, Matthei 18: *Sic pater meus cælestis faciet vobis, nisi remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Vbi, inquit Hieronymus lib. 3. Com. in cap. 8. Matth. *omnem simulationem fictæ pacis excludit*. Si autem tenemur dimittere ex corde, vtique, & diligere.

2. Accedit ratio. Prima. Deus præcipit actus virtutum & abominatur simulationem, & hypocrisim; ergo cùm præcipit dilectionem proximi, præcipit veram, & de corde procedentem; hæc enim est actus virtutis charitatis: exterior verò sine interna est simulatio, & hypocrisis, eaque necessariò in aliquem prauum finem ordinata, atq; adeo peccatum; nullus autem implet, præcepta Dei peccando, neq; peccata ab eo præcipiuntur.

Secundò. Quia Deus per præcepta moralia maximè intendit rectitudinem ordinis interni. 1. affectus, siue voluntatis: qui ordo

ip si

Digitized by Google

ipſi ſpecialiter ſubiacet, cùm ordo externus etiam humanis Legislatoribus, ſiue Superioribus ſubdatur; per præcepta autem charitatis dirigitur homo ad Deum, & proximum; ergo dirigitur quantum ad interna; aliter hæc ſine lege dirigente remanerent, & Deus ſe haberet ſicut Princeps humanus, qui tantùm de ordine externo rerum curaret; ſed hæc abſurdiſſima ſunt; ergo præceptum dilectionis proximi cadit ſupra actum internum.

Tertiò. Deus per præcepta fidei dirigit actum internum intellectus; ergo per præcepta charitatis dirigit actum internum voluntatis. Probatur Conſequentia. Non enim minùs dirigendus eſt actus intellectus, quàm voluntatis, cùm ab hoc dependeat principaliter ordo externus rerum; & in eo propriè ſit peccatum, aut meritum erga Deum; ſed dirigendus eſt etiam in ordine ad proximum; quis enim hoc neget? ergo, &c.

Quartò. Præceptum de diligendo Deo cadit ſupra actum internum voluntatis; ergo etiam præceptum de diligendo proximo. Probatur Conſequentia. Quia eodem actu diligitur Deus, & proximus, cùm hic diligitur propter Deum, propter quem diligi debet; eodem quippe actu attingitur obiectum, & ratio attingendi ipſum, ſicut lux, & color, ſanitas, & medicina, cum hæc eſt volita propter ſanitatem; ſed ratio amandi proximum eſt Deus; ergo eodem actu attingitur vterque. Quòd, ſi proximus non amatur propter Deum, iam non amatur ex charitate; ergo omnino præceptum de diligendo proximo cadit ſupra actum internum voluntatis.

Quintò. Tam multa, & obuia ſunt in ſcripturis præcepta de interna rectitudine cordis, vt enumerari, nec poſſint, nec neceſſe ſit: ſufficiat illud: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt a me*, Iſaiæ 25. 13., quod memorat Chriſtus Dominus Matth. 11. 8., & Marci 7. 6. Inde eſt illa increpatio in Pſalm. 77.: *Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius*. Rectitudo autem cordis maximè conſiſtit in delectione Dei, & proximi; ergo præcipitur actus internus dilectionis proximi.

Hinc Apoſtolus prima Thimoth. 1.: *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*: charitas autem attingit Deum, & proximum.

Et hæc quidem militant contra Propoſitionem, ſi intendat, ad implendum præceptum dilectionis proximi ſufficere externam tantùm beneficentiam, ſine interna dilectione.

3. Quia autem Tamburinus lib. 5. in Decalog. cap. 1. nu. 1. dicit,

Digitized by Google

sufficere dilectionem formaliter terminatam ad Deum, eo quòd hæc sit virtualis dilectio proximi, excludens dilectionem formaliter terminatam ad proximum, idque tribuit D. Tho. Suarez, & Coninchio, dicitque, sibi certum esse, ostenditur, etiam hoc esse falsum.

Primò. Quia duo sunt præcepta charitatis, Dei, scilicet, amor, & proximi, quod maximè patet ex verbis Christi Domini, Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum*; & hæc dualitas maximè in Sacris litteris commendatur, adeo vt Augustinus dixerit tract. 17. in Ioannem, quòd binario numero, cùm aliquid boni significatur, maximè bipartita charitas commendatur; ergo præceptum dilectionis proximi est distinctum a præcepto dilectionis Dei; ergo ad implendum præceptum illud non sufficit diligere Deũ, aliter illud esset frustraneum. Hinc Ioann. Apostolus Epistola 1. c. 4.: *Hoc mandatum*, inquit, *habemus a Deo, vt, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. Vbi manifestè secundam dilectionem a prima distinctam adstruit, licèt a prima causari debeat. Et Augustinus primis Regulæ verbis: *Ante omnia*, inquit, *diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data*.

Secundò. Tenemur ex præcepto charitatis benefacere proximo indigenti: sed hoc non potest fieri, nisi proximus diligatur actu formaliter terminato ad ipsum; ergo, &c. Probatur Minor. Quia non est possibile, vt proximo formaliter ex dilectione benefiat, nisi ille formaliter diligatur.

Tertiò. Dilectio formalis proximi potest cadere sub præcepto, cùm res bona sit, consentanea naturæ, & maximè vtilis, immo & necessaria; ergo de facto dicendum est, de ea adesse præceptum; aliter lex esset imperfecta, non amplectens, nec dirigens rem maximæ bonitatis, & necessitatis.

Sed Tamburinus ait, sufficere ad implendum præceptum dilectionis proximi, si ille odio non habeatur.

4. Verùm hoc penitus absurdum, & inhumanum est. Primo. Aliud est diligere, aliud odio non habere; potest enim non diligi, etiam qui odio non habetur; sed præceptum est, vt diligamus proximum; ergo non sufficit odio non habere.

Secundò. Præceptum est, vt diligamus proximum sicut nos ipsos; ergo, si sufficit odio non habere proximum, sufficit etiam, vt non odio habeamus nosmetipsos; hoc autem prorsus irrationabile est: ex vnione enim, immo ex identitate, quam habemus ad nos ipsos naturaliter fit, vt nõ tantùm nos odio nõ habeamus, immo hoc impossibi-

Digitized by Google

bile eſt), ſed etiam, vt quàm maximè nos diligamus, adeo vt non rarò amor noſtri excedat amorem Dei, illumque excludat; quodlibet enim peccatum committitur ex nimio amore ſui; ergo communicatio, ſeu ſimilitudo in natura, quam habemus cum proximo, non ſolùm mouet, vt proximum odio habere non debeamus, ſed etiam, vt ipſum diligamus. Ideo dicitur: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*. Similitudo enim accedit ad identitatem; ergo propter identitatem ad nos diligimus noſmetipſos, propter ſimilitudinem in natura cum proximo, debemus diligere proximum; non tamen ad æqualitatem, ſed ad ſimilitudinem; hoc enim ſonat ly: *Sicut te ipſum*.

Tertiò. Sicut præcipitur, vt diligatur proximus, ita vt diligatur Deus; ergo, ſi, cùm dicitur: *Diliges proximum*, ſignificatur, ne odio habeamus proximũ, ita, cùm dicitur: *Diliges Deum*, ſignificabitur tantùm, ne odio habeamus Deum; ergo ſufficiet odio non habere Deum; quod quidem proferre auſus eſt Antonius Syrmondus apud Fagnanum de Opinione probabili nu. 336. in fine, ſed indigniſſimè, ac impiè: debemus enim diligere Deum ſupra nos; at erga nos non tantùm non habemus odium, ſed maximã dilectionem. Item: debemus Deum diligere ex toto corde, anima, mente, viribus; an verò id ſit tantùm non habere odio Deum, videat Syrmondus. Rurſus: debemus ſaltem propter Deum odio non habere proximum. At hoc inuoluit amorem Dei. Si enim tantummodò odio non habemus Deũ, non poſſumus inde moueri ad non odio habendum proximum; nam ex pura carentia ad nihil mouemur. Ergo in eo dicitur, vt, non habeamus odio proximum propter amorem Dei; ergo Deus poſitiuè eſt amandus.

Quartò. Si ſufficit odio non habere proximum, nulla erat neceſſitas, vel cauſa, vt Tamburinus diceret, præceptum dilectionis proximi impleri per dilectionem Dei, eo quòd in dilectione Dei contineatur virtualiter dilectio proximi; hoc enim ſupponit, proximum poſitiuè diligendum, non tantùm odio non habendum; ergo Tamburinus ſibi virtualiter contradicit.

5. Quintò. Ad aliquid debet mouere noſtros affectus communicatio naturæ cum proximo, ad quod non mouet negatio talis communicationis cum cæteris rebus; quis enim dicat, æqualiter debere affici hominem erga hominem, ac erga tigridem, vel lapidem? Sed nullam rem ſecundùm ſe conſideratam debemus odio habere, immo quælibet eſt amabilis, cùm quælibet bona ſit, & ſolummodò vitium eſt odio habendum, quia malum; ergo non ſufficit erga hominem

Digitized by Google

non habere odium, sed requiritur etiam dilectio propter communionem in natura.

6. Omnes creaturæ diligendæ sunt tamquam opera, seu facturæ Dei, cuius & nos sumus, sicut Deus eas diligit, etiam possibilia iuxta veriorem sententiam. Hinc Seraphicus Franciscus in primo Cantico, Solem, Lunam, Ignem, Aerem, Nubilum, Serenum, Ventum, &c. fratres appellat, & sorores, considerans ea tamquam eodem parente secum progenita; vnde in hoc sensu, etiam ex charitate diligi possunt irrationales creaturæ. Ergo multò magis diligendus est proximus, qui non solum eumdem authorem, sed etiam eamdem nobiscum habet naturam; ergo non sufficit, eum odio non habere.

7. Inter fideles non tantùm est communio naturæ, sed etiam fidei, & gratiæ, & fraternitas in Christo Iesu, vnde ipse discipulis suis dixit: *Omnes vos fratres estis*, Matth. 23. 8.; ergo si sola communio naturæ mouet ad dilectionem, & non tantùm ad odio non habendum, ampliùs fideles mouere debet communio gratiæ, & fidei ad se inuicem diligendos.

Immo: *Omnes fideles vnum corpus sunt in Christo, singuli autem alter alterius membra* Roman. 12., & prima Corinth. 12. 27.; *idipsum autem ad inuicem sollicita sunt omnia membra*; ibidem Corinth. nu. 25.: *Et, si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra*; ibidem nu. 26. ergo fidelis non tantùm tenetur non odio habere, sed etiam diligere alium fidelem, & pro eius bono sollicitum esse. Hinc idem Apostolus Galat. 6. 10. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*. Ergo omnes non solùm non odio habere, sed etiam diligere, & propterea eis benefacere debemus, maximè autem fidelibus; propterea idem Apostolus grauius peccatum iudicat offendere fideles, quàm infideles: *Sed vos*, inquit prima Corint. 6. *iniuriam facitis, & fraudatis; & hoc fratribus*.

7. 8. Correptio est in præcepto erga fratrem, ideſt, quemlibet hominem, qui est noster frater propter communionē naturæ propagatæ ab Adam, Matth. 18., sed hoc præceptum vel supponit, vel imponit dilectionem fratris, cuius malum auertitur, & bonum procuratur per illam correptionem; nec sufficit tantùm non odio habere illum, immo correctio illa facienda est ex dilectione illius, vt ait August. ser. 16. de Verbis Domini; ergo, &c.

Simile Argumentum potest fieri ex debito subueniendi proximo corporaliter indigenti, quod non negat Tamburinus; aliter. n. non habemus illum, vt proximum, vt apertè dicitur in parabola de homine

Digitized by Google

mine ſauciato a latronibus, cui tantùm Samaritanus, qui miſericordiam fecit in illum, dicitur fuiſſe proximus, non Sacerdos, nec Leuitas, qui viſo eo præterierunt, vnde imitatio Samaritani præcipitur a Chriſto dicente: *Vade, & tu fac ſimiliter*, Lucæ 10. 37.

9. Quòd communio in natura inclinet homines ad mutuam dilectionem, cognouerunt etiam ſæculares Philoſophi, immo omnes gentes; quod oſtendit Philoſophus ex erroribus itinerantium; ſi enim viator ignorans viam, petat eam ſibi demonſtrari, nullus eſt, qui id non faciat, & qui non faceret, inhumanus, & crudelis putaretur. Hoc autem non de ſola carentia odii, ſed de poſitiua dilectione deſcendit. Etiam bruta eiuſdem ſpeciei mutuò ſe diligunt, ſibique auxiliantur, quòd patet maximè in formicis ſe coadiuuantibus in labore, & defunctas ſepelientibus; ergo contra naturæ ſenſum, non ſolùm contra Chriſtianam legem dicitur, proximum non eſſe diligendum, ſed tantùm non odio habendum; inſtinctus enim naturalis in his, quæ ratione carent, oſtendit debitum naturale in illis, qui ratione vtuntur.

Tamdem Chriſtus Dominus dixit Ioannis 11.: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. At Chriſtus non tantùm nos odio non habuit, ſed eo affectu dilexit, vt animam ſuam pro nobis traderet; ergo ad implendum illud præceptum non ſufficit, non habere odio proximum. Dixit etiam Lucæ 12.: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi, vt accendatur*? Ignis autem hic eſt dilectio Dei, & proximi, vt communiter explicant Interpretes; ſolummodò autem non habere odio proximum, non eſt habere ignē accenſum in corde ſuo, ſed potiùs eſſe tepidum, ideſt, nec calidum per dilectionem, nec frigidum per odium; at tepidi repelluntur a Chriſto, & euomuntur ex ore eius, Apocalypſis 3.; ergo non ſufficit, non habere odio proximum, ſed requiritur dilectio ad ipſum.



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VIII.

Contra Propoſit. XI.

Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

REMANET confutata ex dictis in Propoſitione antecedenti, in qua oſtenſum eſt, Deum præcipere actus dilectionis internos erga ſe, & proximum noſtrum. Verum eſt quidem, quod omiſſio actus externi dilectionis, puta eleemoſynæ, vel ſalutationis, non eſt duplex culpa, altera propter carentiam internæ dilectionis, altera propter ipſam externam omiſſionem. Vbi enim vnum propter aliud, vtrobique vnum; ſed illa exterior omiſſio culpabilis eſt propter carentiam internę dilectionis, quę debet progredi ad illos actus externos; ergo non ſunt duæ, ſed vna culpa.

Non tamen inde inferendum eſt, vt fortè infert Propoſitio, ſatisfieri poſſe præcepto diligendi per ſolos actus externos; nam, & ipſi actus externi procedere debent de interna dilectione, vt ſatisfiat præcepto; qui enim propter inanem gloriam, aut alio de fine illos præſtaret, non illi ſatisfaceret; & præterea eſt in præcepto dilectio proximi, etiam nulla extante neceſſitate, vel actus externi occaſione propter communicationem in natura, & in gratia, vnde parati debemus eſſe ad ei benefaciendum, ſi occurrat neceſſitas, vel occaſio.

Authores igitur damnatæ Propoſitionis videtur ita cenſuiſſe de foro

Digitized by Google

foro interno, ac Diuino, sicut de foro externo humano, in quo non iudicatur nisi de externis, vt dicitur c. *Tua nos* de Simonia, & per consequens voluntas sola non punitur. Cùm tamen in hoc maximè contra distinguantur hæc duo fora, quòd *leges humanæ rebus tantùm externis contentæ sunt, Diuinæ verò, quoniam animum Deus intuetur, ipsius animi puram, sinceramque castitatem, atq; integritatem requirunt*, vt dicit Romanus Catechismas in explicatione Decimi Præcepti num. 5.



Digitized by Google

DISPVTATIO IX.

Contra Propoſit. XII.

Vix in ſæcularibus inuenias, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1  VPERFLVVM ſtatui eſt, cuius non adeſt indigentia ad illum ſeruandum, ſed conducere poteſt ad augendum, ſiue ſublimandum, vt rectè, & communiter dicitur.

Ex hoc patet, Propoſitionem de ſæculi faſtu, tumoreque deſcendere. Inde enim fit, vt vnuſquiſque, maximè verò nobiles, adeo ſuam, vel ſuæ familiæ dignitatem, claritatemque appendant, vt nulla exterior pompa, nullus cultus ei adæquandæ ſufficere videatur, ſolùmque ex neceſſitate fortunæ eis patiãtur modum imponi. Id quod apertiſſimè cernitur in titulis nominum, qui antiquitus, neque a Regibus in eam ſpeciem, gloriamque vſurpati ſunt, quali modò etiam a priuatis vſurpantur.

Accedit, quòd plurimi, etiam ſanioris mentis, atque iudicii, in aliorum facta oculos iniicientes, quos æquare, vel etiam anteire ſua conditione dignum putant, innumeroſque cernentes prædicto ſæculi vento diſtentos, eodem rapiuntur, æmulantes vitia, cùm æmulatores deberent eſſe virtutis. Ideo pauci iudicant, ſe habere ſuperfluum ſtatui.

Cùm tamen purgatis ſuperbia, æmulatione, auaritia, cæteriſque vitiis mentis oculis facilè apparere poſſit quantum plurimis redundet in auro, argento, ære, gemmis, lapillis; quantum in veſtibus, ornamentis, iconibus, aulæis ſericis, & aureis, polymitis, & operosè contextis,

Digitized by Google

textis; quantum in domibus, hortis, possessionibus, vineis, familia, equis, curribus, canibus, similis, atque pauonibus: quatum in apparatu mensæ, & popinæ, non solùm vltra sufficientiam, sed vsque ad fastidium, & reiectionem; quantum etiam in scurris, parasitis, fortè etiam mulierculis.

Quæ omnia, si ad rationabilem modum redigantur (redigenda autem sunt, non tantùm ex moderatione animi, sed propter ipsum etiam præceptum eleemosynæ) multum supererit, quod in Christi pauperes erogetur. Verùm, dum, vt Ambrosius inquit primo Offic. c. 28. *Augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, beneficentiam communem amittimus.*

2. Sed Authores Propositionis in eo maximè, & grauissimè falluntur, quòd eam assignant, seruandamque ducunt formam, seu status congruentiam, ex cuius conseruatione impleri, atque adeo consistere non possit præceptum eleemosynæ erogandæ: non attendentes, præceptum illud iuris esse diuini naturalis, & positiui: congruentiam verò status dispositionis, vel iudicii humani, quæ proinde pro varietate regionum, & nationum variatur.

Moderanda igitur potiùs est, & ad æquiorem formam reuocanda congruentia illa, quàm obseruantia præcepti, siue præceptum illud de medio tollendum; & altè pungere debet Christianos Spartanorum exemplum, qui, ne vllus in sua Republica indigeret, possessiones singulis æqualiter diuiserunt, ideſt, ne vllus esset pauper, nullum voluerunt esse diuitem.

Ergo Propositio contra præceptum Apostoli Rom. 12. 2. peruersso huius sæculi sensui conformatur; proinde meritò, vt scandalosa, & perniciem inferens animarum, damnata est. Nec plura contra eam dicenda occurrunt, cùm qaæstio potiùs sit facti, quàm iuris. Pisani supra hanc Propositionem in eo totus incumbit, vt probet, in necessitatibus extremis eleemosynam etiam de non superfluo erogandam; quod quidem verum est; sed non pertinet ad præsentem Controuersiam.

✠ ✠ ✠

V DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO X.

Contra Propoſitionem XIII.

Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam ineficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſona, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 EST contra ordinem charitatis, quo præſcribuntur magis diligenda bona ſuperioris ordinis in proximo, quàm inferioris in nobis; aliter proximum non ſicut nos, ſed multùm infra nos diligimus: vita autem eſt ſuperior ordine, quàm temporalia emolumenta, ſicut ſalus animæ, quàm vita: triſtari autem de vita, gaudere de morte proximi, iliam affectu, quamuis ineffi caci petere, & deſiderare propter temporale emolumentum neceſſariò deſcendit de maiore amore erga noſtra temporalia emolumenta, quàm erga proximi vitam; ergo id eſt contra ordinem charitatis; ſed ordo charitatis eſt in præcepto, & in re graui, qualis eſt præſens, obligat ſub mortali; ergo, &c.

2. Charitas nullius vult malum, immo neque cogitat malum, vt ait Apoſtolus 1. Corinth. 13., ſed cupere mortem proximi ob temporale noſtrum emolumentum eſt velle malum eius; ergo id eſt contra charitatem.

3. Neque pro vita temporali noſtra poſſumus deſiderare mortem proximi; nam & in ipſa defenſione contra aggreſſorem non licet intendere mortem eius, ſed tantùm noſtram ſalutem, vt patebit infra Propoſitione 30., inde defenſio illa facienda eſt cum moderamine inculpa-

Digitized by Google

culpatæ tutelę, cap. *Significaſti* il 2. de Homicidio; ergo multò minùs pro emolumento temporali poſſumus illam deſiderare.

4. Neque pro ſalute animæ noſtræ poſſumus deſiderare proximi mortem, licèt in caſu teneatur proximus exponere vitam pro anima alterius: tantùm enim licet deſiderare propriam ſalutem, permittere verò mortem proximi, ſi accidat: aliter licuiſſet deſiderare mortem Chriſti pro redemptione humani generis, & cõſequẽter gaudere de eadem, quam tamen Beatiſſima Virgo cum mulieribus Sanctis flebat ad monumentum, eaſq; quotannis imitatur Eccleſia: de quo autem poſt factum dolemus, non deſideramus futurum; ergo multò minùs licet deſiderare mortem proximi pro temporali emolumento.

2. 5. Quod licet deſiderare, licet etiam procurare, niſi adſit periculum peccati in procuratione, quod non adſit in deſiderio. Probatur: Quia, ſi procuratio rei, vt procuratio eius eſt, mala eſt, neceſſariò & res ipſa mala eſt, vtpote quæ refundat malitiam in ſui procurationem. ſi autem res ipſa mala nõ eſt, & propterea deſideriũ eius malum non eſt: nec ipſa eius procuratio mala eſt, quatenus procuratio eius eſt, licèt poſſit eſſe mala ex periculo, vel alio accidente. Sed licitum dicitur, aut ſaltem non lethaliter peccaminoſum deſiderium mortis proximi; ergo ſic erit etiam procuratio eius; ſed hoc Propoſitio non audet aſſerere, immo limitat ſuum dictum ad affectum inefficacem, qui, ſcilicet, non progreditur ad opus; ergo neque debebat a mortali abſoluere deſiderium mortis proximi pro temporali emolumento.

6. Cùm Propoſitio requirat moderationem in triſtitia de vita, & deſiderio, gaudioque de morte proximi, mirum eſt, quòd non illã potiùs animi moderationem requiſierit, nepræ auaritia, ſeu deſiderio temporalis emolumenti mortem proximi deſideremus, deque eius vita triſtemur. Hoc enim quid eſt, niſi culicem excolare, & camelum deglutire iuxta ſimilitudinem Chriſti Domini Matt. 23. 34., ideſt, pluris facere moderationem, ſiue modeſtiam, quàm charitatem?

7. Triſtari de vita alterius, eiuſque mortem deſiderare, eſt habere diſplicentiam de perſona: ſi enim diſplicet tantummodò vitium, aut iniuria accepta, non habetur illa triſtitia, aut deſiderium, ſed tantùm, vt perſona emendetur, & iniuria reparetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum, vt Auguſtinus ait in Regula: ipſaque voluntas emendationis, & ſatisfactionis iucludit voluntatem vitæ alterius, & repugnat deſiderio mortis. Qui enim non eſt, non poteſt, nec emendari, nec ſatisfacere. Quæ maior inſuper diſplicentia perſonę, quàm triſtari de eſſe illius, & deſiderare non eſſe? Igitur Propoſitio repugnat in terminis. De peccato gaudere non licet, nec illud

Digitized by Google

desiderare, quamuis dicatur, id fieri, non prout illud offensa Dei est, sed propter bonum euentum; aliter liceret gaudere de peccato Iudęorum crucifigentium Christum, quia inde euenit salus mundi; & tamen distinguitur bonus euentus ex peccato ab ipso peccato; sed desiderare mortem alterius est displicentiam habere de ipsa persona; ergo nullo modo licet, &c.

8. Præciso emolumento illo temporali lethalè est tristari de vita proximi, eiusque cupere mortem; ergo etiam posito illo. Antecedens probatur. Nam charitas gaudet de bono proximi, sicut ipse proximus, iuxta illud Apostoli Rom. 12. 15.: *Gaudere cum gaudentibus.* quare tristitia illa descendit de odio, quod lethale est. Probatur Consequentia: Quia, vt in primo Argumento dictum est, lethale est diligere nostra externa bona supra vitam proximi, quia contra ordinem charitatis, & de magno auaritiæ affectu descendens.

3. Contra quintum Argumentum allatum solet obiici. Possumus desiderare mortem proximi iniqui, vel Tyranni Rempublicam opprimentis; nec tamen eam possumus procurare; ergo non omne quod licitè desideratur, licitè procuratur.

Respondetur negando Antecedens, quantùm ad hominem facinorosum; immo desideranda est conuersio eius, atque adeo vita, & spatium pœnitentiæ; propterea officii Sacerdotalis est vitam precari a Principibus pro damnatis ad mortem, vt probat Augustinus Epistola 54. ad Maced. Quantum autem ad Tyrannum, si præcisè Tyrannus sit propter iniustam, crudelemque regiminis formam, neque mors eius licitè desideratur, sed tantùm conuersio. Si autem & titulo Tyrannus sit, quia, scilicet, nullo iure, sed vi, & armis Rempublicam inuasit, vt Cæsar Dictator, illius mors licitè non tantùm desideratur, sed etiam procuratur, quia ille hostis est Reipublicæ; vnde D. Thom. 2. sent. d. 44. qu. 2. art. 2., & Opusc. 2. de Regimine Principum, quem sequitur Tolet. lib. 5. cap. 6. nu. 10. ait; *Brutum, & Cassium Cæsaris interfectores non peccasse*; & tamen etiam tunc, si cognoscatur, id fieri non posse sine magnis turbationibus, & ruinis publicis, vt in cęde Cęsaris accidit, abstinendum potiùs est, ac tolerandum.

* * * * *
* * * *

D I-

Digitized by Google

DISPVTATIO XI.

Contra Propoſitionem XIV.

Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura eſt pinguis hæreditas.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.



XTENSIO eſt Precedentis; ea enim licitam aſſerebat triſtitiam vitæ, & deſiderium mortis proximi indefinitè, hæc verò eam licentiam extendit vſque ad mortem Patris. Quare quæcumque contra præcedentem dicta ſunt, fortiùs militant contra iſtam.

Sed pro vtraque argui poteſt: Licet cupere obuentionem pinguis hæreditatis, & de ea gaudere; ergo, etiam licet cauſam eius deſiderare; ſed hæc eſt mors Patris; ergo, &c. non enim videtur poſſibile, cupere vtilitatem, & non cupere medium vtile. ad eam, vt innuit Vaſquez.

Reſpondetur primò, Antecedens eſſe limitandum; cùm, ſcilicet, ea cupido refertur ad finem honeſtum benefaciendi Eccleſiæ, vel pauperibus, vel etiam ſe ipſum, ſuamque familiam ſubſtinendi; abſolutum enim deſiderium diuitiarum malum eſt, quia eſt bonorum terrenorum, & pertinet ad auaritiam, vt ait D. Thom. 2.2. qu. 108. Hinc ea oratio eſt viri timorati, Prouer. 30.: *Diuitias, & paupertatem, ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria.* Non videtur autem in filio poſſe talis honeſtas, & pietas finis cohærere cum voluntate maximè inhoneſta, & impia mortis paternæ, cuius, ſcilicet, impietas etiam a Poeta ſignificata ſit, dum

inter

Digitized by Google

inter mala ferreæ ætatis illud enumerat: *Filius ante diem patrios inquirit in annos.*

Negatur verò Consequentia; nam licitè desiderabatur a Patribus antiquis redemptio mundi, non tamen licitè desiderata fuisset mors Christi, quæ futura erat causa eius. Et generaliter, multa bona, operante Deo, trahuntur ex peccato, quæ licitè desiderari possunt, nec tamen licitè potest desiderari peccatum; non ergo desiderium effectus trahit, vel includit desiderium causæ, sed tantùm permissionem illius: hinc ex communiori Theologorum sententia, quam nos latè probamus lib. 1. de Prædestinatione, Deus vult, immo prædestinat permissionem peccati propter bonum, quòd inde eruit, nec tamen vult, aut velle potest ipsum peccatum. Id passim experimur in humanis: potest enim ægrotus cupere sanitatem, & non cupere, immo nauseare amaram potionem, aut aliquod doloriferum medicamen, tantùmque illa permittere. Hinc ipsis non amor, sed tantùm tolerantia remediorum suadetur, quia hæc sufficit ad salutē, quantumuis ametur salus. Verum est autem, quòd volens efficaciter finem, vult etiam media; sed in his medium ex parte volentis est tolerantia molestiæ, sicuti medium necessarium ad gloriam martyrii est tolerantia cruciatuum, non cupiditas eorum. De Alexandro ita loquitur Curtius lib. 6. *Alexander hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse indignabatur*; & tamen Antipater fuerat causa victoriæ. Et id ipsum fortè non rarò contingit propter odium personæ, aut emulationem, cùm tamen de fælici euentu propter bonum Reipublicæ, vel Principis gaudium concipiatur. Possumus etiam cupere effectum, sed non, vt ex tali causa proueniat, & sic filius posset desiderare diuitias, non tamen, vt ei obueniant ex morte Patris.

2. Præterea: Sicut bonum non prodit per se ex peccato, nec enim potest, sed opere Dei valentis, etiam de malo deducere bonum, ita hæreditas non obuenit filio præcisè ex morte Patris, sed ex dispositione legis transmittentis bona paterna in filios; & de hac dispositione potest filius gaudere, eamque, si non adesset, cupere, absque desiderio, vel gaudio de morte patris.

Additur, quòd, si impossibile esset gaudere de effectu, vel vtilitate, quin gaudium haberetur etiam de causa, & de medio, necessarium esset, non tantummodò licitum, gaudentem de hæreditate ex morte Patris, gaudere de ipsa morte, & gaudentem

dentem de bono effectu ſequuto ex peccato, gaudere de peccato, quod ipſa Propoſitio proferre non audet, & eſt prorſus falſum, & reijciendum. Inſuper; tunc gaudium illud non tantùm a lethali, ſed etiam a veniali excuſaretur, quando gaudium de effectu, & vtilitate, etiam a veniali eſſet immune, immo eſſet bonum, quando hoc gaudium eſſet bonũ, quod Propoſitio non dicit, neque dici poteſt.

* *
*



Digitized by Google

DISPVTATIO XII.

Contra Propoſit. XV.

Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias inde ex hæreditate conſequutas,

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 HÆC etiam extenſio eſt duarum immediatè precedentium, vt vel hinc appareat, errorem (vt de fama Poeta dixit) vires acquirere eundo, & paruum in principio fieri maximum in fine. In præcedentibus enim non ab omni, ſed tantùm a lethali peccato abſoluebatur cupido, vel gaudium de morte proximi ob emolumentum temporale; & de ea morte erat ſermo, quæ accideret, vel accidiſſet ex naturalibus cauſis. Nunc verò ab omni peccato immune, licitumque dicitur gaudium de morte parentis, eaque non ex cauſa naturali, ſed ex filii gaudentis parricidio cauſata, idque ob ingentes diuitias hæreditatis iure adeptas, ſi modò, ſcilicet, parricidium in ebrietate commiſſum ſit, quia tunc propter defectum rationis, & libertatis, non imputatur ad culpam. Quanta igitur, vt mitiſſimè loquar, id falſitate dicatur, oſtenditur.

Primò. Quia tale parricidium, & ſi non imputetur in ſe ipſo ad culpam, adhuc peccatū eſt: nō enim omne peccatum culpa, licèt omnis culpa peccatum. Hoc quippe eſt quilibet actus deordinatus, ſiue non tendens in debitum finem; vbicunque enim eſt corruptio ordinis, ibi eſt deordinatio, & conſequenter peccatum, actus autem non tendens in debitum finem non ſeruat ordinem, adeoque illum corrumpit. Hinc etiam in naturalibus adſunt peccata; & monſtra dicun-

Digitized by Google

cuntur peccata naturæ, vt patet 2. Phyſicorum.

Culpa verò ſupra deordinationem actus addit cognitionem, & libertatem peccantis, vnde adeſſe non poteſt niſi in agentibus rationalibus, & in eorum actibus liberis. Propterea motus ſenſualitatis primò primi, licèt deordinati ſint, quia contra ordinem naturalem naturæ integræ, ſecundùm quem ratio imperat ſenſui, non ſenſus aggreditur rationem (vnde ipſi, & concupiſcentia, a qua procedunt, peccata vocantur ab Apoſtolo Rom. 7.) tamen, quia non ſunt in poteſtate illos patientis, vtpote præuenientes rationem, & libertatem, non deputantur ad culpam. Sic quæcumque mala ex neceſſitate, ſiue ignorantiæ, ſiue concupiſcentiæ, ſiue defectus rationis, ſiue impotentię cauſata. Vnde, ſi Deus denegaret auxilia neceſſaria ad non peccandum, non ſua culpa caderet homo: quod de Adam, & de Angelis pro ſtatu viæ apertè protulit Auguſtinus de Correptione, & Gratia cap. 11. De quibus omnibs latè diximus lib. 3. de Actibus Humanis cap. 43. a nu. 14., & Diſputatione contra Vſum Probabilitatum cap. 5. a nu. 18.

2. Parricidium autem natura ſua actus deordinatus eſt, & peccaminoſus, ideoque naturali lege prohibitus: non enim a cognitione, aut libertate peccantis malitiam habet, aut deordinationem; immo e contra, ideo illud committens eſt in culpa quia liberè exercet actum malum; ſed de opere malo non eſt gaudendum, immo dolendum, etiam ſi abſque noſtra culpa illud commiſerimus, propter amorem, ſcilicet, iuſtitiæ, & rectitudinis ordinis: immo, & diſplicentiã concipere debemus de malis, quæ ab aliis nullo noſtro influente concurſu committuntur, ſicut de B. Thereſia legimus, quòd peccata infidelium, & hæreticorum inceſſanter defleret, aut ſaltem de eis gaudere peruerſum eſt, & de cordis iniquitate deſcendens gaudentis ſuper iniquitate, vt Apoſtolus ait 1. Corint. 13. ergo, &c.

A fortiori ergo non gaudere, ſed dolere debemus de malo a nobis perpetrato, etiam ſi illud, cùm a nobis commiſſum eſt, propter aliquam ex ſupradictis cauſis non potuerit imputari ad culpam. Hinc Auguſtinus etiam peccata infantiæ ſuæ deflet. 1, Confeſſ. cap. 7.. Dolere, inquam, non tamquam de propria culpa, quæ ſupponitur non adeſſe, ſed tamquam de malo a nobis commiſſo contra ordinem rerum, quem conſeruare iubemur, turbare vitamur æterna Dei lege, vt ait Auguſtinus in definitione legis æternæ 22. contra Fauſtum cap. 27.

Ergo gaudium liberum de illo non ſolum malum, ſed, & culpabile eſt; malum, quia approbatio actus mali; vt enim Tullius in-

Digitized by Google

quit Philippica secunda: *Quid interest inter suasorem facti* (authorem dicamus nos), *& probatorē*? quātum, scilicet, ad contrahendam culpā. Culpabile verò, quia non adest defectus libertatis, qui excuset a culpa. Igitur omnino lethale est gaudium filij de parricidio a se in ebrietate commisso; quia est gaudium liberum de peccato, eoq; a se commisso. Propositio autem in eo errat, quia putat, vbi non est culpa, neq; adesse peccatum, quod tamen euidentissimè falsum est, & de eo pluribus egimus locis supra citatis.

3. Ostenditur Secundò Quia licèt non adsit culpa in opere malo ab ebrio commisso, si illud consideretur secundùm se ipsum, adest tamen in ipsa inebriatione, si liberè quęsita, aut permissa sit. Hinc Lot, licèt non fuerit culpabilis in incestu secundùm se considerato, quem ebrius cōmisit, imputatur tamen ei ad culpam in ipsa ebrietate: effectus enim malus consequens, etiam necessariò causam culpabilem imputatur ad culpam in ipsa causa, quia in illa voluntarius est. Hinc Augustinus 22. contra Faustum cap. 44. dicit, culpandum esse Lot de incestu quantum meretur illa ebrietas, ex qua illum commisit; ergo parricidium commissum ab ebrio filio est illi culpabile in ipsa culpa ebrietatis; ergo culpabile est gaudium de illo.

3. Peccatū est affectu pręponere bona nostra externa vitę parentis, immo cuiusq; proximi, vt in præcedentibus ostensum est. At gaudium de parricidio in ebrietate commisso propter diuitias ex hæreditate consequutas supponit, immo descendit de potiori affectu erga diuitias, quàm erga vitam parentis; ergo illud gaudium peruersum est, immo impium, & crudele, cùm filius pro vita patris, a quo suam recepit, teneatur omnium bonorum pati iacturam, immo & libertatis. & incolumitatis.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XIII.

Contra Propositionem XVI.

Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundùm se.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 HABETVR apud Tamburinum lib.2. Decalogi cap.1. §.1. nu.9. asserentem, numquam obligari per se, & directè ex vi præcepti fidei fideles ad credenda mysteria fidei, nec explicitè, nec implicitè. Simile de charitate protulit Sancius in Selectis disp.1. nu.21., scilicet, præceptum eius virtutis non esse speciale, sed ei satisfieri per obedientiam erga alia præcepta.

Ipsam damnauerat Alexander Septimus prima Propositione prioris sui Decreti: *Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Diuinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Sed distinguendi sunt sensus, quos potest reddere. Vel ergo significat, non reperiri in diuinis litteris verba, quibus specialiter, & determinatè præcipiatur Fides; & hoc apertissimè falsum est: tam enim frequenter, clarè, & determinatè præcipitur Fides in illis, vt Lutherus, quem omnes posteriores hæretici secuti sunt, credideris, nullum aliud ibi extare præceptum, sed vbique solam præcipi Fidem. Ad quod cernendum sufficit legere paginas noui testamenti.

Vel significat, non præcipi Fidem solam, siue solitariè, sed vt coniungendam Spei, Charitati, & operibus. Et tunc non rectè dicitur, Fidem non cadere sub præcepto speciali; potest enim adesse præceptum speciale exprimens, seu continens plura, Fidem, & opera; non enim, quia non præcipitur sola, vel potius, quia præcipitur,

Digitized by Google

vt non sit sola, non ipsa præcipitur in specie; sicut, quia præcepto ieiunii continetur, & abstinentia a carnibus, & vnica comestio, non rectè diceretur, alterum ex his non cadere sub præcepto speciali ieiunii. Præterea. Tunc, neque spes, charitas, & opera dicerentur cadere sub præcepto speciali eadem ratione, qua id dicitur de Fide, quia nimirum, non sola præcipiuntur, sed cum Fide. Insuper ex illo sensu Propositionis non sequitur, quòd fidelis numquam obligetur per se, & directè ad credendum, nec implicitè, nec explicitè; neque enim, quia præcipitur non solùm Fides, sed & Spes, Charitas, & opera, ideo ille non tenetur elicere actum Fidei: immo e contra. Vel significat, Fidem non præcipi propter ipsam, sed propter Spem, & Charitatem, & opera, quia, scilicet, hæc non possunt haberi sine Fide; et hoc sensu Propositionem esse falsam, probatur.

2. Primò. Quia aliter non adesset præceptū, vt Christiani simus. Christianus enim statuitur ex Fide in Christum, etiam deficiente charitate, & operibus ex Tridentino sess. 6. can. 28.; ergo Fides præcipitur etiam propter ipsam, non tantùm propter charitatem, & opera. Hinc adest speciale peccatum in præcisa resistentia ad Fidem; de quo specialiter Iudæos arguit Christus Ioann. 15.: *Si non venissem, & locutus non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quod de peccato infidelitatis intelligit Augustinus tract. 29. in Ioannem. Et rursus Ioannis 8.: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Et cap. 3. 18. *Qui non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Adest etiam obligatio ex vi præcepti Fidei eam fatendi coram Tyranno: hanc enim obligationem ex vi illius præcepti nasci communiter docent Theologi, & deduci potest ex illo Apostoli 2. Corinth. 4.: *Habentes eumdem spiritum Fidei, credimus, propter quod, & loquimur*; & satis rationabile est, vt id obliget ad fatendam Fidem, quod obligat ad habendam.

Secundò. Bonitas Fidei non est sola vtilitas, siue conducentia ad Spem, Charitatem, & opera, sicut tota bonitas medicinæ est vtilitas ad sanitatem; sed in se ipsa habet propriam, eamque magnam bonitatem; ergo irrationabiliter dicitur, quòd nullo modo præcipiatur propter ipsam, sed tantùm propter illa. Consequentia probatur. Ideo enim propter solam sanitatem percipitur medicina, quia nullam aliam habet bonitatem, nisi vtilitatis ad eam. Si insuper Fides per se ipsam bona est, quare solùm propter alia præcipitur? Antecedens probatur.

3. Primò. Quia per Fidem renouatur in intellectu imago Deitatis

Digitized by Google

tis leſa per peccatum, ſicut per Charitatem in voluntate: vnde Apoſtolus Coloſſ. 3.: *Inuentes nouum hominem, eum, qui renouatur in agnitionem* (vtique per Fidem) *ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum*. Tota enim imago renouanda eſt, non ſolùm in vna potentia; ergo ſicut neceſſaria eſt Charitas propter renouandam voluntatem, ita et Fides propter intellectum. Tanta autem aliquibus vita eſt bonitas Fidei, vt putarint, poſſe hominem ſaluari per Fidem abſque operibus, contra quos Auguſtinus librum edidit de Fide, & Operibus tom. 4., quorum errorem reſuſcitarunt moderni hæretici.

Secundò. Quia magnum eſt bonum intellectus, per Fidem cognoſcere altiſſima myſteria Deitatis, quæ Angeli lumine naturæ nequeunt intueri; vnde per eam homines ſuperant cognitione Angelos. Quod adumbratum eſt in Iacob claudo ſuperante Angelum in lucta, & nomen accipiente: *Videntis Deum*, Geneſ. 32. Fides enim claudicatio eſt, quatenus credens non innititur lumini rationis tamquam pedi, ſupra quod fundatur diſcurſus humanus; & per eam ſuperat cognitionem Angelicam, & vocatur: Videns Deum. Atque hoc bonum valde extollunt Patres.

Tertiò. Opera non ſunt bona ſine Fide, vel ſaltem ſine ea non ſunt meritoria vitæ æternæ; ergo præcipitur Fides propter ipſam, id't, ſuam bonitatem, licèt debeat coniungi operibus, Patet hęc Conſequentia. Si enim præcipitur bonitas, vel meritum operum, & hæc non habentur ſine Fide, conſequenter præcipitur Fides propter ſuam bonitatem. Antecedens quo ad primam partem, nempe, quòd opera non ſint bona ſine Fide probatur primò ex Auguſtino 4. contra Iulianum cap. 3., vbi ſic ait: *Nemo computet bona opera ſua ante Fidem: vbi Fides non erat, bonum opus non erat; bonum enim opus intentio facit, intentionem Fides dirigit.*

Probatur ſecundò ex eodem Præfatione in Pſalm 31. non longè ab initio, vbi retundit gentilium ſuperbiam putantium, ſe bona opera facere ſine Fide Chriſti, atque adeo ſe ea non indigere: *Benè viuere*, inquit, *opus eſt. Quid mihi præcepturus eſt Chriſtus, vt benè viuam. Iam benè viuo, quid mihi neceſſarius eſt Chriſtus?* Et reſpondet, quod Abraham ex Fide iuſtificatus eſt; & quòd, licèt ſola Fides non ſufficiat, immo requirantur opera ad ſalutem, tamen ad bonitatem operis requiritur Fides; vnde de ipſo magno opere Abraham, quo ex obedientia ſuum filium immolare paratus fuit, ſic loquitur: *Magnum opus, ſed ex Fide. Laudo ſuperædificationem*

Digitized by Google

nem operis, sed video Fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in Fide agnosco radicem. Si enim hoc præter Fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecumque illud opus esset. Poterat addere, quòd multum illi obesset: sine enim Fide recta, vel in extremum crudelis fuisset, vel non Deo, sed Dæmoni immolasset, quod miserimum, ac luctuosissimum est. Sic gentes Chanaan immolabant filios suos, & filias suas Dæmoniis, Psalmo 105. Carthaginenses Saturno, & Populi Sepharuaim Diis Adramelech, & Anamelech, 4. Regum cap. 17., aliique gentiles idola colentes; a quorum facto non aliter distat opus Abrahæ, nisi quia hoc fuit ex Fide recta, illa autem ex falsa: tanti momenti est Fides ad rectitudinem operum. Quare, qui negant ad hanc requiri rectitudinem Fidei, necesse est, vt æquiparent opus Abrahæ operibus illarum gentium, & simul vtraq; vel laudent, vel improbent; & probent etiam impietatem gentium asserentium, se non indigere Fide, vt rectè viuant.

4. Sed quia communiùs Recentiores negant, ad rectitudinem operum requiri Fidem, ne controuersia hoc loco aliena distineamur a proposito, sufficit Nobis, non posse fieri opera meritoria vitę æternæ absque Fide, id quod omnes fatentur: Cùm enim in præcepto sit facere opera meritoria vitæ æternę, sequitur in præcepto esse Fidem, sine qua ea non sunt meritoria, & esse in præcepto propter suam bonitatem, qua ipsa opera redduntur meritoria.

Probatur tertiò falsitas Propositionis. Quia ipsa cognitio subditi de Domino suo pertinet ad Domini cultum, & honorem; etiam si nihil operis ex obedientia ipsius fiat; sicut in eiusdem iniuriam est non cognoscere ipsum pro Domino: immo hoc est primum præceptum obligans subditum, vt, scilicet, cognoscat Dominum suum. Hinc ipse Deus promulgans legem in Sina primò omnium dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus*, Exodi 20. 1., quod præceptum eiusdem rationis est cum sequente: *Non habebis Deos alienos coram me*, vt ait Diuus Thomas 12. qu. 100. art. 4., ergo datur præceptum speciale Fidei cadens supra ipsam Fidem secundùm se. Cùm ergo Tamburinus eam necessitatem Fidei adducit, quia, scilicet, *nisi per Fidem in Deum credas, ipsum colere nequaquam potes* lib. 2. Decalogi in Prohæmio, poterat aduertere, ipsam etiam Fidem esse cultum Dei, atque adeo necessariam esse Fidem non tantùm propter opera, sed etiam propter se ipsam. Hinc Augustinus de Agone Christiano cap. 12. *Fides est prima, quæ subiungat animam Deo, deinde præcepta viuendi.* Qui etiam in Enchiridio cap. 3. ait, quòd Deus colitur Fide, Spe, & Charitate. Fortiùs autem: Fides Diuina

est

Digitized by Google

eſt cultus, & obſequiũ Dei, quàm cognitio ſubditi de Domino homine; quia hęc cauſatur ex euidentia, illa autem ex pio credulitatis affectu, quod indubiè obſequium eſt Dei, proinde meritoria dicitur ab Auguſtino Epiſtola 105., & de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 2., & a Diuo Thoma. 22. q. 2. art. 9., & patet ex ſententia pluries a Chriſto replicata: *Fides tua te ſaluum fecit*, & ex Secreta in Miſſa defunctorum: *Vt quibus Fidei Chriſtianę meritum contuliſti, dones, & præmium.*

5. Probatur quartò. Quia Fides ſecundùm ſe eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; ſine Fide enim impoſſibile eſt placere Deo, Hebræor. 11., ſed quidquid eſt de neceſſitate medii eſt etiam de neceſſitate præcepti, licèt non e conuerſo; ergo datur præceptum ſpeciale de Fide ſecundùm ſe.

Probatur quintò. Quia Fides de ſe eſt fundamentũ bonorũ operum, vt loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 3.: *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui. Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamontum hoc aurum, argentum, lapides, &c.* Ergo perinde eſt, non dari præceptum ſpeciale de Fide, ac non dari præcepta, vel regulas ſpeciales de fundamento ędificii, quod planè abſurdum eſt, & contra Artem. Immo Fides eſt plus, quàm fundamentum, quia non tantum ſubſtentat, ſed etiam influit in opera, ſicut radix in folia, & fructus: iuxta illud: *Iuſtus ex Fide viuit*, ſicut, nimirum frutex ex radice. Ergo datur ſpeciale prędceptum de Fide colenda, ſicut in Agricultura de cultu radicis ſecundùm ſe.

Probatur ſextò ex D. Thoml 22. qu. 2. art. 3. cor. Quia homo non poteſt conſequi beatitudinem, quę eſt ſupernaturalis cognitio Dei, niſi per modum addiſcentis a Deo, iuxta illud Ioannis 6.: *Omnis qui audiuit, & didicit a Patre, venit ad me.* Vbi Ioannes affert etiam illud Iſaię 54. 13. *Erunt omnes docibiles Dei*; quod in vulgata editione legitur: *Vniuerſos filios tuos doctos a Domino.* Sed addiſcens debet credere, vt ad perfectam ſcientiam perueniat, vnde & Philoſophus dixit: *Oportet addiſcentem credere*; ergo homo, vt ad viſionem Dei perueniat, debet tamquam diſcipulus credere Deo docenti; ergo prędceptum de Fide eſt ſpeciale cadens ſupra ipſam Fidẽ ſecundùm ſe. Quæ ratio continetur breuiter in ſententia 287. Auguſtini: *Incedat humana ignorantia per Fidem, vt mereatur Fides videre, quod credit.*

Argumenta in contrarium ex dictis ſoluta ſunt.

Digitized by Google

DISPVTATIO XIV.

Contra Propoſit. XVII.

Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PArùm diſtat a prima Propoſitione damnata in priori Decreto Alexandri Septimi, quæ aſſerit, numquam hominem teneri ad ad eliciendum actum Fidei, ex vi præcepti Fidei. Et certè nulla, quantum video, congrua ratio afferri poteſt, cur ſemel tantùm eliciendus ſit actus Fidei potiùs, quàm numquam, ſi non eſt pluries eliciendus.

Oſtenditur autem falſitas eius. Primò. Quia, vt dicitur Habacuc 2.: *Iuſtus ex Fide viuit*, ita, ſcilicet, Fides alimentum eſt uitę ſpiritualis, ſicut cibus vitę corporalis. Hinc Dauid Pfalm. 101: *Percuſſus ſum, vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblit-s-ſum comedere panem meum*. Supra quæ Auguſtinus: *Panis animæ quid, niſi verbum Dei?* Quod verbum Fide capitur. Sed non ſufficit ſemel tantùm ſumere cibum ad ſubſtentationem vitę corporalis; ergo neque ſemel tantùm elicere actum Fidei ad ſubſtentationem vitę ſpiritualis. Ideo autem non ſufficit ad vitam corporis ſemel tantùm ſumere cibum, quia ſubſtantia continuè deperditur per operationem caloris in ipſam, vnde oportet eam continuè reparare; ſed etiam vita ſpiritualis, cuius principium eſt amor Dei ſuper omnia, deperditur ex vi amoris proprii, concupiſcentiæ, & tentationum ſęculi; immo plus langueſcit vita ſpiritualis propter conditionē creaturæ, & ex tentationibus, quàm vita corporalis ex defectu humidi, vel caloris naturalis, & ex actione contrariorum; ergo oportet eam conſer-

Digitized by Google

ſeruare, ne extinguatur, & ſi extinctus fuerit, reparare. Sed id fieri non poteſt, niſi per actus Fidei; ergo pluries oportet illos in vita repetere. Minor probatur. Nam actus charitatis, quibus maximè illa conſeruatur, & ſimiliter actus Religionis, & Pœnitentiæ non poſſunt exerceri ſine actibus Fidei. Immo ipſa Fides ſecundùm ſe requiritur ad reformandam imaginem Dei in homine læſam per peccatum, vt cap. antecedenti dictum eſt.

2. Secundò. Nullus poteſt rectè incedere ad finem, ſeu terminũ viæ, niſi notitiam habeat non ſolùm eius, ſed etiam mediorum, ſcilicet, ſemitarum conducentium ad ipſum; quorum ſi obliuiſcatur, non poteſt ampliùs progredi; ſed in hac vita tenemur incedere ad vltimum noſtrum finem, qui eſt Deus, per obſeruantiam præceptorum, tamquam per rectam ſemitam: ergo tenemur eius habere notitiam; ſed hæc notitia habetur per Fidem, cuius vnicus actus nõ durat per totam vitam, ſeu per totum progreſſum viæ, ita vt poſſit nos per totam eam ducere; ergo ſæpe repetendi ſunt actus Fidei pro recto noſtro inceſſu, & conſequutione vltimi finis.

Confirmatur. Quia non ſufficit ſemel habere notitiam ſui ipſius ad dirigendas qualeſcumque ſuas actiones, & ad quamcumque finem: immo quoties agimus, oportet, vt nos ipſos recogitemus; ſed, vt noſtras actiones dirigamus ad vitam æternam oportet, vt cognoſcamus nos, vt ordinatos ad Deum, ad quem tendimus, quod non fit, niſi per Fidem; ergo ſæpiſſimè repetendi ſunt Nobis actus Fidei: aliter vitam traducemus more Atheiſtarum, non cognoſcentes Deũ, neque ad ipſum nos ordinantes, noſtraſque actiones.

2. Fortè dicetur, hoc Argumento probari, repetendos actus fidei propter opera facienda, Propoſitionem autem intendere, quòd ſemel in vita ſufficiat elicere actum Fidei, quantum eſt ex obligatione, quæ inducitur ex ipſo præcepto Fidei.

Sed contra. Primò. Quia, vt in antecedenti Diſputatione dictum eſt. Præcipiuntur opera, vt procedentia ex Fide: quia aliter, vel non ſunt bona, vel ſaltem non ſunt meritoria; ergo præcepta de operibus includunt, vel trahunt ſecum præceptum de Fide, tamquam dante, vel bonitatem, vel meritum eis; ergo non ſufficit ſemel actum Fidei elicere; ſicut non ſufficit ſemel tantùm operari.

Tertiò. Quia quoties ab Eccleſia ſolemniter celebrantur myſteria Fidei, tenemur colere illa, atque adeo credere, nam ſine Fide illa coli non poſſunt. Ergo non ſufficit ſemel, &c. Antecedens patet ex præcepto de obſeruantia Feſtorum, aliter ſufficeret adire

Digitized by Google

templa; & interesse Sacris simulatè, & fictè, scilicet, absque interna Fide, & in externam tantùm apparentiam, quod nullus, vt arbitror, Chhristianus, aut pius admittet. Tunc enim de Christianis, sicut de Hebreis diceretur: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est a me.* Et: *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua* (opere externo) *mentiti sunt ei.* Præciso etiam præcepto Ecclesiæ adest præceptum Diuinum de impẽdendo aliquo tempore contemplationi eius, in recogitationem, & gratiarum actionem ad beneficia recepta; aliter nullo pacto coletur Deus, saltem internè, qui tamen Dominus externorum, & internorum, animæ, & corporis est: quod præceptum insinuatum fuit in mandato requiei Sabbati, cui successit dies Dominicus. Hoc autem obseruari non potest, nisi eliciendo actum Fidei. Hinc communiter dicitur, quòd determinatio temporis, quo debemus vacare Deo, ex præcepto est Ecclesiæ præscribentis dies Festos (quod fuit ex præcepto positiuo Diuino in Lege veteri sanctificante diem Sabbati) vacatio autem ipsa absolutè, scilicet, eleuatio mentis ad contemplationem Dei, & beneficiorum eius, pro aliquo tempore ex præcepto Diuino est naturali. Si ergo ad id homines obligat beneficium creationis, & conseruationis, vel beneficia alia temporalia, potiori iure beneficium redemptionis, & donorum supernaturalium, quod sine dubio maius est, obligabit fideles ad aliquoties recogitandum de illis in honorem, & cultum Dei, quod sine Fide fieri non potest.

3. Quartò. Oportet plusquam semel in vita orare, maximè vrgentibus tentationibus, vt dentur nobis vires ad implenda præcepta. Vnde Christus Dominus: *Orate, ne intretis in tentationem*: oratio autem sine Fide fieri non potest; immo, vt sit efficaciter impetratoria, requiritur Fides, eaque certa de effectu impetrando. *Postulet* enim ait Iacobus cap. 1. suæ Epistolæ, *in Fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, non existimet, quòd accipiat aliquid a Domino.* Absolutè autem: *Si Fides deficit, oratio perit: Quis enim orat, qui non credit?* ait Augustinus ser. 26. de Verbis Domini, & Apostolus Rom. 10.: *Quomodò inuocabunt, in quem non crediderunt?* Immo, vt idem Augustinus ait de Gratia, & Lib. arb. c. 16.: *Fides orando impetrat, quod lex imperat.* Quare ipsum meritum, siue impetratio orationis est a Fide; ergo oportet pluries elicere actum Fidei; & dicere, quòd sufficiat semel, perinde est, ac dicere, quòd sufficiat semel tantùm orare, cùm tamen Apostolus dicat: *Sine intermissione orate.*

C A-

Digitized by Google

CAPVT II.

1. HIc occurrit Quęſtio.

Quoties, & quando repetendus ſit Fidei actus.

Ledeſma reſpondet, eliciendum eſſe ſemel ſingulis annis, ſicuti ſemel eſt communicandum, & confitendum. Quod multi non admittunt, arguentes, quòd præceptum de actu Fidei eſt diuinum; confeſſionis autem, & communionis eſt Eccleſiaſticum; & quòd illa obligatio non eſſet propter Fidem ſecundùm ſe, ſed propter confeſſionem, & communionem.

Scotus in 3. diſt. 27. qu. 3. opinatur, eliciendum eſſe ſingulis feſtis; quod quidem apparet verum ex tertia ratione a Nobis ſupra adducta; ſed non tunc tantùm adeſt illa obligatio.

2. Dicendum igitur Primò. Teneri fidelem ad eliciendum actum Fidei, cùm peruenit ad vſum rationis; quia tunc tenetur ſe conuertere ad Deum, quod primò fit per Fidem.

Secundò. Tenetur, cùm interrogatur de Fide a Tyranno; confeſſio enim externa debet procedere de Fide interna, aliter eſſet ſimulata, & ficta; ita etiam, cùm pulſatur tentationibus contra Fidem: etenim contra tèntationem ad quodlibet peccatum remedium eſt elicere actus virtutis oppoſitæ.

Tertiò. Cùm periculum adeſt, ne obliuiſcatur myſteriorum Fidei: licèt enim habitus infuſus Fidei non egeat repetitione actuum pro ſui conſeruatione, quia nec per actus generatus eſt, vnde non deſtruitur, niſi per actus contrarios, tamen euaneſcunt ſpecies obiectorum Fidei, niſi per actus recolantur, & actuentur; induciturque obliuio eorum; qua inducta non poſſunt exerceri actus Fidei: debet autem fidelis poſſe illos exercere; aliter quomodo erit fidelis, ſiquidem non tantùm non credit, ſed nec poteſt credere? Ergo tenetur ad cauendam eorum obliuionem; ergo ad eliciendos aliquando actus Fidei, ne eorum obliuiſcatur. Quod ei certè contingeret, ſi ſemel tantùm in vita actũ Fidei eliceret. Et omnes hæ obligationes naſcuntur ex præciſo præcepto Fidei.

3. Quartò. Cùm exercendi ſunt actu Religionis: vt colere feſta Dei, & Sanctorum, ac intereſſe ſacris: etenim, & ipſa Fides maximè ſpectat ad cultum Dei, qui eſt Religio, iuxta illud Auguſtini in Enchir. c. 3.: *Deus colitur Fide, Spe, & Charitate, &c.* actus autẽ tum

Digitized by Google

interni, tum externi Religionis non possunt exerceri sine Fide, nisi simulatè, & in externam tantùm speciem, quod non de Religione, sed de hypocrisi descenderet. Cùm ergo celebratur aliquod mysterium Christi Domini eliciendus est actus Fidei erga veritatem illius, & insuper credendum, quòd ille cultus gratus sit Deo, & nobis proficuus. Immo ipsa Fides imperat actus Religionis, vt ait Dius Thomas 2.2. quest. 18. art. 5. ad. 1. Sic etiam, cùm est orandum, &, cùm iure Diuino pro aliquo tempore vacandum est Deo.

Quintò. Quoties periculum adest excidendi a gratia: eam enim, sicut acquirere, ita & conseruare tenemur; non potest autem conseruari nisi per actus Fidei, & Charitatis, quæ Charitas non potest exerceri sine Fide: ideo in quolibet periculo peccati debemus Fidei actus elicere. De qua re amplius dictum est Propositione 5.

Ex quibus omnibus patet, quàm malè Propositio dicat, actum Fidei semel tantùm in vita eliciendum, quasi semel tantùm quis debeat recolere, se esse fidelem, aut Christianam vitam profiteri.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XV.

Contra Propoſit. XVIII.

Si a poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & Fidei gloriosum conſulo: tacere, vt peccaminosum per ſe non damno.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 OSTENDITVR ex illo Chriſti Domini Matth. 10 32. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo, & Ego eum coram Patre meo*. Quamuis enim hic non fiat mentio tacentis, tamen quòd & hic ad eamdem ſententiam pertineat, colligitur ex verbis, quibus Lucas c. 9. 26. eam refert: *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua*. Qui autem a publica poteſtate de Fide interrogatus, tacet, vel tacet ex erubeſcentia, qua verecundatur profiteri Fidem, vel ex timore, quo renuit pati pro ea; ſed erubeſcentem erubeſcet Chriſtus; ergo erubeſcet tacentem, ſi ex verecundia tacet; at abſurdum planè eſt, vt Chriſtus non confiteatur tacentem præ verecundia, & confiteatur tacentem præ timore, cùm vtraque taciturnitas ſit contra honorem Fidei, & Dei, & maiorem iniuriam irrogat Fidei tacens præ ſimplici verecundia, quàm tacens præ timore, quia leuius eſt motiuum ad tacendum verecundia, quàm timor, atque adeo tacens præ verecundia minorem oſtendit æſtimationem de Fide; ergo Chriſtus negat quemcumque tacentem, & certè, ſi Chriſtus confitetur confitentem, vtique non con-

Digitized by Google

confitetur non confitentem, qualis est tacens.

Quem autem Christus non confitetur proçul dubio damnatur; nam per confessionem Christi coram Patre non aliud hoc loco intelligendum est, quàm, vel attestatio Fidei, & meritorum eius, qui iudicandus est; vel promulgatio illius sententiæ: *Venite benedicti Patris mei*; cuiusque autem merita non testatur Christus, & super quécumque non profertur hæc sententia, cadit illa: *Ite maledicti*. Ergo quicumque non confitetur, damnatur, atque adeo, etiam qui tacet, non solum, qui negat; ergo peccatum est non confiteri, &c.

2. Secundò. Illa taciturnitas tunc resultat in iniuriam Fidei, & Dei, & in scandalum proximi: indicat enim, quòd tacens, vel non habeat Fidem (atque adeo, tunc tacere virtualiter, siue æquivalenter est negare), vel, quòd sit illa falsa, & contemptibilis, vtpote de cuius confessione erubescatur. Hoc autem iniuriosum est Fidei, & Deo, & in scandalum proximi. Atque hæc ratio deducitur ex D. Tho. 2. 2. qu. 3. ar. 2., & ex Lyrano in Postilla super cap 10. Matthæi.

Tertiò. Ait Apostolus Rom. 10.: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris. Corde enim creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; ergo oportet non tantùm corde credere, sed etiam ore confiteri; & certè tunc maximè, quando quis de sua Fide a publica potestate interrogatur; ergo tunc tacere peccaminosum est.

Ad pleniorem dictorum illigentia confert illam etiam Quæstionem hic discutere.

CAPVT II.

An possit aliquando esse licita simulatio falsæ Fidei, siue Religionis, vtpotè Iudaismi, aut Mahometismi

1. AFfirmat Adrianus in 4. quæst. 5: de Baptismo ad 8. Sed est omnino negandum cum cæteris omnibus. Primò. Quia simulatio semper peccatum est contra virtutem veritatis, etiam simulatio sanctitatis, qualis est hypocrisis, siue simulatio fiat verbo, siue opere; immo opus simulatum eo grauius peccatum est, quò est permanentius, magisque decipiens, quàm simulatio per verba.

Secundò. Quia tunc peccatur contra virtutem Fidei, ex qua tene-

Digitized by Google

tenemur non profiteri falſam Fidem exteriùs, etiam ſi veram teneamur interiùs; nam Petrus infidelitatis damnatur, licèt ore tantùm, non corde negauerit Chriſtum; & Eleazarus neque ſimulationem admiſit comeſtionis carnium, ne abieciſſe videretur Iudaicam Fidem: *Non enim*, inquit, *ætati noſtræ dignum eſt fingere*, 2. Machab. 6. 24. Qui verè etiam dixiſſet: *Fidei noſtræ dignum non eſt fingere*.

In oppoſitum adduci poteſt doctrina Hieronymi Epiſtola 89. apud ipſum, apud Auguſtinum aut 11., licuiſſe putantis Apoſtolis ſimulare Religionem Iudaicam poſt paſſionem Domini (poſt quod tempus illa Religio ab ipſo illicita putabatur) ad lucrandos Iudæos, & grauiter reprehendentis Auguſtinum, quòd eam etiam poſt illud tempus licitam putaret, Apoſtolosque illam verè profeſſos ad finem trahendi Iudæos ad Chriſtianiſmum, non ſimulantis aſtu, ſed compatientis affectu, vt ipſe loquitur Auguſtinus. Si enim trahendi gratia Iudæos ad Fidem, licuit tunc ſimulare Iudaiſmum, licebit eadem de cauſa etiam nunc illud ſimulare, vel Mahometiſmum, aut aliam quamlibet ſectam.

Reſpondetur, Doctrinam illam Hieronymi communiter reiici a Theologis cum Diuo Thoma 12. qu. 103. art. 4. ad 1., & in vtroque eius dicto. 1. tum quoad licentiam ſimulationis, tum etiam quantùm ad peccatum in profeſſione Iudaiſmi ſtatim poſt Domini paſſionem, de quibus poteſt videri ipſe Auguſtinus Epiſtola 8. & 17. ad Hieronymum: ex cuius argumentis illud tantùm refero. Quòd, ſi Apoſtolis licuiſſet ſimulare Religionem, quam non licebat verè profiteri, pariter licuiſſet ſimulare idololatriam ad trahendas gentes ad Fidem.

Nec ſufficit illam diſparitatem afferre, quòd idololatria ſemper, & ex natura ſua fuerit mala, Religio autem Iudaica fuerit pro ſuo tempore bona. Nam nullum malum faciendum eſt, non tantùm illud, qnod ſemper, & ex natura ſua malum eſt.

Liceret etiam ſimulare hæreſim ad hæreticos conuertendos, quod quidem Priſcillianiſtæ putabant; ſed contra eos agit Auguſtinus lib. contra Mendacium a cap. 4.

Fortè diceretur: Non potuit Apoſtolis licere vera obſeruantia Religionis Iudaicæ poſt Domini mortem; ergo, ne dicantur illicita perpetraſſe, fatendum eſt, eam tantummodò ſimulaſſe. Antecedens probatur. Quia per ceremonias legis Moſaicæ ſignificabantur vt futura incarnatio, paſſio, & Reſurrectio Chriſti; ergo non niſi mendaciter, poſtquam hæc acciderant, ſignificari poterant vt futura; ſed omne mendacium eſt illicitum; ergo, &c.

Re-

Digitized by Google

Respondetur, Argumentum destruere se ipsum: si enim omne mendacium est illicitum, non poterat licere mendax simulatio Religionis Iudaicæ.

Dicitur ergo, quòd etiam modò Ecclesia in Diuinis Officiis legit Prophetias de Christo venturo, & passuro: immo tempore Aduentus in Officio feriali diurno, atq; nocturno expectatur Christus, & rogatur, vt citò veniat ad liberandos homines; eidemque dicitur in versiculo Primæ: *Qui veniurus es in mundum*. In verbis etiam consecrationis dicitur de Sanguine Christi: *Qui effundetur*, cùm iam effusus sit. Non tamen mendax est Ecclesia, aut credit Christum, nondum venisse, quia refert hęc ad rempus, pro quo verum erat, Christum nondum venisse, & pro quo illæ prolatæ sunt; recolens, scilicet, tempus expectationis Christi, & concordans, & probans facta noui testamẽti cũ prophetiis antiqui. Hoc eodem modo poterant ab Apostolis exerceri sacrificia, & cæræmoniæ legis Mosaîcæ; quæ tamen poterant assumi simpliciter ad colendum Deum, non ad significandum. Modò autem non est licitum ea exercere, quia iam sepulta est Synagoga; sepulturam autem violare impium est. Apostoli tunc Synagogam ad sepulturam cum honore deducebant. Vide Augustinum vbi supra.

3. Secundò. Obiici potest factum Iehu simulantis se cultorem Baal, vt eius Prophetas conuocatos occideret: in quo non videtur peccasse: tum quia in hac re adstitit ei Ionadab vir sanctissimus; tum quia postea ei dixit Dominus: *Quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel*. 4. Regum 10. 30.

Respondetur, his verbis Domini non approbari, nisi deletionem, domus Achab, & Baal, & Prophetarum eius; a quibus diuersa est illa simulatio; quam fortè nec Ionadab probauit, sed Iehu ab illo proposito remouere non potuit. Ipsa quoque cædes domus Achab, Baal, & Prophetarum probatur, quantum est ex obiecto; nam ex fine reprobanda est, quia facta ex cupiditate regnandi, vt ait Augustinus contra Mendacium cap. 2-, & propterea Deus minatur, vlciscendum sanguinem Iezrahel super domum Iehu Oseæ 1.

Tertiò. Obiici potest factum Matris Machabæorum Martyrum; quæ hortanti Regi, vt in salutem fieret filio suo, respondit, se ei suasuram; cui tamen non suasit obedientiam Regi, sed legi 2

Digitized by Google

gi 2. Machabeorum 6. 26.; ergo videtur ſimulatè reſpondiſſe Regi.

Reſpondetur, eam non aliud reſponſo ſuo promiſiſſe Regi, niſi ſuarum ſe filio ſuo, quæ ei eſſent ad ſalutem; id enim a Rege petitum erat; vera autem ſalus filii non erat ex obedientia Regis, ſed legis; ergo non ſimulauit, dum promittens ſe, ſuaſuram filio, quæ ei erant ad ſalutem, eidem obedientiam non Regi, ſed legi perſuadere intendit; ergo, licèt Rex in ſua credulitate fuerit deceptus, qua, ſcilicet, putabat ſalutem illius iuuenis conſiſtere in obedientia ad ſui præceptum, mulier tamen nulla eum ſimulatione decepit.



Digitized by Google

DISPVTATIO XVI.

Contra Propositionem XIX.

Voluntas non potest efficere, vt assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 INTELLECTVS quidem non potest vlli Propositioni assentiri, nisi ob aliquod motiuum, saltem authoritatem, siue veracitatem putatam testantis, quod ex professo probat Ioannes Picus Disputatione de Libertate credendi *in* Apologia, & docet Philosophus 2. de anima tex. 183 ponderatque Fagnanus de Opinione probabili nu. 140., quidquid in oppositum dixerint Scotus in 3. dist. 25. qu. 2. §. *Ideo dico*, & Caietanus tom. 2. Opuscul. qu. 65. art. 4 §. *In eodem*: Imaginatiuæ enim est sibi formare, & versare obiecta, quæ lubet; intellectus verò non potest assentiri, nisi ob aliquod motiuum, siue rationem. Tamen, quòd voluntas non possit efficere, vt assensus intellectus sit magis firmus, quàm mereatur motiuum ad assensum inducens, falsum est. Quod probatur primò experientia: facilè enim credimus amicis, non sic cæteris; difficilè verò inimicis; quia ad primum nos ducit voluntas, ad secundum non ducit, a tertio verò abducit. Magistris ex eodem voluntatis affectu etiam aliquando firmiter, & tenaciter credimus, vnde est illud Augustini de Duabus anim. cap. 9. *Ex quo amore* (in Manicheos) *fiebat, vt quidquid dicerent, miris quibusdam modis, non quia sciebam, sed quia optabam verum esse, pro vero approbarem.* Sic Lutherani, Caluinistæ, Zuingliani credunt pseudo magistris suis: sic sectarii Scholarum suis Doctoribus.

Digitized by Google

bus. Cuius rei, non alia ratio est, nisi affectus voluntatis trahentis iudicium rationis. Hinc etiam, *qualis vnusquisque est, talis ei finis*, scilicet bonum, *videtur*, vt ait Philosophus; ideoque inclinatis ad gulam, libidinem, iram & cætera, videntur bona crapula, venus vindicta, & cætera. Propterea idem Philosophus 7. Ethic. cap. 2 3. & 4. docet, incontinentem peccare, vt ignorantem; immo 3. Ethic. cap. 3. id profert de omni peccante, quia omni peccanti ex praua dispositione affectus videntur bona, quæ mala sunt, sicut lingua infecta cholera omnia sentit amara. Propter quod sanum consilium est in passione constitutis, ne aliquid operentur, vel iudicent, quia tunc erraret ex passione iudicium. Hinc tamdem melancholici facilè credunt, timentque mala, & horribilia, saguinei verò credunt, sperantque læta, & iucunda.

2. Si ergo tanta vis est voluntatis, siue affectus ad trahendum iudicium rationis, vt iudicentur bona, quæ mala sunt, quantò magis, vt firmiùs assẽtiamur Propositioni, quã valeat vis motiua ad assensum inducens? Inde est, quòd Philosophus etiam dixit, quosdam suis opinationibus, quasi euidentiis, siue demonstrationibus adhærere, ex affectu, scilicet, voluntatis erga se, & sua.

Probatur secundò. Quia aliter non esset certus, et firmus ex parte intelligentis assensus Fidei nostræ; siquidem motiua ad illum inducentia non sunt euidentia; ergo incostans, & infirmus esset ille assensus, nisi accederet pius affectus voluntatis determinantis intellectum. Et propter hanc rationem credendum est, a Sede Apostolica damnatam esse Propositionem. Pro qua nihil alicuius momenti video afferri.

✠

Digitized by Google

DISPVTATIO XVII.

Contra Propoſit. XX.

Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat, ſupernaturalem.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1  ST, vt patet, correlarium Præcedentis: ex illa enim ſequitur, quòd aſſenſus Fidei ex parte intellectus non ſit certus, quia motiuum eius non eſt euidens, immo obſcurum, vt ibi dicebatur: ſi autem ille aſſenſus eſt incertus, ſequitur, quòd poſſit prudēter repudiari: nō enim ad prudentiam pertinet, vt tenere aſſenſus incertos: & hoc dicitur in præſenti Propoſitione.

Sed meritò damnatur. Primò. Quia aſſenſus ille maxima perfectio eſt intellectus, taliſque, vt ſuperet facultatem, ſeu vires eius, vtpote ſupernaturalis; non eſt autem prudentiæ repudiare tantam perfectionem; ergo, etiam ſi aſſenſus ille eſſet incertus, non repudiatur prudenter, ſicut nec prudenter repudiatur, quia eſt obſcurus; id quod ab omnibus conceditur.

Secundò. Quia, etiam ſi aſſenſus ille incertus ſit ex parte aſſentientis, eſt tamen certiſſimus ex parte ſui, ita vt non poſſit eſſe falſus; magnum autem bonum eſt intellectus habere aſſenſum ex natura ſua certiſſimum; ergo non prudenter repudiatur.

Tertiò. Prudenter datur ille aſſenſus; ergo non prudenter repudiatur. Conſequentia patet. Antecedens probatur: quia nullus, vt arbitror, Chriſtianus dicet, imprudenter dari aſſenſum veritatibus Fidei, immo hoc pertinet ad ethniciſmum. De Sergio Paulo Proconſule, qui ab Apoſtolo Paulo conuerſus eſt ad Fidem, dicitur, quòd eſſet vir prudens, Actuum 13.

Quartò. Motiua, quibus veritas noſtræ Fidei ſuaderi poteſt, talia

Digitized by Google

talia ſunt, vt cauſen t certitudinem mortalem attendentibus ad illa, .s. concordia vtriuſque teſtamenti, prædictiones Prophetarum impletæ, ſanctitas doctrinæ, legiſque, conuerſio totius orbis ad Fidem non armorum vi, aut elóquentiæ, ſed ſimplici prædicatione verbi, miracula patrata, & plura alia, quæ adducit Auguſtinus contra Epiſtolam Fundamenti cap 4., & latius 13. contra Fauſtum per totum: quibus explicatis, ſubdit Auguſtinus cap. 16. libri citati contra Fauſtum: *Gentilis profectò moueretur ad Fidem*. Quid eſt autem profectò moueretur, niſi certò moueretur? Et vnde hæc certitudo, niſi ex vi motiuorum impellentium ad aſſenſum erga veritates prædicatas? Ergo motiua, quibus veritas noſtræ Fidei ſuadetur, ex ſe ipſis, etiam nullo poſito affectu voluntatis, cauſant certitudinem moralem de eius veritate. Sed non eſt prudentis denegare aſſenſum ei, quod apparet moraliter certum, immo hoc imprudentis, & proterui eſt; multò aut magis repudiare aſſenſum ſemel habitum, etiam ſi talis aſſenſus ſit purè naturalis; ergo a fortiori non eſt prudentis repudiare aſſenſum ſupernaturalem de iiſdem veritatibus.

2. Sed fortaſſe Propoſitio de illis tantùm veritatibus cenſet, repudiari poſſe aſſenſum Fidei ſupernaturalem, de quibus poteſt haberi cognitio euidens per naturalem diſcurſum, vt de exiſtentia, vnitate, veracitate, aliiſque perfectionibus diuinis, quæ naturæ lumine euidenter cognoſci poſſunt; eo quia fortaſſe cenſet, præſtantiorem eſſe cognitionem euidentem naturalem, quàm obſcuram per lumen Fidei, & ideo prudenter poſſe hanc præ illa repudiari.

Verùm hoc irrationabiliter dicitur; ſi enim vtraq; cognitio, vel aſſenſus poſſunt ſtare ſimul, imprudenter altera repudiatur, quia vtraq; perficit intellectũ: maioris autẽ perfectionis eſt habere plura argumenta pro eadem veritate, quàm vnum tantùm, quamuis hoc ſit demonſtratiuum. Si autem illa non poſſunt ſtare ſimul, vt opinantur Thomiſtæ, iam non exercetur prudentia in repudiando, ſed adeſt incompoſſibilitas in eſſendo. Sed de hoc plura dicentur infra.

Secundò. Maior eſt perfectio ſupernaturalis, quàm quæcumque naturalis, & adeo maior, vt non tantùm gradu, ſed & ordine illa excedat hanc; ſed cognitio, ſiue aſſenſus per Fidẽ diuinam eſt ſupernaturalis, euidentia verò illa eſt naturalis; ergo imprudẽter repudiatur illa cognitio pro hac euidẽtia, nẽpe perfectius pro imperfectiori.

Tertiò. Certior eſt cognitio obſcura per Fidem diuinam, quàm cognitio euidens per lumen naturale; ergo, &c.

Quartò. Aſſenſus per Fidem eſt meritorius apud Deum, vt patet ex Auguſtino Epiſt. 105., & de Prædeſtinatione Sanctorum ca. 2. &

ex

Digitized by Google

ex D. Thom. 22. qu. 2. ar. 9. Nosque memorauimus Propositione 16.; assensus autem euidens per lumen naturæ non est meritorius apud Deum; sed non est prudentis repudiare hoc meritum; ergo, &c.

Quintò. Repudiare assensum Fidei pro assensu euidenti naturali videtur descendere de tumore animi respuentis humilitatem, & obedientiam Fidei præ inflatione, & gloria scientiæ: at hoc imprudens est, quia peccaminosum. Certè Christianus magis debet gloriari de simplicitate, & humilitate Fidei, quàm de sapientia sæculi, quæ stultitia est apud Deum: ipsique sæculi sapientes, si quando acceserunt ad Fidem, suam sapientiam contempserunt. Ex quibus omnibus apparet, verum esse totũ oppositum: nimirum prudenter repudiari actum scientiæ pro assensu Fidei, si ambo non sint compossibiles. Et audiendus est Apostolus 1. Corinth. 1.: *Scriptum est: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Quoniam Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*

Sextô. Si propter habendam maiorem firmitatem ex euidentia prudenter repudiatur assensus Fidei, id erit verum, etiam si voluntas possit facere, vt assensus Fidei sit magis firmus, quàm mereatur vis rationum; nam etiam si possit dare maiorem ea firmitatem, non tamen tantam, quantam dat euidentia; nihil enim naturaliter potest esse ita firmiter notum, sicut euidens; ergo non rectè ex Propositione priori 19., tamquam ex Antecedenti, infertur hæc 20. tamquam Consequens.

3. Pisani Thomista supra hanc Propositionem obseruat, ex eius damnatione argui posse contra sententiam Thomistarum, putantiũ, Fidem, & scientiam non posse stare simul. Hoc enim posito, sequitur, Fidelem acquirentem scientiam de illis veritatibus Fidei, quæ naturaliter scire possumus, repudiare saltem in causa assensum Fidei erga illas, eò ipso, quo illam scientiam acquirere vult, cum qua non potest stare assensus Fidei; ergo imprudenter Fidelis ille dabit operam scientiæ.

Nec sufficit, quòd retineat Fidem in habitu; quia adhuc repudiat assensum actualem Fidei. Neque, quòd non repudiet pro semper, sed tantùm pro eo tempore, quo habet actum scientiæ, si actus tantùm illi non possunt stare simul, possunt autem habitus; quia adhuc pro aliquo tempore repudiat actum Fidei; neque, quòd retineat actum Fidei in præparatione animi; quia adhuc repudiat actũ super-

Digitized by Google

ſupernaturalem formaliter in ſe ipſo. Hæc omnia Piſani.

Reſpondet tamen ipſe damnari hanc Propoſitionem tamquam deductam ex decimanona antecedenti, vt, ſcilicet, ideo prudentis ſit repudiare aſſenſum ſupernaturalem Fidei pro habenda euidenti cognitione, quia ille eſt minùs firmus, cùm voluntas non poſſit facere, vt aſſenſus Fidei ſit magis firmus in ſeipſo, quàm mereatur vis rationum ad ipſum mouentium. Iuxta autem Thomiſtas non repudiari ex hoc capite illum aſſenſum; ſed tantùm, quia incompoſſibilis eſt cum actu ſcientiæ; nec propriè repudiari; quia repudiatio denotat, vel auerſionem animi, vel finem maioris boni acquirendi. Ipſi autem, nec habent animum auerſum ab illo aſſenſu Fidei, nec putãt, actum ſcientiæ eſſe illo potiorem: immo nec volunt in cauſa carentiã illius, quia hæc ſequitur ex natura rei præter intentionem agentis: *Ex quo*, inquit, *patet, quàm longè ſit a damnata Propoſitione Thomiſtarum doctrina*.

4. Verùm ex his non video ſoluta ſuperiora Argumenta, quorũ nonnulla ab ipſo Piſani afferuntur. Semper enim ſequitur, illum addiſcentem velle carere actu humilitatis, obedientiæ ſupernaturali, meritorio, magiſque certo, pro habendo actu ſcientiæ humanæ. Nec authores Propoſitionis dicunt, prudenter præ auerſione animi repudiari aſſenſum Fidei; quis enim fidelis hoc dicat? Sed pro habendo actu ſcientifico. Quare non eſt facienda vis in verbo *Repudiare*.

Falsò autem dicitur, carentiam aſſenſus Fidei non eſſe volitam ab illo addiſcente, neque in cauſa: ſiquidem ille ſciens, vt ſupponitur, ad acquiſitionem ſcientiæ ſequi neceſſariò impoſſibilitatem illius aſſenſus, vult ſcientiam acquirere; quare præfert aſſenſum ſcientificum aſſenſui Fidei. Itaque data reſponſio eſt inſufficiens.

Digitized by Google

DISPVTATIO XVIII.

Contra Propoſitionem XXI.

Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili reuelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit loquutus Deus.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

PER Fidem maximè credimus, Deum reuelaſſe, immo hæc eſt ratio formalis, qua credimus veritatibus Fidei: quare reuelatio Diuina non tantùm eſt articulus creditus, ſed ratio credendi cæteris: ipſa verò non ex alia ratione formali creditur, ſed immediatè per vim luminis Fidei determinati ad eſſentiendum veræ reuelationi Diuinæ. De quibus omnibus agitur in materia de Fide.

Per Propoſitionem igitur deſtruitur certitudo aſſenſus Fidei, & reducitur ad ſolam probabilitatem, immo ad dubitationem. Si enim probabiliter tantùm cognoſcitur reuelatio Diuina, probabiliter tantùm cognoſci poſſunt veritates reuelatæ, quæ non alia ratione cognoſcuntur per Fidem, niſi quatenus a Deo reuelatæ; & ſi de reuelatione dubitatur, dubitari neceſſe eſt de veritate reuelata.

Patet hoc ex naturalibus; ſi enim probabiliter tantùm cognoſcitur, aliquod eſſe colorem, vel de hoc dubitatur, probabiliter tantùm cognoſcitur eſſe viſibile, & de ipſa viſibilitate dubitatur; ſed ita reuelatio Diuina eſt ratio, cur aſſentiamur veritatibus reuelatis, ſicut ratio coloris eſt eſt ratio viſibilitatis; ergo, &c. Sic credens dictis Petri, dum dubitat, an aliquid ab eo dictum ſit, dubitat quoque, an credat. Sed cùm dubio non ſtat Fides; immo: *Dubius in Fide infide-*

Digitized by Google

infidelis eſt, vt dicitur cap. *Dubius* de Hæreticis; & certè qui dubitat, an credat, nondum credit; ergo, &c.

Probatur id ipſum ſecundò. Quia reuelatio Diuina eſt vnus ex articulis Diuina Fide credendis; qui autem de vno articulo Fidei dubitat, totam Fidem amiſit, multòque magis, qui de eo articulo dubitat, qui eſt ratio, cur cæteris credatur, qualis eſt reuelatio Diuina, vt dictum eſt. Fides enim fertur in omnia obiecta credenda ſub vnica ratione formali reuelationis Diuinæ; ergo non poteſt ferri in vnam veritatem, & non in aliam, ſi vtraque proponatur ſub ea ratione formali, quia quælibet potentia fertur in omne id, in quo reperitur ratio ſui obiecti formalis, aliter in nullum feretur; ergo qui probabiliter tantùm fertur in vnam veritatem reuelatam, eodem modo neceſſe eſt, feratur in cætera, & qui de vna dubitat, neceſſe eſt, vt dubitet de cæteris; ſed Fidei Diuinæ repugnat ſola probabilitas, & dubietas; ergo, &c.

Tertiò. Fides cum formidine, vel ſola probabilitate reuelationis Diuinæ non ſuffiicit in tota Eccleſia; ergo neque in ſingulo fidele. Conſequentia patet, quia eadem Fides eſt in tota Eccleſia, ac in ſingulo fidele. Añs probatur. Quia aliter Eceleſia eſſet veluti ſecta Academicorum nihil habentium pro certo, & de omnibus dubitantium; &, cùm fundamentum Eccleſiæ ſit Fides, ipſum erit labile, non ſtabile, ſupra quod firmum ædificium fundari non poteſt.

Quartò. Aſſenſus Fidei eſt obedientia intellectus erga Deum reuelantem; vnde Apoſtolus Rom. 1. ait, ſe accepiſſe *gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum Fidei in omnibus gentibus*, id eſt, vt omnes gentes redderet obedientes Fidei, quod eſt, credentes; ſed eſt inobediens voluntate non tantùm, qui renuit, ſed etiam qui tergiverſatur, aut ſuſpendit, ſeu differt exequi præcepta; ergo eſt inobediens intellectu non tantùm, qui diſſentit, ſed etiam, qui dubitat aſſentiri. Iſque non habet captiuatum intellectum inobſequium Chriſti, vt loquitur Apoſtolus 2. Corinth. 10. ideſt non ligatum, & determinatum, ſed ſolutum, & liberum, ſeu indifferens; ſed vnus ex articulis Fide credendis eſt reuelatio Diuina; ergo qui de hac dubitat, vel non eſt certus, eſt infidelis.

2. Quintò. Ad patranda miracula requiritur Fides omnino certa, & nullo modo hæſitans de patratione miraculi; ergo ad obtinendam ſalutem non ſufficit cognitio probabilis, multò minùs dubia de veritatibus reuelatis, ſed requiritur firma, & certa. Antecedens patet ex illo Iacobi 1.: *Poſtulet autem in Fide nihil hæſitans*. Et: *Qui hæſitat non exiſtimet, quòd accipiat aliquid a Domino*: & ex illo Chriſti Do-

Digitized by Google

mini Marci 11.: *Si quis dixerit huic monti, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, &c.* Hinc Petrus ambulans super aquas statim, ac dubitauit, mergi cepit; propter quod audire meruit: *Modicæ Fidei, quare dubitasti?* Vbi obseruat Theophylactus, non totum submersum esse Petrum, quia non omnino abiecit, sed ex parte Fidem retinuit, qua exclamauit: *Domine saluum me fac*, Matth. 14. Hinc ipse Dæmon æmulatione Diuina certam Fidem exigit a Magis, siue Lamiis, aut Strygibus, vt aliquid in eorum gratiam operetur; quod illi ipsi testantur.

Consequentia probatur. Quia eadem est Fides, qua creduntur reuelata a Deo, & qua patrantur miracula, vt fert communior sententia cum D. Thom. 22. qu. 4. art. 5., & qu. 168. ar. 1. Vel, si est diuersa, vt opinatur Abulensis qu. 163 in cap. 17. Matthei, absurdum est, vt ad obtinendam salutem sufficiat Fides non certa, sed dubia, ad patranda autem miracula requiratur Fides omnino certa, cùm maius sit illud, quàm istud.

Sextò. Non sufficit ad salutem amare Deum inefficaciter, scilicet, simplici complacentia, aut sine operibus; ergo nec credere Deo cum incertitudine, aut dubio. Antecedens est certum, & Consequentia sequitur ex paritate: in vtraque enim potentia intellectus, & voluntatis debet reformari imago Trinitatis, in hac per Charitatem, in illa per Fidem, & vtraque debet subiici Deo.

In oppositum non reperitur, quod speciali discussione dignum sit.

D I-

Digitized by Google

DISPVTATIO XIX.

Contra Propositionem XXII.

Non nisi Fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explita Remuneratoris.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1  PPOSITVM deducitur ex illo Apostoli Hebræor. 11.: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et prorsus gratis, immo absurdè dicitur, primum esse de necessitate medii, secundum verò solius præcepti: cum vtrumque eadem sententia iungatur ab Apostolo, & necessarium dicatur: cùm enim plura alia de necessitate præcepti necessaria sint ad salutem, non suberat ratio, cur Apostolus de Fide Remuneratoris mẽtionem faceret, & non de vllo alio, si illa Fides tantùm de necessitate præcepti requiritur, sicut multa alia.

Probatur secundò ratione Lyrani in Com. cap. 11. ad Hebræos. Quia mobile rationis compos animi sui motu, vel accessu non solùm intendit terminum motus, sed etiam habet causam, quare moueatur secundùm rationem: terminus autem accessus ad Deum per Fidem est ipse Deus, cui credimus, causa verò est spes remunerationis: si enim nihil sperat a Deo, non mouetur ad ipsi credendum, siue obediendum per Fidem; ergo ita necessaria est Fides remunerationis, sicut Fides existentiæ Dei: sicut enim, qui non credit, Deũ esse, non mouetur ad ipsum, ita nec qui non credit, ipsum esse Remuneratorem.

2. Probatur tertiò. Quia ad salutem necessaria est necessitate medii Fides saltem implicita in Christum: sed qui non habet Fidem

Digitized by Google

explicitam Dei, vt remuneratoris, nullo modo potest habere Fidem implicitam in Christum; ergo ad salutem necessaria est Fides explicita Dei, vt remuneratoris.

Maior patet ex scripturis: Actum 4.: *Non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat, nos saluos fieri*. Et cap. 12.: *In viro, in quo statuit, Fidem præbens omnibus*. Hinc Augustinus Epistola 157.: *Illa Fides sana est, qua credimus, nullum hominem, siue maioris, siue paruæ ætatis liberari a contagio mortis, & obligatione peccati, nisi per vnum mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum*: & affertur a D. Thoma, & Lyrano.

Id etiam debetur gloriæ Christi, qui sua passione nos redemit, quique Saluator est sui corporis, quod est Ecclesia: nullus autem Christo incorporatur, nisi per Fidem eius; ergo nullus saluari potest, nisi per Fidem saltem implicitam eius.

Minor probatur. Quia in Fide præcisa solius existentiæ Dei non continetur implicitè Fides in Christum, vt patet; contineri autem fortè potest in Fide Dei, vt Remuneratoris, scilicet, in Fide prouidentiæ eius ad liberandos, & remunerandos homines secundùm modos sibi notos, & placitos, pro qua liberatione ei placuit, Christum incarnari, & pati: id quod multi opinantur ex Recentioribus, quamuis Nobis non probetur; de qua re infra Disputatione vltima.

Probatur quartò. Quia si non habetur Fides Dei, vt Remuneratoris, non habetur Fides prouidentiæ eius; si enim Deus prouidus est, remunerator bonos, punitque malos; sed Fides Dei non amplectens prouidentiam eius non est Fides Christiana, sed Epicuri, Democriti, Leucippi, eorumque discipulorum non agnoscentium prouidentiam Dei erga homines, quam Fidem nullus Christianus dicet, sufficere ad salutem; ergo, &c.

3. Contra prædicta argui potest impugnando secundam rationem adductam. Licèt enim causa accessus creaturæ rationalis ad Deum per amorem concupiscentiæ debeat esse spes remunerationis, vel aliquod bonum in creaturam ex Deo resultans, quia ille amor fertur in bonum sibi: tamen causa accessus ad Deum per amorem benevolentiæ potest esse ipsa Dei bonitas secundùm se absque vllo respectu ad amantem; ergo cognoscens illam bonitatem summam, & infinitam potest exardescere in amorem illius supra omnia, etiam supra se ipsum, quamuis nullam remunerationem aut speret, aut cognoscat; talis autem amor, vel iustificat, vel disponit infallibiliter ad iustitiam: ergo non est necessaria

Digitized by Google

ria cognitio remuneratoris, ſed ſufficit cognitio Dei. Et hoc eſt fundamentum Propoſitionis damnatæ.

Reſpondetur, amorem puræ charitatis, qua amatur Deus præcisè propter ſuam bonitatem, eſſe longè perfectiorem amore, quo amatur vt bonus nobis; naturalis autem progreſſus eſt de imperfecto ad perfectum: ergo priùs amatur a nobis Deus, vt bonus nobis, ſeu vt Remunerator, quàm vt bonus in ſe; ideo Apoſtolus ait, quòd accedentem ad Deum oportet credere, quòd Deus ſit, & Remunerator ſit: fertur enim primò in Deum, vt bonum ſibi.

Præterea. Primus amor cuiuſque eſt erga ſeipſum; ergo priùs fertur in Deum, vt bonum ſibi, quàm vt bonum in ſe ipſo.



Digitized by Google

DISPVTATIO XX.

Contra Propoſit. XXIII.

Fides latè dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimiliue motiuo ſufficit ad iuſtificationem.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 TESTIMONIVM Creaturarum de exiſtentia Dei, eiuſque perfectionibus, eſt ſpecies, & ordo earum; ex iis enim illæ deducuntur; quod eleganter expreſſit Auguſtinus 10. Confeſſ. c. 6. *Dixi omnibus, quæ circumſtant fores carnis meæ; dixiſtis mihi de Deo meo, quòd vos non eſtis: dicite mihi de illo aliquid: & clamauerunt voce magna: Ipſe fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & reſponſio eorum ſpecies eorum.* Et hæc deductio eſt etiam euidens, vt fert communis ſententia, de qua Bellarminus tom. 3. Controu. Diſput. de Gratia, & libero arbitrio lib. 4. cap. 2., indicatque Auguſtinus vbi ſupra dicens: *Et clamauerunt voce magna:* per magnitudinem etenim clamoris intelligenda eſt euidentia oſtenſionis. Habetur quoque ex ſcripturis. Sap. 13. 5.: *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator eorum videri.* Et nu. 9.: *Si tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſæculum, quomodò huius Dominum non facilius inuenerunt?* Et Rom. 1. 20. *Inuiſibilia ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas; itaut ſint inexcuſabiles.* Hinc etiam ex gentibus Philoſophi exiſtentiam Dei cognouerunt, quam Plato, & Ariſtoteles argumentis quoque probarunt.

Igitur

Digitized by Google

Igitur teſtimonium creaturarum eſt fundamentum illud, ſiue motiuum, quod ſui ſpecie, & ordine tribuunt intellectui ad inferendam per diſcurſum exiſtentiam Dei, aliaſq; eius perfectiones, tamquàm authoris earum: ergo impropriè, & metaphoricè appellatur teſtimonium, cui adhibeatur fides: hæc enim eſt ſimplex aſſenſus, qui præſtatur voluntariè aſſertioni teſtificantis; at ex creaturis euidenter via cauſalitatis efficientis, vel finalis deducitur exiſtentia Dei, eiuſque perfectio, atque adeo cum neceſſitate aſſenſus; ergo hæc notitia, vel aſſenſus non eſt fides, & illud motiuum non eſt teſtimonium. Videntur igitur callidè ſic vocata, quia, ſcilicet, per ſcripturas, & Patres, ad iuſtificationem neceſſaria eſt Fides; ne igitur videatur Propoſitio ab hac doctrina diſcedere, motiuum ex creaturis ad inferendam exiſtentiam Dei vocat teſtimonium creaturarum, & aſſenſum illum neceſſarium propter euidentiam vocat fidem, cùm tamen adeo diuerſus ſit, & hic aſſenſus a fide, & hoc motiuum a teſtimonio, vt Gregorius hom. 26. in Euang. dixerit: *Quæ apparent, iam fidem non habent, ſed agnitionem.* Sic verbis fucantur res, ne falſitas diſcernatur a veritate.

2. Quòd igitur hæc fides metaphoricè potiùs, quàm latè dicta, ex teſtimonio metaphoricè pariter dicto, non ſufficiat ad iuſtificationem, probatur primò. Ad iuſtificationem requiritur fides ſubiugans, & humilians animam Deo, iuxta illud Apoſtoli Rom. 1.: *Ad obediendum fidei.* Et cap. 16.: *Ad obeditionem fidei.* Et 2. Corinth. 12.: *Captiuantes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Vnde Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap. 12.: *Fides eſt prima, quæ ſubiugat animam Deo.* Sed in eo, quòd intellectus ex creaturis euidenter infert exiſtentiam Dei, eique aſſentit, nulla eſt ſubiugatio, nulla obedientia, nulla captiuatio mentis in obſequium Dei, ſed tantùm exercitium virtutis intellectiuæ, ſeu ſpeculatio, ex quo potiùs ſuperbia exoritur, iuxta illud Apoſt. *Scientia inflat*; ergo talis aſſenſus, ſiue fides non ſufficit ad iuſtificationem; aliter Fides noſtra eſſet in ſapientia hominum, & ſæculi, atque in perſuaſibilibus, & doctis eius verbis, quod reprobat Apoſtolus 1. Corinth. 2. Quietiam Hebræor. 11. dicit: *Fidem eſſe argumentum non apparentium.* At notitia Dei ex creaturis eſt apparens, & euidens; ergo hæc notitia non eſt ea fides, quam requirit Apoſt. ad iuſtificationem, quaq; ibi probat, antiquos iuſtos placuiſſe Deo.

Secundò. Ad iuſtificationem requiritur Fides concepta ex pio credulitatis affectu; ſed Fides, ſeù potius aſſenſus de exiſtentia Dei per diſcurſum ex creaturis non eſt ex pio affectu, immo non

eſt

Digitized by Google

est voluntarius, sed necessarius, saltem quantùm ad specificationem; ergo non sufficit ad iustificationem. Maior patet. tum ex communi doctrina Patrum, & Theologorum, tum quia infidelis dicitur impius, quia, scilicet, caret pio credulitatis affectu.
Tertiò. Fides necessaria ad iustificationem est donum Dei ex gratia per Christum; sed assensus ille per discursum naturalem non est ex gratia per Christum; ergo, &c. Maior est dogma Fidei contra Pelagianos asserentes, nos ex viribus nostris posse habere Fidem, de quo Augustinus integro opere de Prædestinatione Sanctorum, & passim aliis in libris contra Pelagianos: itaut ipsum initium Fidei, immo, & credulitatis affectus gratiæ Dei per Christum deputandus sit, vt definit Arausicanum Canone 8., & Trident. sess. 6. Canon. 3. Hinc Fidem a Deo docemur, tamquàm a Magistro, vt habetur Isaiæ 54. 13.: *Erunt omnes docibiles Dei*, iuxta septuaginta, vel iuxta vulgatam editionem: *Vniuersos filios tuos doctos a Domino*. Propterea Christus Ioann. 6.: *Omnis qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me*. Et: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Traxerit, inquam, non tantùm per diffusionem Charitatis, sed etiam per infusionem Fidei. Proculdubiò autem pertinet ad gratiam Christi fieri membrum Christi, at id nobis donatur per Fidem. Ideo etiam pro Infidelibus oramus Deum, vt ipsos moueat ad Fidem, &, cùm quis eorum crediderit, Deo gratias agimus. Minor patet; nam assensus ille est purè naturalis, & causatus necessariò ex euidentia discursus; opera autem purè naturalia non fiunt ex gratia per Christum, sed ex viribus naturæ.

3. Quartò. Fides, quæ iustificat, meritum habet apud Deum, vt enim ait Augustinus Epistola 105. ad Sistum: *Neque enim nullum est meritum Fidei*. Et de Prædestinatione Sanctorum cap. 2.: *Quis dicat eum, qui credit, ab eo, in quem cœpit credere, nihil mereri?* Et Sancta Ecclesia in Secreta pro Defunctis orat Deum: *Vt quibus Fidei Christianæ meritum contulit, donet & præmium*. Propterea idem Augustinus negat vbique, Fidem esse ex nobis, quia tunc cætera Dei dona tribuerentur merito Fidei, & sic Gratia non esset Gratia, quia ex meritis. Tamdem, Fidem esse meritoriam docet D. Thomas 22. quæst. 2. art. 9. Sed assensus naturalis existentiæ Dei per rationes naturales non habet meritum apud Deum; ergo non iustificat.

Quintò. Fides nostra, qua iustificamur: *Est Victoria, quæ vincit mundum*, prima Ioann. 5. Sed cognitio naturalis existentiæ Dei

ex

Digitized by Google

ex Creaturis non eſt victoria, quæ vincit mundum, quis enim hoc dicat? ergo, &c.

Sextò. Fides, quæ iuſtificat, eſt ex reuelatione Dei per ſcripturas, aut per Eccleſiam, vnde ſe extendit ad omnia reuelata quantacumq; ſint, & quantumcumq; diuerſa, quia vnicam habet rationem formalem aſſentiendi, reuelationem illam. Sed aſſenſus de exiſtentia Dei per rationes naturales non eſt ex illa reuelatione Dei, & propterea non ſe extendit ad alias veritates reuelatas, immo poteſt ſtare cum diſſenſu ad illas; ergo ille aſſenſus non iuſtificat.

Septimò. Fides iuſtificans eſt in omnibus, qui propterea dicuntur fideles; ſed aſſenſus ille non eſt in omnibus, ſed tantùm in Philoſophis; nec ab eo quis dicitur fidelis, ſed ſciens; ergo aſſenſus ille non iuſtificat.

Octauò. Per fidem iuſtificantem incipit renouari imago Deitatis in homine deformata per peccatum, & indui nouus homo expoliato vetere iuxta illud Apoſt. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agitionem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum.* Renouatur enim in intellectu per Fidem, in voluntate per Charitatem; ſed per aſſenſum illum, non incipit renouari imago Deitatis in anima, nec exui vetus homo ad induendum nouum; nam aſſenſus ille ex viribus naturæ eſt; nullus autem fidelis dicet, hominem poſſe viribus ſuis reformare in ſe ipſo imaginem Deitatis, aut induere nouum hominem exuto vetere; ergo, &c.

Nonò. De his, qui per legem ſe iuſtificari putabant, ait Apoſtolus Galat. 5. *Euacuati eſtis a Chriſto, qui in lege iuſtificamini, a gratia excidiſtis*; ergo multò grauius ex dolore Chriſtiano, vt ait Auguſtinus de Natura, & Gratia cap. 2. & 40. increpandi ſunt, qui putant ſe iuſtificari per naturam, & omnino a ſe ipſis: ſequitur enim infalibiliter: *Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; ergo euacuatum eſt ſcandalum Crucis*, Galat. 5. Falſum etiam erit, quod ait idem Apoſt. ibidem: *Nos Spiritu ex Fide Spem iuſtitiæ expectamus*, ſi iuſtitia per naturalem virtutem haberi poteſt. Hinc idem Auguſtinus. 4. contra Iuli. cap. 7. de Pelagianis ait: *Hoc eſt, vnde vos maximè Chriſtiana deteſtatur Eccleſia, quia introducitis hominum genus, quod placere Deo poſſit ſine Fide Chriſti lege naturæ*; & 7. Confeſs. cap. 20. dicit, quòd licèt ipſe ex libris Platonicorum cognouiſſet Deum, tamen, *niſi in Chriſto Saluatore noſtro viam Dei quæreret, non peritus, ſed periturus erat.*

Digitized by Google

Decimò. Non iustificat nisi Fides in Christum; sed Fides in Deum ex testimonio creaturarum non est fides in Christum; ergo ea non iustificat. Maior patet ex Euangelicis, & Apostolicis litteris, in quibus solus Christus, & Fides in eum dicitur causa nostræ iustitiæ, & salutis. Minor probatur. Quia per discursum naturalem ex creaturis non potest deduci Christus, cùm ipse omnino liberè, & supra exigentiam naturæ destinatus a Deo sit, sihe in remedium naturæ lapsę per peccatum (qui status naturæ neque naturaliter cognosci potest) siue in exaltationem eiusdem.

Et dato, quòd possit inferri, non tamen ea propter Fides, seu cognitio Dei ex creaturis esset Fides in Christum; non enim cognitio principii in intellectu humano est cognitio omnium conclusionum ex eo deducibilium, immo possunt ex ignorantia illationis aliquæ ex eis negari; sicque agnoscens Deum ex creaturis potest non solùm non cognoscere (quod accidit omnibus sęculi Philosophis) sed etiam negare Christum.

Vndecimò. Deus non iustificat, nisi quos vocauit, Roman. 8. Sed cognitio Dei ex creaturis non est ex vocatione Dei, sed ex viribus naturæ; ergo, &c.

CAPVT II.

Ostenditur, nulli dari auxilium necessarium ad seruandam legem, & charitatem habendam, nisi habenti Fidem in Christum; ideoque Fidem in Deum ex testimonio Creaturarum non sufficere ad iustificationem.

DVodecimò. Fides non iustificat sola, vel formaliter, requiruntur enim charitas, & opera in adultis, Iacobi 2., & ex Tridentino sess. 6. cap. 7., & can. 9. quæ charitas, & opera, seu obseruantia legis non possunt haberi sine speciali auxilio gratiæ per Christum, quòd supponitur hic, & ex dicendis patebit; itaque

eo

Digitized by Google

eo ſenſu dicitur fides iuſtificare, quia eius intuitu, ſiue merito conceduntur illa auxilia, vnde dicitur initium, fundamentum, & radix noſtrę iuſtificationis ex eodem Tridentino ibidem cap. 8. Ergo Fides, cuius intuitu non conceduntur illa auxilia, non iuſtificat, ideſt, non eſt fundamentum noſtræ iuſtificationis.

Sed illa non conceduntur intuitu, vel merito Fidei de exiſtentia, & prouidentia Dei ex teſtimonio creaturarum, ſed tantùm Fidei in Chriſtum; ergo fides illa non ſufficit ad iuſtificationem.

Minor probatur primò. Quia Fides in Chriſtum eſt initium, & fundamentum iuſtificationis, quod nullus fidelis negabit; aliter aut Chriſtus non eſſet fundamentum noſtræ iuſtitiæ, aut aliud fundamentum poneretur, præter id, quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus, contra ſententiam Apoſtoli, 1. Corint. 3. Sed in ędificio nihil eſt ante fundamentum, nec ædificium Chriſtianæ ſanctitatis poteſt habere duo fundamenta; ergo Fides illa naturalis de exiſtentia Dei, quæ præcedit fidem in Chriſtum, & ab ea diuerſa eſt, non eſt fundamentum noſtrę iuſtificationis.

Secundò. Chriſtus non influit niſi in membra myſtica ſui Corporis, quibus ipſe eſt caput, ideſt, non largitur auxilia ſuæ gratiæ niſi credentibus in ipſum; per Fidem enim in eum incorporamur ipſi, vt notum eſt fidelibus; ſed habens ſolam fidem naturalem de exiſtentia Dei non eſt membrum Chriſti, aliter & Plato, & Ariſtoteles, & plurimi ex ſęculi Philoſophis fuiſſent membra Chriſti; ergo ipſe non recipit influxus gratiæ Chriſti, & per conſequens illa ęius fides non eſt fundamentum, & radix iuſtificationis. Maior patet; quia caput naturale non influit niſi in membra ſibi vnita, ſeu in ſuo corpore exiſtentia; & inde translata eſt vox, vt Chriſtus dicatur Caput, & fideles, ſiue Eccleſia corpus, ſiue membra eius, quia, ſcilicet, Chriſtus non influit, niſi in ſui fideles.

Tertiò. Auxilia gratiæ ad implendam legem impetrantur per Fidem in Chriſtum; vnde Auguſt. concio. 16. in Pſal. 118. initio, & alibi: *Fides impetrat, quod lex imperat*, & loquitur de fide in Chriſtum; ergo ea non conceduntur non habenti eam fidem.

Quartò. Charitas, & opera ſunt poſt Fidem, ſicut ædificium poſt fundamentum; ergo non dantur auxilia ad ea niſi habenti fidę, ſicut non conſtruitur ędificium niſi iacto fundamento.

Quintò. Charitas eſt perfectior Fide explicita Chriſti. 1. Corit. 13., ſed naturalis, & ordinatus proceſſus eſt ab imperfecto ad perfectum; ergo priùs datur Fides explicita in Chriſto, deinde auxi-

Digitized by Google

lia ad Charitatis actum eliciendum, aliter Dei opera non essent ordinata.

CAPVT III.

Probatur idem ex Sacris litteris, & Augustino.

1. SEd maximè illa Minor probatur ex Apostolicis litteris. Paulus enim Galat. 3. pronuntiat, omnes, qui sunt ex operibus legis, ideſt, qui tenentur ad facienda opera legis, esse sub maledicto, eo quia Moyses scripsit Deuteronom. 27. 26.: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*. Ergo ideo maledicti sunt omnes, qui sunt ex operibus legis, quia eam non seruant; ideo autem nullus seruat, nisi quia nec potest per ipsam, scilicet, legis doctrinam, sed indiget auxilio gratiæ per Christum. Aliter posset aliquis effugere illud maledictum sine Christo, eiusque auxilio gratiæ, quod repugnat Apostolo immediatè subdenti: *Christus nos redemit de maledicto legis; &, quòd in semine Abrahæ, quod est Christus, benedicentur omnes gentes*; ille autem benediceretur in se ipso propter obseruantiã legis viribus suis.

Præmisit autem immediatè idem Apostolus: *Neminem in lege iustificari apud Deum, quia iustus ex Fide viuit, lex autem non est ex Fide*. Ex ea autem Fide viuit iustus, quæ est Christi Iesu, qui nos redemit de maledicto legis. Ex quo etiam sequuntur duo. Primũ, quòd Fides in Deum Prouisorem non iustificat; nam hæc Fides in primo præcepto legis indicebatur Hebræis; & tamen legem illam non iustificare docet hic Paulus. Secundum. Quòd Fides illa non sit Fides in Christum; nam hanc Fidem ab illa lege distinguit Apostolus. Ergo non habens Fidem in Christum non habet vires ad implendam legem, & ideo est sub maledicto; ergo vires, siue auxilia ad illam implendam, non dantur nisi habenti fidem in Christum. Ita hunc locum exponit Augustinus in Exposit. cap. 2. ad Galat.: *Scientes, quoniam non iustificatur*, inquit, *homo ex operibus legis, nisi per Fidem Christi Iesu, vt impleat opera legis, adiuuantem infirmitatem suam, non merito suo, sed gratia Dei*. Et in exposit. cap. 3. ait,

ideo

Digitized by Google

ideo omnes, qui ſunt ſub lege, eſſe ſub maledicto, quia eam obſeruant ex cupiditate rerum temporalium, & timore eas amittendi, vel penas in lege præſcriptas declinandi, non gratis, & ex charitate, ſeu liberè, quæ libertas non datur niſi credentibus in Chriſtum. Ergo ſecundùm Auguſtinum Charitas, vel auxilia ad eius actum eliciendum, vt liberè ſeruetur lex, non datur niſi credenti in Chriſtum. Hinc Arauſicanum cap. 21.: *Ideo Chriſtus non gratis mortuus eſt, vt & lex per illum impleretur, qui dixit*: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere; ideſt, vt impleretur per auxilium eius, quod datur merito paſſionis eius credentibus in eum. Qui autem eam ſeruant ex cupiditate, & timore, non totam eam ſeruant, niſi fortè quoad actus externos; præuaricantur enim præcepta: *Diliges*. Et: *Non concupiſces*. Quæ ſunt veluti præcepta generalia continentia totam legem, vt ipſe Auguſtinus ait de Perfectione Iuſtitiæ cap. 5. Non enim præceptum dilectionis poteſt ſeruari ex timore: *Timor enim non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem, quoniam timor penam habet*, 1. Ioann. 4. Hinc Apoſtolus Galat. 6.: *Qui volunt placere in carne, hi volunt vos circumcidi, tantùm, vt Crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. Neque enim, qui circumciduntur, legem cuſtodiunt*. Quæritur autem hic, quare de omnibus circumciſis pronuntiet, quòd legem non cuſtodient, cùm multi ex illis legem cuſtodierint. Aut ſi dicatur, id intelligi tantùm de his, qui poſt Euangelium ſuaſu Pſeudo Apoſtolorum circumcidebantur; quare hoc etiam vniuerſaliter de illis pronuntiet: Non enim omnes illi, eorumque mores agnoſcebantur a Paulo, neque id temerè dixit. Quam difficultatem non attigit Lyranus, dum in Poſtilla huius loci dicit, ideo illos non ſeruare legem, quia in multis eam tranſgrediebantur. Proculdubio enim, vbi non eſt obſeruantia, eſt tranſgreſſio, & vbi eſt tranſgreſſio, non eſt obſeruantia. Sed quæſtio eſt, quare Apoſtolus tam diſertè de omnibus circumciſis, aut ſaltem de illis, quos memorauimus, pronuntiet, quòd legem non cuſtodiant. Et non aliud reſponderi poteſt, niſi quia non poterant ex vi circumciſionis, ſiue legis; quia ad obſeruantiam legis requiritur auxilium gratiæ per Chriſtum, quod non datur merito circumciſionis, ſed ex Fide in Chriſtum. Atque id pertinebat ad intentum Apoſtoli ibi ſuadentis, non aliam eſſe viam ad ſalutem, niſi Chriſtum per Fidem ipſum, &, quòd ſpes iuſtitiæ eſt expectanda ſpiritu ex Fide, non ex circumciſione, aut operibus legis ſine fide, nam *in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed Fides, quæ per Charitatem operatur*. Ergo ſecundùm

Apo-

Digitized by Google

Apostolum non datur auxilium gratiæ necessarium ad seruandam legem, nisi habentibus Fidem in Christum.

Ita colligitur ex Augustino expos. 6. cap. ad Galat. versùs finem: *Cùm docuisset*, inquit, *Apostolus, opera ipsa legis, quæ sunt salubria, & ad bonos mores pertinent, dilectione Fidei, posse tantummodo impleri, &c.*, & paulo post: *Illam dicit custoditionem legis, non occidere, non mœchari, non falsum testimonium dicere, &, si quæ huiusmodi ad bonos mores pertinere manifestum est, quæ nisi charitate, & spe bonorum æternorum, quæ per Fidem accipiuntur, compleri non posse iam dictum est.* Ideo Apostolus, vt obseruat idem August. dixit: *Cogunt vos circumcidi, tantùm, vt Crucis Christi persequutionem non patiantur*, a Iudæis, scilicet, qui æmulatores erant legis, vt hinc manifestum faceret, eos non verè, aut totam legem seruare, quia, scilicet, eam seruabant ex timore, quo non poterit seruari præceptum dilectionis primum, & maximum in lege.

2. Idipsum apertissimè docet Apost. Rom. 3. 10: *Causati sumus, Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est.* Quia non est iustus quisquam, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Quod dixit Dauid Psalm. 3. & 12. Proculdubio autem obseruantia legis bona est, sicut ipsa lex, & mandatum, vt idem Apost. ait cap. 7. 12. Ergo, si nullus, neque ex Iudæis facit bonum, nullus seruat legem. Quo sensu autem nullus ex Iudæis seruat legem, cùm tot viri Sancti, quibus testimonium iustitiæ reddit ipsa Diuina Scriptura, apud Iudæos fuerint, nisi quia non seruant eam ex vi naturæ, vel circumcisionis, vel legis, sed ex auxilio gratiæ per Fidem in Christum? Etenim necessitatem illius Fidei hic docet, & inculcat Apostolus, propterea que legi opponit Fidem, & Iudæorum retundit superbiam gloriantium de lege. Ergo nulli datur auxilium gratiæ ad seruandam legem nisi habenti fidem in Christum.

Hinc Heronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum: *Post diluuium*, inquit, *cum datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt, &c.* Nullus, scilicet, potuit per vires arbitrii, vel ipsius legis, sed solùm per gratiam Fidei in Iesum Christum Dominum Nostrum.

Ideo idem Apost. Rom 8. & 9. dicit, hominem iustificari per Fidem in Christum gratis, & sine operibus: *Ei enim*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei. Sicut, & Dauid dicit, Beatitudinem hominis, cui Deus accepto*

fert

Digitized by Google

fert iuſtitiam ſine operibus. Si autem ſine fide adeſſent, vel adeſſe poſſent opera, & dilectio Dei ſuper omnia, poſſet iuſtificari, vel etiam iuſtificaretur homo ex operibus ſine fide, quia, qui diligit Deum, ab eo diligitur, & peccata ei remittuntur. Ergo ſupponit Apoſtolus, ea opera non poſſe adeſſe in infideli. Nulla autem afferri poteſt ratio, cur in carente fide in Chriſtum non poſſint adeſſe opera bona, & dilectio, niſi quia illa fieri non poſſunt ſine auxilio gratiæ per Chriſtum. Ergo concludendum eſt, nulli de mente Apoſtoli conferri auxilium ad ea implenda, niſi habenti fidem in Chriſtum; & ideo quemcumque iuſtificari gratis per fidem, ideſt, ſine operibus præcedentibus.

3. Rurſus ad Galat. 3. poſt quam dixit, Abrahę non ex lege, immo ante legem, ſed ex promiſſione donatam eſſe hæreditatem, ſubdit: *Lex ergo aduerſùs promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia; ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Alludit Apoſt. ad verba Chriſti Dñi Lucę 10. 28., quibus Legis perito interroganti: *Quid faciendo vitam æternam habebo?* reſpondit: *Hoc fac, & vives*, ideſt, cuſtodi præceptum dilectionis Dei, & proximi; & ſubdit Euangeliſta: *Ille autem volens iuſtificare ſeipſum*. Vbi manifeſtè oſtenditur, idem eſſe iuſtificare, & viuificare. Certum eſt autem, non aliter poſſe hominem per legem viuificari, ſeù, vt loquitur Auguſt. in hunc locum *iuſtificari*, niſi per eius obſeruantiam; ergo, cùm dicit Apoſtolus, neminem poſſe iuſtificari per legem, ſignificat, non ſufficere legem ad obſeruantiam eius, ſed requiri vires gratię; vnde, cùm propoſuiſſet interrogationem: *Quid igitur Lex?* Reſpondet.: *Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat*; ideſt, vt explicat Auguſtinus, data eſt lex, non vt tolleret, ſed oſtenderet peccata, & ſimul hominum infirmitatem non valentium ex ſuis viribus illam implere, vt ſic humiliati confugerent ad gratiam mediatoris per Fidem in ipſum, ſine qua omnia concluſa ſunt ſub peccato. Quem ſenſum etiam expreſſit Rom. 4., vbi, cùm dixiſſet, non per legem, ſed per iuſtitiam Fidei factam eſſe promiſſionem Abrahæ, vt hæres eſſet mundi, ſubdit, quaſi probans ſuum dictum: *Lex enim iram operatur. Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio; ideo ex fide, vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini*. Vbi manifeſtè probat, ideo non poſſe per legem peruenirì ad hæreditatem, quia lex non poteſt impleri viribus legis, aut arbitrii, quinimmo præuaricatores facit, vnde etiam dixit: *Lex præuaricationis gratia poſita eſt*. Et: *Lex intrauit*

Digitized by Google

trauit, vt abundaret delictum) quia non tollit concupiscentiam, immo sui prohibitione illam auget. Ergo iuxta Apostolum, ideo non est per legem iustitia, aut hæreditas, quia ad eam implendam, non sufficit ipsa, nec vis arbitrii, immo requiritur auxilium gratiæ; quòd, si ad implendam legem sufficeret ipsa lex cum facultate arbitrii, per legem esset iustitia; certum enim est, haberi iustitiam seruatis præceptis legis, seu impletis. Sed dicit, iustitiam haberi ex Fide Iesu Christi; ergo significat, non dari vires gratiæ ad implendam legem, nisi habentibus fidem Iesu Christi. Ita exponit August. in exposit. ca. 3. ad Galat.: *Superbienti populo lex posita est, vt quando gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset, & sine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret, transgressione humiliaretur, vt quæreret gratiam, nec se suis meritis saluum fieri, quod superbum est, opinaretur; vt esset, non in sua potestate, & viribus iustus, sed in manu mediatoris iustificantis impium.*

4. Idem Apostolus Rom. 3.: *Ex operibus*, inquit, *legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per Fidem in Sanguine ipsius, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi, &c.* Hic Apostolus euidenter docet, nullam carnem, idest, nullum hominem iustificari coram Deo ex operibus legis, quia per legem tantùm habetur cognitio peccati, non ministrantur vires ad eam perficiendam. Ergo, cùm dicit, iustificari hominem ex Fide Iesu Christi, docet, non dari vires illas nisi habenti eam fidem. Ideo cap. 4. dicit: *Lex iram operatur.* Et: *Lex intrauit, vt abundaret delictum.* Quia, scilicet, ostendens peccata, neque ad ea vitanda vires subministrans, reos peccati constituebat, qui sub ipsa erant. At habenti fidem in Christum illæ vires tribuuntur.

Quod ipsum docet August. exposit. quarumdam Propositionum in hac Epist. num. 19.: *Ea ipsa, quæ non poterant impleri per legem, per fidem impleta sunt*: quia, scilicet, per fidem concessa sunt auxilia gratiæ ad legem implendam. Et rursus num. 13.: *Per legem cognoscimus tantùm peccata, non vitamus, pugnamus, sed vincimur. Fatemur enim mala esse, quæ facimus, & fatendo mala esse, vtique nolumus facere; sed, quia nondum est gratia, superamur.* Et præfatione in exposit. Epist. ad Galat. postquam dixit, Deum dedisse legem ad demonstranda peccata, non auferenda: *Non enim*, subdit, *aufert peccata,*

Digitized by Google

cata, niſi gratia Fidei. Si autem non habens fidem in Chriſtum poſſet diligere Deum ſuper omnia, quod eſt primum mandatum legis, poſſet per eam dilectionem auferre peccatum. Dixit enim Dominus Magdalenæ: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, atque adeo non ſola gratia Fidei auferret peccatum. Idem docet Auguſt. in omnibus operibus contra Pelagianos, & Semipelagianos. Nec diſſimiliter loquitur Theophylactus in expoſitione huius loci Apoſtoli.

Quare abiicienda eſt expoſitio Lyrani, dicentis, eam tantùm iuſtitiam ab Apoſtolo denegari carentibus fide Chriſti, quæ ſit perfecta, & reddat hominem dignum vita æterna: *Poteſt enim*, inquit, *aliquis eſſe iuſtus iuſtitia politica per obſeruantiam legis naturæ, & iuſtitia legali per obſeruantiam legis Moſaycæ*. Abiicienda, inquam, eſt; cùm enim Apoſtolus dicat, neminem iuſtificari per legem, quia lex tantùm oſtendit peccata, omneſque, qui ſunt ſub lege, eſſe ſub maledicto, quia eam non ſeruant, & quòd etiam de Iudæis verificatur: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, neque ab hoc maledicto liberare, atque ad iuſtitiam perducere, niſi Chriſtum per fidem in eum, ipſe proferre audet, poſſe impleri legem naturę, & Moyſis (quæ quantùm ad præcepta moralia ipſa lex naturæ eſt) & conſequenter fieri bonum abſque Chriſto, & Fide in eum. Iuſtum etiam ex obſeruantia legis naturæ, & Moſaycæ excludit a vita æterna, ſeu Regno Dei, cùm Chriſtus dixerit Matth. 19.: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, & Auguſtinus 4. contra Iulian. cap. 3.: *Per quod vera iuſtitia, per hoc & Regnum Dei, Deus namque ipſe, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad eius Regnum verus non admittatur iuſtus*. Et euidentiùs de Natura, & Gratia cap. 2. quòd, ſi natura humana poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, ſeruandamque iuſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura, ideſt, de vita æterna, etiam ſi eam Fides latuerit Sanguinis Chriſti, & nulla fuerit imbuta fide paſſionis, & reſurrectionis eius: quam iuſtitiam, & obſeruantiam legis in eo ſtatuit, vt credatur in Deum, qui fecit Cęlum, & Terram, ipſamque animam, & in adimpletione voluntatis eius per rectam vitam. Et rurſus contra Iulian. cap. 3., cùm Iulianus dixiſſet: Gentiles eſſe ſteriliter bonos, quia non propter Deum faciunt bona, quæ faciunt, & ideo, ab eo vitam non conſequuntur æternam, infert contra ipſum: *Iuſtus ergo Deus, & bonus, bonos eſt in mortem miſſurus æternam*? Dilectio quoque Dei ſuper omnia reddit diligentem dignum vita æterna, quæ tamen pertinet ad legem naturæ; ergo obſeruantia legis naturę facit hominem ea vita di-

Digitized by Google

gnum. Perperam autem Lyranus hanc obseruantiam appellat iustitiam politicam. Hęc enim iustitia consistit in obseruantia legis per actus externos, de quibus præcipiunt, & iudicant legumlatores, & iudices Politiæ. Lex verò naturæ etiam ad actus internos extenditur. Ergo ideo sine Fide in Christum non potest haberi iustitia, quia sine ea non tribuuntur auxilia gratiæ ad legem seruandā, quæ per solas vires naturæ, aut legis doctrinam seruari non potest. Ergo non est distinguenda duplex iustitia, alia sine fide, alia per fidem, sed agnoscendum est beneficium fidei, per quam impetrantur auxilia necessaria ad implendam legem, cuius adimpletio est Iustitia.

5. Rursus idem Apost. Philippens. 3. postquàm dixit, se secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatum sine querela, subdit: *Quæ mihi fuerunt lucra, arbitratus sum propter Christum detrimenta. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex Fide est, Iesu Christi, quæ ex Deo est iustitia in Fide.* Certè autem non arbitratus esset detrimentum, & stercora obseruantiam legis naturę, & moralia præcepta legis scriptæ, saltem propter dilectionem Dei super omnia, quæ est primum, & maximum vtriusque legis mandatum, & quam ipse adeo extollit 1. Corinth. 13., maximè, cùm etiam post fidem, legem illam seruare debuisset, sicut & seruabat; ergo loquitur de obseruantia tantùm exteriori legis, in qua dicit, se conuersatum sine querela (quia actio querelæ non datur nisi propter externas transgressiones); ergo indicat, se ante Fidem in Christum non obseruasse illam legem, nisi tantùm extrinsecè, & in conspectu hominum, qui proinde de eo queri non poterant, vt ait Augustinus ser. 2. in Dominica 5. Epiphaniæ, qui est 49. de Tempore; quæ obseruantia verè est detrimentum, & stercus, quia nihil prodest ad salutem, & est insuper hypocrisis (inde fortasse Christus Pharisęos, de quorum secta se fuisse hic dicit Apostolus, iactantes supra cæteros obseruantiam legis, sępe vocat hypocritas, quia eam exteriùs tantùm, idque inanis gloriæ causa seruabant) Ergo sine fide in Christum seruari verè non potest lex naturæ; sed non alia ratione seruari non potest, nisi quia non dantur auxilia necessaria ad eam seruandam non habenti fidem in Christum; ergo, &c.

Hinc Theophylactus explicans hæc Apostoli verba: *Vt non habeam*, inquit, *meam iustitiam, quæ est ex operibus legis, tamquam ea per-*

Digitized by Google

ea perfecerim ; neque enim iuſtitia erit ex operibus, quandoquidem, nec quiſquam ea perfecerit,

6. Vlteriùs. Nullus poteſt exuere veterem hominem, & induere nouum, niſi ex auxilio Chriſti per Fidem in ipſum. Sed qui ſeruat legem exuit veterem hominem, & induit nouum; ergo. &c. Maior a nullo, vt arbitror, fideli negabitur; eſt enim magnum Dei donum per Chriſtum, vt exuamur vetuſtate, & induamur nouitate. Probatur tamen ex Apoſtolo Coloſſenſ. 3. 9.: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem* (vtique per Fidem) *ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum, vbi non eſt Gentilis, & Iudæus, &c., ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.* Et Epheſior. 4. 22. *Deponite vos ſecundùm priſtinam conuerſationem veterem hominem. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Et Rom. 6. 4. *Conſepulti ſumus cum Chriſto in Baptiſmo per mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus,* Et Galat. 5. 15.: *In Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura,*

Minor probatur ex eodem Apoſtolo loc. cit. Nam Rom. 6. explicat, eam eſſe mortem noſtram cum Chriſto, vt vltra non ſeruiamus peccato, ſed viuamus Deo in Chriſto Ieſu. Et Coloſſ. 1. explicat, indumentum noui hominis eſſe, habere virtutes, vnde ait: *Induite vos viſcera miſericordiæ, benignitatẽ, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſuper omnia autem charitatem.* Et Epheſ. 4. pariter explicat, quòd depoſitio veteris hominis ſit depoſitio peccatorum, & vitiorum: *Deponentes*, inquit, *mendacium loquimini vnuſquiſque veritatem cum proximo ſuo; iraſcimini, & nolite peccare, Nolite locum dare Diabolo: qui furabatur, iam non furetur; omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat.* Hinc, qui peccant dicuntur viuere ſecundùm veterem hominem, ſeu vitam, & qui benè agunt, ſecundùm nouum. Inde Gregorius hom. 32. in Euangel.: *Quid vetus, quid carnalis homo nouerat, niſi ſua retinere, aliena rapere, ſi poſſet, concupiſcere, ſi non poſſet? Chriſtus veteri noſtræ vitæ in vitijs enutritæ contrarietatem oppoſuit nouitatis ſuæ.* Immo Apoſtolus Rom. 6. dicit nos conſepultos cum Chriſto per baptiſmum, vt in nouitate vitæ ambulemus. Et 2. Corinth. 5. quòd, ſi qua in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt. Hinc S. Eccleſia in collecta feſti Natiuitatis Domini rogat æternum Patrem: *Vt nos Vnigeniti ſui noua per carnem natiuitas liberet, quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet.* Et in quadam

Digitized by Google

dam secreta: *Tua nos misericordia, Deus, ab omni subreptione vetustatis expurget, & capaces sanctæ nouitatis efficiat.*

Maior verò patet. Quia qui seruat legem non seruit peccato, & exercet opera virtutum; ergo exuit veterem hominem, induitq; nouum.

7. Rursus. Non pertinet ad gratiam noui testamenti nisi habens Fidem in Christum: Christus enim author, & mediator est noui testamenti, quod suo sanguine, & morte confirmauit Hebr. 9. Sed qui seruat legem habet gratiam noui testamenti; ergo, &c. Probatur Minor. Nam gratia noui testamenti est habere legem scriptam in corde per contradistinctionem a lege Mosayca, quæ scripta fuit in lapidibus.

Vnde Ieremias hanc gratiam describens, & præcinens cap. 31. *Feriam*, inquit, *domui Israel, & Domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus vestris: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Quod memorans Apostolus Hebræor. 8. & 10. dicit, gratiam noui testamenti a Ieremia illis verbis promissam. Sed qui seruat legem habet eam scriptam in corde suo, vt idem Apostolus dicit Rom. 2. 14.: *Gentes, quę legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quæ verba non posse intelligi nisi de gentibus conuersis ad Fidem, ait Augustinus de Spiritu, & litter. cap. 26.; ergo qui seruat legem, habet gratiam noui testamenti. Hinc omnes quocumque tempore iustos, siue seruantes legem pertinuisse ad nouum testamentum dicunt communiter Patres. Huius autem prima gratia est vocatio ad Fidem ex eodem Apostolo Rom. 8., vbi post prædestinationem æternam ponit in tempore primò vocationem, deinde iustificationem, vltimò glorificationem; ergo nullus potest seruare legem, nisi habeat Fidem in Christum.

8. Probatur quoque ex illo Ioannis prima cap. 5.: *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?* Nomine autem mundi in scripturis solent intelligi vitia, & concupiscentiæ, vnde ferè semper accipitur in malo sensu, quamuis nonnumquam, sed ratissimè in bono; quod contra Donatistas contendit, & ostendit Augustinus in Breuiculo Collationum Collat. 3. §. *Quarto loco*. Hinc idem Ioannes eadem Epistola cap. 2.: *Omne*, inquit, *quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Qui & loco superio

Digitized by Google

riori indicat, victoriam de mundo eſſe coſtodiam mandatorum Dei. Præmittit enim, quòd, qui credit, ex Deo natus eſt, qui autem ex Deo natus eſt, diligit Deum, eiuſque mandata cuſtodit, poſt quæ immediatè ſubdit: *Quis eſt, qui vincit mandatum, niſi qui credit, &c.* Neque poteſt hic ſumi mundus, niſi pro vitiis, & concupiſcentijs: hæc enim vincuntur a fidelibus, non elementa, aut homines, qui in eis viuunt. Quo ſenſu etiam Chriſtus Apoſtolis dixit, Ioannis 16.: *Confidite: Ego vici mandatum*, ideſt, concupiſcentiam carnis per auſteritatem vitæ, concupiſcentiam oculorum per paupertatem, & ſuperbiam vitæ per humilitatem, vt exponit Lyranus.

Ergo nullus vincit, immo nec poteſt vincere vitia, & concupiſcentias, atque adeo nec ſeruare legem niſi per Fidem in Chriſtum, ideſt, per auxilia collata intuitu eius Fidei: aliter poſſet, quod abſit, falſificari dictum Ioannis: *Quis eſt qui vincit, niſi qui credit*, ideſt, nullus alius: illud autem, ex quo ſequitur impoſſibile, non eſt poſſibile, quia poſſibile eſt, ex quo nullum ſequitur inconueniens, primo Priorum cap. 13. Cùm inſuper Chriſtus ait; *Confidite: Ego vici mandatum* clarè ſignificauit, a nullo potuiſſe, vel poſſe haberi fiduciam de mundo vincendo ſine ipſo, qui pro nobis vicit.

Hinc rectiſſimè Diuus Thomas 3. parte q. 49. art. 2. ad 2. ait: *Expaſſione Chriſti præparatum eſſe homini remedium, quo ſe poteſt tueri contra hoſtis impugnationes. Et quicumq; ante paſſionem Chriſti Diabolo reſiſtebant, per Fidem Paſſionis Chriſti hoc facere potuerunt.*

Rurſus. De Fide ſufficiẽte ad iuſtificationem Ioannes loquitur, cùm ait: *Omnis qui credit, ex Deo natus eſt*; ſed Fides, ſeu potiùs cognitio Dei ex creaturis, non præſtat, vt qui eam habet, ex Deo natus ſit, niſi omnes ſæculi Philoſophos, qui eam notitiam habuerunt, dicamus propterea ex Deo natos; ergo illa notitia non ſufficit ad iuſtificationem.

9. Tamdem probatur ex verbis Chriſti Domini, Ioannis 15. dicentis, neminem poſſe ferre aliquem fructum, niſi in ipſo manſerit, tamquam in vite. Cuſtodia autem mandatorum Dei, & dilectio Dei ſuper omnia fructus eſt, quem debemus ferre, quemq; Chriſtus a nobis exigit, & expectat, ſicut ait Apoſtulus Galat. 5. 22. *Fructus Spiritus eſt Charitas*: & manere in Chriſto tamquam in vita eſt habere Fidem in ipſum, per quam ei myſticè incorporamur, vt membra capiti; ergo nullus poteſt ſeruare legem, aut Deum diligere ſuper omnia, niſi habeat Fidem in Chriſtum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Ostenditur, sine auxilio Gratiæ per Christum, neque per actus entitatiuè naturales posse vinci mundum, siue seruari legem, aut diligi Deum super omnia; & distinctio actuum in entitatiuè naturale, & supernaturales circa eadem obiecta formalia euertitur.

1. HIc occurrit doctrina celebris, magnisque animis a quāplurimis Recentiorum defensa, & tradita, quæ necessariò confutanda est, vt prædicta subsistant. Distinguunt enim actus Fidei, Spei, Charitatis, & quarumcumque aliarum virtutum in entitatiuè naturales, & entitatiuè supernaturales, atque adeo, nedum specie, aut genere, sed etiam ordine inter se diuersos, nulla posita diuersitate ex parte obiecti, etiam formalis, aut intensionis, aut gradus actus, ex.gr., Fidem naturalem, quæ sit assensus firmus, & certus reuelatis a Deo, quia a Deo reuelata sunt, & Fidem supernaturalem, quæ eadem prædicata habeat; & tamen vna sit entitatiuè naturalis, quia descendit ex viribus naturæ, alia entitatiuè supernaturalis, quia ex viribus gratiæ, ita vt tota diuersitas entitatis earum causaliter sit tantummodò ex diuersitate principiorum, quæ principia se ipsis diuersa sunt.

Necessariò, inquam, confutanda est hæc doctrina. Si enim potest ex viribus naturæ haberi dilectio Dei super omnia, obseruantia legis, & victoria de mundo, licèt tantùm entitatiuè naturalis, sequitur, veram esse Propositionem, contra quam disputamus, idest, quòd Fides naturalis existentiæ Dei ex testimonio creaturarum sufficiat ad iustificationē; nam ad hanc fidē potest sequi illa dilectio naturalis, ad dilectionem autem obseruantia legis, & victoria de vitiis, & concupiscentiis: qui autem hæc habet, iustus est apud Deū; ergo Fides illa naturalis sufficiet ad iustificationem, tamquam fundamentum, & radix iustificationis, eodem prorsus modo, quo id dicitur de Fide supernaturali, & Diuina. Ostendere ergo intendimus, illam doctrinam, seu distinctionem falsam, & commentitiam esse,

Digitized by Google

eſſe, Diuinis litteris, & Chriſtianæ pietati diſcordem, ipſique rationis lumini repugnantem; nullamque poſſe dari dilectionem Dei ſuper omnia, nullam veram, integramque obſeruantiam legis, nullam victoriam de mundo, niſi ex auxiliis gratiæ per Chriſtum, atque adeo ſupernaturalem. Si autem prolixiùs trahetur hæc Diſputatio, non verborum, aut cogitationum redundantiæ, ſed rei grauitati, ac neceſſitati tribuendum eſt.

2. Primò. Paulus diſertè definit, omnes, qui ſunt ex operibus legis, ideſt, qui tenentur ad legis opera implenda eſſe ſub maledicto, & peccato, vt cap. 3. præcedenti oſtenſum eſt; ſed qui ſeruat legem, etiam ſi actibus entitatiuè naturalibus, non eſt ſub maledicto, aut peccato; peccatum enim eſt inobſeruantia legis; ergo neque per actus entitatiuè naturales poteſt ſeruari lex ex viribus naturæ, aut legis, aut circumciſionis. Lex Moſayca, quantùm ad præcepta moralia ipſa lex naturę eſt; ergo non præcipiebat obſeruantiam ſui per actus entitatiuè ſupernaturales; ergo per actus naturales optimè ſeruaretur.

Secundò. Dilectio Dei ſuper omnia etiam entitatiuè naturalis (ſi talis eſſe poſſit) Deo grata eſt, ac proinde fructus, quem a nobis requirit, Ioannis 3. ex expoſitione Auguſtini Tract. 87. in Ioannem; & tamen nullum fructum poſſe nos palmites ferre, niſi māſerimus in vite, quæ eſt Chriſtus, docet ipſe Chriſtus Ioannis loc. cit. ergo neque dilectionem Dei entitatiuè naturalem poſſumus a nobis habere.

Tertiò. Obſeruantia legis etiam ſine notitia Chriſti reddit hominem ſecurum de vita æterna, vt docet Auguſtinus a nobis relatus cap. 3., ſine autem Chriſti notitia, & gratia non poſſunt haberi actus entitatiuè ſupernaturales; ergo iuxta Auguſtinum obſeruantia legis, etiam per actus naturales cauſat illam ſecuritatem. Sed nullus poteſt eſse ſecurus de vita æterna, immo neque ad illam aſpirare ſine Fide in Chriſtum; ergo ſine hac Fide non poteſt ſeruari lex, neque per actus entitatiuè naturales. Propoſitio quidem, contra quam diſputamus, dicit, fidem naturalem ſufficere ad eam iuſtificationem, quam ſequitur vita æterna; ergo etiam iuxta horum Recentiorum doctrinam ea eſt falſa, etenim, per aliquod naturale poſſe peruenīri ad præmium ſupernaturale, etiam ipſi negant.

3. Sed iuuat conſiderare ſingulas difficultates, quæ nos impediunt ab amore Dei ſuper omnia, & victoria mundi, ſiue obſeruantia legis, & oſtendere, nullam earum poſſe, neque per actus entita-

Digitized by Google

titatiuè naturales vinci sine auxilio gratiæ per Christum.

Prima, eaque maxima difficultas est ex proprio amore, siue voluntate; adeo enim hæc causa est omnium peccatorum, vt Apostolus 2. Timoth. 3. postquam dixit: *Erunt homines se ipsos amantes*, subdiderit, *cupidi, elati, superbi, blasphemi*, omneque genus vitiorum habentes, indicans, omnia vitia ex illo amore generari; & Bernardus dixerit serm. 3. de Resurrectione: *Cesset voluntas propria, & infernus non erit*. Hinc Christus Matth. 16.: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, docens non posse eum sequi, qui proprio non renuntiauerit amori, & voluntati. Et Lucæ 14.: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, &c. adhuc autem, & animam suã, non potest meus esse discipulus*. Et Ioann. 12.: *Qui amat animam suam, perdet eam*. Propterea Augustinus, a duobus amoribus duas ait ædificatas Ciuitates, Ierusalem cælestem ab amore Dei vsque ad contemptum sui, Babel autem terrenam ab amore sui vsque ad contemptum Dei, 14. de Ciuit. cap. 28. & 11. de Genesi ad litter. cap. 15. Sed amor proprius nullo modo vinci potest viribus naturæ; ergo neque per actus naturales potest vinci mundus viribus eius.

Minor probatur. Quia amor proprius penitùs nobis affixus, & secretissimus est, vtpote procedens de identitate, quam habemus ad nos: cùm cæteri amores ex aliqua ad nos cõiunctione procedant; vnde etiam difficilè cognoscitur, sensim irrepens, & illudens, cùm putamus Dei, vel virtutis amore nos duci. Ideo nullus potest esse omnino certus de sua gratia apud Deum, cùm tamen certissimum sit, eam haberi ab amantibus ipsum super omnia; quia de hoc suo amore nullus potest esse omnino certus propter vim, scilicet, & secretam, & magnam amoris proprii, cuius extrema vmbra, vt Augustinus ait de Natura, & Gratia cap. 31., nusquam in hac caligine vitæ, sed illo tantùm meridie absorbebitur, cùm de clara Dei visione perfecta charitas inardescet. Hinc Gregor. hom. 32. in Euangelia: *Valde multum est, hominem abnegare, quod est*. Amare quippe aliud, etiam Deum, supra se transcendit vires naturæ inclinatæ ad se, de qua re ãpliùs dicetur infra c. 6. & 7.; & sicut corpus graue non potest viribus suæ naturæ ferri sursum, ita, immo multò minùs, potest creatura eleuari ad aliquid amandũ supra se, quia grauius est pondus amoris proprii in animo, quàm grauitatis in corpore; ideo pro tali eleuatione amoris erga Deum indigemus alis charitatis ab ipso donatis iuxta illud Apostoli Roman. 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*,

Digitized by Google

bis; quod etiam in Angelis verificari docet Auguſtinus 12. de Ciuit. cap. 9. Ergo non tantùm non per actus entitatiuè ſupernaturales, ſed nullo modo poteſt viribus naturæ vinci amor proprius; & inſulsè ea impoſſibilitas reuocatur ad entitatem ſupernaturalem actus; nam hæc impoſſibilitas eadem eſt reſpectu cuiuſque actus ſupernaturalis, vt de ſe patet; at victoria amoris proprii ſpecialiſſimam habet difficultatem, ſeu potiùs impoſſibilitatem propter ipſam vim amoris proprii, quæ valdè exaggeratur a SS. Patribus, atque a ſpiritualis vitæ Magiſtris, vt videri poteſt in Roſſignolii Opere de Diſciplina Chriſtianæ perfectionis. Sed de hoc plura infra cap. 6. 7. & 8.

Philoſophi ſæculi non ſolùm hunc amorem numquam exuerũt (omnia quippe pro appetitu laudis, & gloriæ agebant, vnde eos meritò Hieronymus appellauit mancipia gloriæ) ſed nec exuendum agnouerunt; Ariſtotelis quippe dogma eſt 9. Ethic. cap. 9.: *Amare ſe ipſum maximè oportet*. Quæ ſententia primo Decalogi præcepto opponitur.

4. Secunda difficultas eſt ex libidine carnis, quæ aduerſatur ſpiritui, vt non quæcumque volumus, illa faciamus. Galat. 5. 17. Hanc nõ poſſe vinci niſi ex gratia Dei, clarè oſtendit Sapiens 8. 21.: *Veni ad corpus coinquinatum.* (per libidinem) *Et vt ſciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat Sapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum, adij Dominum, & deprecatus ſum illum.* Quod cognouit etiam in ſua adoleſcentia Auguſtinus, proinde Domino dixit 8. Confeſſ. cap. 7.: *Da mihi caſtitatem, & continentiam*. Qui etiam cap. 11. inducit continentiam multorum exemplo ipſum irriſoriè exhortantem: *Tu non poteris, quod iſti, & iſtæ? An verò iſti, & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non potiùs in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in teſtas, & non ſtas? Proïce te in eum: noli metuere; non ſe ſubtrahet, vt cadas*. Ergo iuxta Auguſtinum, Deo non tenente, homo non ſtat in ſe ipſo, ſed ruit in libidinem. Sapiens verò ipſe non poſtulat a Deo continentiam per actus ſupernaturales tantùm, ſed abſolutè, prout eſt victoria libidinis, quia cognouit, quòd nullus poſſit eſſe (quocumque modo) continens, niſi Deus det; ergo neque per actus naturales poteſt vinci libido viribus naturæ.

Maximè autem id oſtenditur ex trina oratione Pauli, vt auferretur ab eo ſtimulus carnis, 2. Corinth. 12. Non enim victoriam per actus ſupernaturales cupiebat Paulus, quaſi eam per actus naturales iam obtinuiſſet, ſed vinci timebat. Et, ne vinceretur, dixit ei

Digitized by Google

Dominus: *Sufficit tibi gratia mea*: non dixit: Sufficiunt tibi vires arbitrii tui. Nec deerant Paulo habitus supernaturales, & auxilia Diuinæ Gratiæ, quibus actus supernaturales elicere posset, sed difficultatem pugnæ magnam sentiebat, proinde lapsum metuebat, qui pluribus Sanctorum accidit, vt legitur in historijs.

Ergo non propter entitatem supernaturalem actuum, sed propter vim carnis in pugna contra eam necessarium est auxilium gratiæ. Hinc Dauid, qui in ea pugna aliquando succubuerat, orat Dominum Psal. 118.: *Confige timore tuo carnes meas*; & Paulus, victoriam non nisi ex gratia per Christum obtineri, ostendit Galat. 5.24. dicens: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*.

5. Tertiam difficultatem ingerit Dæmon. At huic, vt resistamus fortes in fide, monet Petrus, prima 5.: vtque induamur armaturam Dei, vt possimus stare aduersùs insidias Diabili, sumamusque scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, hortatur Apostolus Ephesi 6., & ne ab eo inducamur in tentationem, petimus in oratione Dominica, & cum Ecclesia pariter rogamus, vt per signum Crucis de inimicis nostris liberet nos Deus noster. Esse verò inuincibilem Dæmonem sub figura Leuiathan ostendit Iob 40. dicens: *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perfodies maxillam eius? Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum? Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum funiculis tuis?* Quod de inuincibilitate per vires naturæ intelligendum est.

Idem ostensum est in figura Dauid, & Goliath, primo Regum 17. quem, cæteris præ timore attonitis, solus Dauid, qui typum Christi gerebat, cum baculo, ideſt, Crucis mysterio deiecit, vt ait Augustinus ser. 197. de Tempore, & communiter Patres, & Interpretes. Christus enim eiecit foras Principem huius mundi, Ioann. 12., & ipse alligauit fortem, Matth. 12. Non sibi autem, sed nobis vicit; ergo nos non nisi per eius gratiam possumus vincere.

6. Quartam difficultatem afferunt praui mores, seu consuetudo mundi, quæ propriè mundi nomine appellatur, cùm tres distinguuntur hostes nostræ salutis, Dæmon, Caro, Mundus. Hanc Augustinus 1. Confess. 16. vocat flumen tartareum volueris Euæ filios in mare magnum, & formidolosum, quod vix transeunt, qui lignũ conscenderint (quo ostendit non posse vinci, nisi præsidio Crucis Chri-

Digitized by Google

Chriſti, quam lignum appellat) Et cap. 8. propter pericula peccati humanæ vitæ ſocietatem vocat procelloſam. Mundum vincere eſt exire de mundo; qui autem de mundo exit, in Cęlis conuerſatur, Philippenſ. 3. 20. Nullus autem hæc præſtare poteſt viribus naturæ; ergo, &c. Cùm autem mundi tentationes procedant ex ſuperbia, & libidine in eo regnantibus, ex quibus cętera vitia procedũt, ex dictis de ſuperbia, ſiue amore proprio, & libidine patet, mundum eſſe inuincibilem viribus noſtris.

Atque hunc pietatis ſenſum redolent omnes paginæ Scripturarum, & Patrum, eſtque communis fidelium. Hi enim ita ſe contra ſalutis hoſtes dimicare credunt ſub duce Chriſto, vt ab eo non tantùm fortitudinis hortamenta, & exempla, quæ etiam ab humanis ducibus in bellis carnalibus exhiberi ſolent, ſed ipſam quoque habeant fortitudinem inſpiratam.

7. Quia autem prædicti hoſtes, tentationes, occaſioneſque peccatorum obiiciendo, nos impugnant, oſtendimus quoque, non poſſe a nobis eas, neque per actus naturales vinci ſine auxilio gratiæ.

Primò. Quia a Deo petimus, ne tentationibus ſuccumbamus, vt patet ex oratione Dominica, & innumeris aliis; qui autem ſe ipſo poteſt quocumque modo eas vincere, non indiget Dei auxilio ad non ſuccumbendum; ergo non opus ei eſſet rogare Deum, niſi fortè, vt faciliùs eis reſiſtat. At hæc Pelagiana vox eſt: *Vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam*; quam damnat Auguſtinus de Gratia Chriſti contra Pelagium, & Cęleſtium c. 7.; ergo nullo modo ex ſe ipſo præſtare poteſt homo, vt non ſuccumbat tentationibus.

Similiter poteſt argui, quòd ille haberet, & voluntatem reſiſtendi, & reſiſtentiam aduersùs tentationes, & non a Deo acceptas contra dictum Apoſtoli: *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere*, Philipp. 2. 23., & : *Quid habes, quod non accepiſti?* 1. Corinth 4. 7., & contra Arauſicanum can. 4. & 6. Et, quòd non a Deo ereptus, ſed ſeipſum eripuiſſet a tentatione, contra illud Dauidis Pſalm. 17.: *Quoniam in te* (ideſt in auxilio tuo) *eripiar a tentatione*. Et, quòd non Chriſtus in ipſo, ſed ipſe per ſe viciſſet, contra illud Chriſti Domini Ioannis 16.: *Confidite: Ego vici mundum*. Et, quòd Deo abſolutè pro victoria non teneretur reddere gratias, contra illud Apoſtoli 1. Corinr. 15.: *Deo autem gratias, qui dat nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*.

Secundò. Quia difficultas vincendi tentationes, ſeu illis non

Digitized by Google

succumbendi est propter earum vim; at eadem vis est in eis, siue dimicemus contra eas viribus, & actibus supernaturalibus, siue naturalibus; non enim propter supernaturalitatem nostrarum virium ea diminuitur, sed tantùm augetur nostra virtus, vel ea datur, atq; adeo vires supernaturales petendæ sunt propter infirmitatem nostram, non propter obtinendam alterius generis victoriam, diuersam a naturali; ergo, si possemus ex nostris viribus per actus naturales vincere tentationes, nihil ad victoriam, ideſt, deiectionem hostis eę conferrent, sed tantùm ad ornatum pugnæ, siue victorię. vt si in pugna visibili adhiberemus arma aurea, vel argentea, aut pretiosis lapillis ornata, in qua tamen non ex illis ornamentis, vel pretio, sed ex viribus dimicantis dependeret deiectio hostis; ergo nullo modo possumus ex nobis vincere tentationes, seu illis non succumbere. Apostolus 1. Corint. 10., id dicit nobis per auxilia gratię præstari a Deo contra tentationes, vt possimus eas substinere: *Fidelis*, inquit, *Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis substinere*; ergo sequitur id, quod supra.

8. Tertiò. Nisi Deus nos adiuuat, non tantùm non vincere, sed nec pugnare possumus, vt in terminis asserit Augustinus serm. 13. de Verbis Apostoli; ergo neque per actus naturales possumus, &c. Fortè dicetur Augustinum loqui de victoria, & pugna per actus supernaturales.

Sed hoc insulsè dicitur; Augustinus enim vult, quòd sine Dei adiutorio statim cadimus; at si possemus per actus naturales viribus nostris pugnare, non statim deserti Dei adiutorio caderemus.

Præterea: Augustinus illud dicit contra Pelagianos; at Pelagiani numquam dixerunt, nec dicere potuerunt, posse nos viribus nostris pugnare per actus supernaturales, id enim repugnat in terminis; ergo vult, nullo modo nos posse sine Dei adiutorio pugnare.

Fortè dicent, non esse hic recipiendam Augustini authoritatē. Sed hoc graue est, cùm Augustini doctrina adeo in materia de Gratia ab Ecclesia probata sit, vt Arausicani, & Mileuitani Concilii Canones ex ipsius sententiis, immo verbis contexti sint, quos insuper a Sede Apostolica ad se transmissos fatentur Patres Arausicani in Præfatione.

Sed pērmittamus hanc licentiam iis, qui ea vti voluerint.

Probatur tamen Augustini dictum ex Scripturis, in quibus sępissimè Deus dicitur nostra virtus, adiutorium, firmamentum, refu-

Digitized by Google

fugium, ſalus in tentationibus, tribulationibus, aduerſitatibus, præcipuè in Pſalm. 17. 26. & 143. Tentationes autem non ſunt, niſi ad peccata; eorumque pericula maximè in Diuinis litteris intelliguntur tribulationes, & aduerſitates.

At ſine virtute pugnandi nullus pugnare poteſt, vt patet ex terminis; ergo ſine Deo, ideſt, eius adiutorio nec pugnare poſſumus contra tentationes.

9. Quòd ſi quis dicta Scripturarum de tribulationibus, & aduerſitatibus torquere velit ad temporalia mala. Primò, non poterit eam expoſitionem adhibere dictis de tentationibus, quæ non intelliguntur niſi erga peccata. Secundò. Abſurdiſſimũ eſt, vt Deus ſit noſtra virtus in malis temporalibus, non autem in ſpiritualibus, cùm hoc ſit dignius Deo, magiſq; egeamus eius adiutorio in his, quã in illis, quæ poſſumus per noſtros conatus, & induſtriam aliqualiter repellere. Tertiò. Difficilius eſt vincere noſtras cupiditates, quàm hoſtes viſibiles; nam, vt obſeruat Auguſtinus 1. de Ciuit. cap. 1., & 3. de Ciuit. cap. 14., illi ipſi, qui hoſtes viſibiles in bello fundebant, Marii, Syllæ, Pompeii, Cęſares a dominandi libidine vincebantur, eique ſeruiebant; vt enim Tacitus ait 2. Hiſtor. ca. 7., ab eis: *Numquam, niſi de Principatu quæſitum*. Ergo ſi Deus rogandus eſt adiutor, & virtus in bello viſibili contra viſibiles hoſtes, multò magis in inuiſibili contra cupiditates, ſiue tentationes. Hinc rectiſſimè Dauid in Deo ſolo ſperabat: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si conſurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos*. Stoicæ autem ſuperbiæ eſt confidere in ſe ipſo, quaſi poſſimus ſolo naturali rationis dictamine, & libertate arbitrii vincere internas, & externas peccatorum tentationes.

Fortè dicetur, non verè pugnari aduersùs tentationes, nec eas vinci, niſi cùm pugnatur, & vincitur per actus ſupernaturales.

Sed hoc prorsùs intolerabile eſt. Nam pugna conſiſtit in repulſione, & victoria in deiectione hoſtis; nec intereſt, vtrum id fiat armis aureis, & argenteis, an ferreis, & ligneis (Dioxippus Athenienſis ab Alexandri exercitu victor iudicatus eſt, quamuis armatum hoſtem ipſe nudus ſtipite deieciſſet, apud Curtium lib. 9.); ergo qui repellit, fugatque tentationes, etiam actibus naturalibus, pugnat, & vincit; ſi modò tentationes ex virtute deiiciat, non

vnam

Digitized by Google

vnam ex alia, puta libidinem ex superbia, prodigalitatem ex auaritia, auaritiam ex inani gloria, &c.

Quartò. Vincenti tentationes debetur ex iustitia præmium, ait enim Apostolus 2. Timoth.4.: *Bonum certamen certaui In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Et Hebræor.6.: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Præmium autem huiusmodi victoriæ assignatur in Scripturis vita æterna, seu visio Dei, vt patet ex illo Iacobi 1.: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam accipiet coronam vitæ*; & ex Apocalypsi 2., & 3. at hoc præmium non possunt assequi non credentes in Christum, neq; illis est promissum; ergo qui non credit in Christum, neq; auxilia eius habet per fidem in ipsum, non potest vincere tentationes; aliter eius victoria remaneret sine præmio, quod est contra iustitiam.

10. Quintò. Illud præmium non datur pro supernaturalitate actuum, quibus superata est tentatio, sed pro labore in ea superanda, vt patet ex locis adductis, & maximè ex illo Christi Domini Matth.20.: *Voca operarios, & redde illis mercedem suam*, ideſt, illis debitam pro opere. Et: *Tolle, quod tuum est, & vade*: tuum ratione operis, & laboris. Vnde ibidem est illa conquestio, quòd pares essent in præmio denarii, qui impares fuissent in labore diurno. Hinc etiam Sapientiæ 10. dicitur: *Reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum*; & innumeris penè locis idem dicitur. Quòd autem actus, quibus vincimus, sint entitatiuè supernaturales, non est ex labore nostro, sed ex opere Dei dantis nobis virtutes, vel auxilia supernaturalia; nam nihil supernaturalis entitatis quocumque opere nostro causare possumus. Ergo non minùs rependendum esset præmium victoriæ acquisitæ per actus naturales, quàm per supernaturales, immo maius; nam maioris virtutis effectus est, atque adeo glorioſiùs, aduersarium se solo deiicere, quàm cum alterius adiutorio; de illa enim victoria posset victor in se ipso gloriari, quia eam a se haberet, non ab alio acceptam.

Sed Deus nullum dat præmium, nisi vincenti ex auxiliis gratiæ per Christum; non enim datur ingressus in vitam æternam, nisi per Christum, qui dicit: *Ego sum ostium*, Ioann.10. nullusque potest esse saluus, nisi per Christum, qui est Saluator mũdi. Ergo nullus potest neque actibus entitatiuè naturalibus vincere tentationes, sed omnino requiritur auxilium gratiæ per Christum. Hæc sint argumenta ex Scripturis, & Patribus.

11. Sed

Digitized by Google

11. Sed naturalibus quoque rationibus oſtendimus, illam diſtinctionem, ſiue doctrinam de diuerſitate entitatiua actuum circa eadem obiecta formalia repugnare. Primò. Illi actus ponuntur habere eadem prædicata, & conſequenter eamdem naturam; quia vtraque fides eſt, vt dicitur, aſſenſus reuelatis a Deo, prout ab eo reuelata ſunt, & vtraque charitas eſt dilectio Dei ſuper omnia, & ſic de cæteris. Sed quæ habent eadem prædicata, ſiue naturam, neque ad diuerſas ſpecies, nedum ad diuerſos ordines pertinere poſſunt; ergo non poteſt altera earum eſſe naturalis, altera ſupernaturalis, quod diuerſitatem ordinum, ideſt, magnam importat.

Nec iuuat dicere, quòd ipſa earum prædicata, ſiue natura propter diuerſitatem naturalis, & ſupernaturalis ſint diuerſa, quia, ſcilicet, fides naturalis eſt aſſenſus naturalis, fides verò ſupernaturalis eſt aſſenſus ſupernaturalis. Nam contra hoc ipſum obiicimus, non poſſe per diuerſitatem naturalis & ſupernaturalis fieri diuerſitatem in natura, ſiue prædicatis eius, immo debere eam ſupponi; non enim poſſunt diuerſificari naturæ rerum per hoc, quòd pertineant ad diuerſas ſpecies, vel genera, immo debent ſupponi ex ſe ipſis eſſentialiter diuerſæ, vt ad illam diuerſitatem pertinere poſſint; ergo multò minùs poſſunt pertinere ad diuerſos ordines, niſi maximè ex ſuis intrinſecis prædicatis diuerſæ ſint, propter quod ad diuerſos ordines pertineant: prædicata autem illa eadem ſunt; ergo actus ea habentes non poſſunt ad diuerſos ordines, immo neque ad diuerſa genera, vel ſpecies pertinere; non ergo alter eorum actuum poteſt eſſe naturalis, alter ſupernaturalis, ſed vterq; eſſentialiſſimè erit, vel naturalis, vel ſupernaturalis. Exemplum: Duorum hominum, quorum vterque ſit animal rationale, non poteſt alter eſſe naturalis, alter ſupernaturalis, etiam ſi alter ab homine, alter a Deo producatur: ſic de duobus Angelis, de duabus albedinibus, ac de cæteris omnibus: aliter in Mahometis incidimus inſaniam diſtinguentis ſpecie oues, equos, gallos, prout in diuerſis cælorum orbibus eos collocabat.

Declaratur magis; quia naturale, & ſupernaturale non ſunt prædicata explicantia naturam rei, ſed tantùm conuenientiam, vel exceſſum eius ad naturam; ſicut enim naturale dicitur, quod cõuenit naturæ, vt patet 2. phyſic., & violentum, quod repugnat naturæ, ita ſupernaturale, quod excedit, ſeu ſuperat naturam; ergo non faciunt, ſed ſupponunt differentiam in rebus quibus conueniũt, quia, ſcilicet, non poteſt eadem res ſimul conuenire naturæ, & eam

exce-

Digitized by Google

excedere; ergo excepta ratione naturalis debent illæ res seipsis esse diuersæ, vt trahant illam diuersitatem naturalis, & supernaturalis, conuenientis, & superantis; sed in illis actibus non ponitur alia diuersitas prædicatorum, nisi naturale, et supernaturale, vel ex hac diuersitate dicitur trahi diuersitas naturæ; ergo irrationabiliter, et tantùm voce, non intellectu ponitur.

Secundò. Fides, Spes, Charitas supernaturalis, siue infusa, non tantùm entitate, quasi materialiter, sed in ratione formali credendi, sperandi, diligendi debent differre a Fide, Spe, & Charitate naturali; & oppositum videtur contumelioſum perfectioni Christianæ, & operationi Diuinæ. Reuera enim Fides infusa credit veritates difficillimas, humanumq; captum excedentes, superatq; certitudine ipsam naturalem euidentiam, quod fidei naturali conuenire non potest. Spes illi Fidei innitur, & sperat firmissimè promissa maximè ardua, & difficilia. Charitas diligit Deũ super omnia etiam supra ipsum diligentem, quod naturaliter fieri non potest, vt supra in hoc eodem Capite probatum est; ergo malè admittuntur circa eadem obiecta formalia actus, vel habitus naturales sola entitate distincti a supernaturalibus.

12. Tertiò. Si talis diuersitas actuum admittitur, nulla est cõtrouersia inter Catholicos, & Pelagianos, immo Catholici, quod absit, Pelagianis consentiunt. Non enim isti dixerunt, per vires naturales posse fieri actus entitatiuè supernaturalis, quod repugnat in terminis, cùm actus supernaturalis sit, & dicatur, qui non potest fieri viribus naturæ; nec Pelagius ipse, Cælestius, Iulianus adeo hebetes erant, vt non intelligerent propriam vocem, immo acuti, vt patet ex eorum Argumentis, quæ refert Augustinus libro de Gratia Christi, & alibi, maximè autem Iulianus. Et si illud dixissent, non tantis Augustini disputationibus, & libris per decennium, vt narrat Possidius, neque tot Conciliorum, Pontificumque decretis fuisset confutandum. Ergo, si Catholici admittebant actus naturales, ideſt, viribus naturæ Fidei, Spei, Charitatis circa eadem obiecta formalia, circa quæ versantur supernaturales, consentiebant Pelagianis. Si autem Pelagiani de actibus naturalibus asserebant, posse fieri per vires naturę, Catholici autem de supernaturalibus id negabant, iam pugna inter eos erat pugna cæcorum, ideſt, ignorantium de qua re pugnarent.

Non est autem, vt arbitror, inter cæcos numerandus Augustinus, aut alii Patres, & Concilia, qui contra Pelagianos aut scripserunt, aut decreuerunt. vt, scilicet, numquam eam æquiuocatio-

Digitized by Google

tionem deprehenderint. Ergo numquam Catholici admiſerunt vllam Fidem, Spem, aut Charitatem ex viribus naturæ circa eadem obiecta formalia, circa quæ verſantur ſupernaturaliter infuſæ, ſed eas ipſas, quas Pelagiani dicebant, haberi poſſe ex viribus naturæ, & docuerunt, & decreuerunt, non poſſe haberi, niſi ex viribus gratię.

Cùm Paulus clamabat 2. Corint. 3. quòd non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; non, opinor, diſtinctionē cogitationū entitatiuè naturalium, & ſupernaturalium ſpectabat, neque docebat, quòd viribus naturæ non poſſint haberi opera ſupernaturalia, cuius oppoſitum repugnat in terminis. Sed abſolutè, nullam cogitationem ad pietatem, vel ſalutem pertinentem nos ex noſtris viribus habere poſſe docebat; ergo inanis eſt diſtinctio actuum Fidei, Spei, & Charitatis entitatiuè naturalium, & ſupernaturalium.

CAPVT V.

Euertuntur fundamenta, quibus innititur diſtinctio actuum inter entitatiuè naturales, & entitatiuè ſupernaturales erga eadem obiecta formalia; & oſtenditur, etiam amorem concupiſcentiæ Dei ſuper omnia non poſſe haberi ex viribus naturæ.

1. SEquitur, vt fundamenta doctrinæ, quam hucuſque impugnauimus, euertamus. Sunt autem duo.

Primum. Inter meritum, & præmium debet dari proportio; ſed hæc non adeſt inter naturale, & ſupernaturale; ergo, cùm præmium noſtræ Fidei, & operum ſit ſupernaturale, nempe, viſio Dei, oportet, vt Fides, & opera ſint ſupernaturalia.

Hoc Argumentum non probat, dari Fidem, & cætera naturalia entitate tantùm diſtincta a ſupernaturalibus, ſed tantū, quòd non habeāt proportionem cum pręmio ſupernaturali, etiam ſi dentur. Quare nullum eſt in propoſito.

Digitized by Google

Sed quia rationem meriti operum bonorum fundat in proportione entitatiua ſupernaturalis ad ſupernaturale, diſcutiendum id eſt, etenim deprehenditur falſum.

Primò. Nullum fundamentum habet in Scripturis, Conciliis, aut Patribus. Afferuntur quidem verba Tridentini Canon. 3. de Iuſtificatione, vbi dicitur, neminem poſſe credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, *ſicut oportet*, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione. Quibus ſimilia dicit Arauſicanum can. 6., ly autem, *ſicut oportet*, ita explicant, quaſi excludatur actus entitatiuè naturalis.

Sed hæc explicatio voluntaria eſt. Nam actus, ſiue entitas eius poteſt fieri, ſicut oportet, & non ſicut oportet; ergo, ly, ſicut oportet, non poteſt ſignificare entitatem actus, ſed aliquam conditionem, vel modum, vel relationem, cum qua, vel ſecundùm quam ille debeat fieri. Sic igitur Fides debet eſſe certa, Spes firma, dilectio Dei ſuper omnia bona, dolor de peccatis ſuper omnia mala; & cùm hæc deſunt illis, aut aliud requiſitum, non ſunt ſicut oportet, neque valent ad iuſtificationis gratiam; & hoc intendit Tridentinum.

2. Secundò. Quodlibet ens finitum habet proportionem entitatiuam ad aliud finitum, quia determinata intercedit inter ea diſtantia; nec diuerſitas ordinis eam proportionem aufert; aliter vniuerſum, quod diuerſos includit ordines, non eſſet proportionatum in ſingulis ſuis partibus. partes autem, quæ inter ſe proportionem non ſeruant, non poſſunt concurrere ad ordinandum vnum totum; ergo falsò dicitur, ens naturale non habere proportionem ad ſupernaturale; quæ tamen etiam proportionem potentiæ, & actus, cauſæ, & effectus habent; nam naturale recipit ſupernaturale, & cum eo ſupernaturalem effectum producit, ſicut intellectus cum lumine recepto producit viſionem beatam.

Fortè dicetur, intercedere inter ea aliquam proportionem, ſed non meriti, & præmii.

At hoc gratis dicitur. Deinde, ideo hanc proportionem negant inter illa, quia ſunt diuerſi ordinis; at ordines rerum ex ipſis rerum naturis conſtituuntur; ergo negant proportionem entitatiuam, quod oſtendimus eſſe falſum. Poſtremò, oſtendere debent, quænam, vel quanta proportio entitatiua requiratur inter meritum, & præmium, quod non facilè reperient.

Nam in humanis labor corporalis, qui multipliciter per varios ſenſus, potentias, membra exhibetur, rependitur pecunia, quiete, &

Digitized by Google

te, & otio conceſſo, gloria quoque, & laudibus. At quies, & otium opponuntur labori, tamquam carentia, & poſitiuum, inter quæ nō poteſt eſſe proportio entitatiua: laus, & gloria, quam proportionem entitatiuam habent cum labore? Quam etiam pecunia?

Omnia inſuper commutantur cum auro, & aurum cum omnibus, etiam cum hominis libertate, vt patet in mancipiis. Adeſt igitur inter ipſa proportio valoris; & tamen, quæ entitatis? Ipſi autem concepiſſe videntur, vt viſioni æternæ tamquam auro optimo non proportionetur in valore, niſi aurum operis ſupernaturalis.

Præterea. Si inter meritum, & præmium requiritur proportio entitatis, cur non etiam durationis, vt, ſcilicet, non plùs duret præmium, quàm durauit meritum? At hoc contra communem, & vſum, & ſenſum eſt: præmium enim conceditur etiam in poſteros in infinitum, cùm meritum fortè paruo tempore conflatum ſit.

In ſuppliciis, pro homicidio retribuitur mors; in qua, vt ait Auguſtinus 21. de Ciuit. cap. 11.: *Non mora, qua res occiditur, quæ perbrevis eſt, eius ſupplicium leges æſtimant, ſed quòd eum in ſempiternum auferunt de ſocietate viuentium* Sicut, & in ipſo delicto homicidii non mora attenditur occiſionis, aut pœnæ morientis, ſed quòd homo perpetuò e viuis eliminatur. Ipſa verò carētia vitę nullā habet proportionem entitatiuam cum ente, aut actione. Deus quoque pro bono actu temporali vitam, & pro malo ſupplicium rependit æternum. In cæteris verò pœnis, carceribus, ſpoliatione bonorum, exilio, relegatione ad triremes proportionem entitatiuam earum cum malefactis, pro quibus irrogantur, reperiant, qui poſſunt.

3. Igitur non hæc attenditur inter meritum, & præmium; ſed, vt pro labore requies, pro paupertate diuitiæ, pro luctu conſolatio, pro fame ſaturitas, pro dolore gaudium, pro ignominia gloria, pro amore fruitio, pro ſeruitute regnum, pro morte vita retribuantur.

Quod clarè patet in beatitudinibus recenſitis a Chriſto Matt. 5., & Lucæ 6., vbi dicitur; *Beati, qui eſuritis, quia ſaturabimini. Beati, qui fletis, quia ridebitis, &c.* Et Matth. 15. *Venite ad me, qui laboratis, & onerati eſtis, & Ego reficiam vos.* Et: *Tollite iugum meum, & inuenietis requiem.* Hinc operibus, & laboribus noſtris retribuitur clara Dei viſio; quia, cùm labori rependatur quies; creatura rationalis non poteſt quieſcere, niſi in Deo clarè viſo, vt Auguſti-

Digitized by Google

nus ait 1. Confess. 1. Et, quia finis amantium est possessio, & fruitio rei amatæ, opera autem nostra meritoria sunt, quatenus de amore Dei procedunt, ideo illis retribuitur visio, & fruitio Dei. Hinc Regnum Cælorum dicitur promissum, & præparatum a Deo iis, qui diligunt illum 1. Corinth. 2., & alibi. Sic in suppliciis datur captiuitas, & seruitus pro abusu libertatis, dolor pro voluptate, ignominia pro elatione, egestas pro luxu in diuitiis, &c., illo etiam appenso, vt iuxta quantitatem delicti sit & plagarum modus, sicut dicitur Apocalyp. 18. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

4. Secundum fundamentum est. Quia non videtur posse negari, quin homo viribus naturæ possit habere Fidem, Spem, & Charitatem erga Deum. Nam illis viribus credit homini testificanti, sperat aliquod bonum ab amico, vel Principe, diligit vxorem, filios propinquos, amicos, Patriam, adeo vt pro ipsis plerique voluntariam etiam mortem subierint, vt legitur in historiis. Carnales quoque amatores pro suis amoribus magnos labores, pericula, angores, dispendia, morbos, mortem quandoque patiuntur. Cùm igitur Deus sit qualibet creatura in infinitum veracior, potentior, melior, idque naturaliter cognosci possit, non potest negari, quin naturaliter quoque valeat homo ei credere, in ipso sperare, eumdemque diligere. At huiusmodi actus non possunt esse meritorii vitæ æternæ, quia tale meritum non potest haberi sine auxiliis gratiæ per Christum; ergo necessariò distinguenda sunt duo genera actuum Fidei, Spei, & Charitatis; aliud entitatiuè naturale ex viribus naturæ, quod non sit meritorium, saltem de condigno, vitæ æternæ, & aliud entitatiuè supernaturale ex auxiliis gratiæ, quod sit vitæ æternæ de condigno meritorium.

Hoc reuera est fundamentum sententiæ, contra quam disputamus. Verùm, vt a Pelagianis inductum refert illud Augustinus de Patientia cap. 16. Quantum igitur ad Fidem, & Spem, iam ca. 4. præcedente ostendimus differentiam inter humanam, & diuinam, siue naturalem, & supernaturalem; &, quòd perfectio, quæ adest in Diuina, non potest haberi viribus naturæ. Et addenda est difficultas, & altitudo veritatum, quæ Fide humana saltem certò, non crederentur: pariter bonorum, quæ Spe Diuina sperantur.

Quantùm ad Charitatem aduertere poterant Catholici Scriptores, qui eo argumento vtuntur, ex illis ipsis amoribus, quos commemorant, auerti homines a charitate Dei, adeo vt Christus dixe-

Digitized by Google

dixerit: *Qui non odit Patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus* Lucæ 14. Omnes enim illi deſcendunt de amore proprio propter coniunctionem, quam illæ res habent ad nos. Chriſtus autem damnat amorem proprium, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, Matth. 16. Et: *Qui non odit animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; Lucæ loc. cit. Non ergo quid faciant, aut patiãtur homines, ſed etiã, quo amore, intuendum eſt, vt diſcernatur, an ex viribus arbitrii, an ex auxiliis gratiæ id valeant; nam, & ipſa mors poteſt pro amore proprio, ideſt, pro appetitu laudis, & gloriæ ſubſtineri, collocando propterea in eius perpeſſione propriam beatitudinem, vt ait D. Thomas in 4. di. 49. ar. 3., & ante ipſum Philoſophus 9. Ethic. cap. 9., & Auguſtinus, dicens, Romanos ſalutem Reipublicæ ſaluti ſuæ prepoſuiſſe pro amore laudis, & gloriæ, 4. contra Iulianum cap. 3. Id etiam ait Durandus in 4. diſt. 17. qu. 6. ad 2. Catholica autem veritas patientiam, & conſtantiam Martyrum in paſſionibus perferendis tribuit auxilio Dei, vt patet ex Collectis in Natalitiis eorum, & ex illo verſu Hymni: *Tu vincis inter Martyres*, ſiue *in Martyribus*; ita & fortitudinem Abrahæ in propoſito immolationis filii; quamuis plures exgentibus grauiſſima paſſi ſint pro ſuis amicis vel charis, viribus vtique naturę, non auxilio Dei; immolarunt etiam filios ſuos Dęmoniis, Pſalm. 105. Brutus Romanæ libertatis aſſertor filios ſuos Tarquinium in Regnum reuocare molietes, morte puniuit. Sed tantæ vindictæ, tantique pro Patria zeli cauſam aperuit Virgilius Æneid. 6.: *Vicit amor Patriæ, laudumque immenſa cupido*. Sed omnino audiendus eſt hic Tertullianus Libro ad Marty. versùs finem: *Acerba iſta a multis æquo animo excepta, immo, & appetita ſunt famæ, & gloriæ cauſa. Lucretia vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit in conſpectu propinquorum, vt gloriam caſtitati ſuæ pararet. Mutius manum ſuam dextram in ara cremauit, vt hoc factum eius fama haberet. Tantum terrena gloria licet de corporis, & animi vigore, vt gladium, ignem, cruces, beſtias, tormenta contemnant ſub præmio laudis humanæ.*

5. Ad Argumentum igitur reſpondet Auguſtinus, qui ipſum ex perſona Pelagianorum proponit loc. cit. de Patientia: *Qui hæc dicunt, non intelligunt, quemque iniquorum tantum eſſe ad quæcumq; mala perferenda duriorem, quantò in eo maior eſt cupiditas mundi, & quemque iuſtorum tantò eſſe ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quantò in eo maior eſt charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex voluntatis arbitrio, &c. Charitas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* Quibus addendum eſt, quod idem Au-

gu-

Digitized by Google

gustinus ait de Spiritu, & Littera cap.29.: *Fortitudinem Gentilium humana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Diuina Charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quã sententiã in authoritatem Canonis extulit Arausicanum can.17. Nulla est igitur necessitas adstruendi pro hac re duplicem Charitatem, aliam entitatiuè naturalem, aliam supernaturalem, sed potiùs Charitas, & cupiditas distinguendæ sunt.

6. Sed hic occurrit difficultas de amore Dei, vt summi boni nos beatificantis, quo, scilicet, ametur super omnia bona nobis concupiscibilia, an sit possibilis viribus naturę. Et videtur affirmandum; quia talis amor non tollit amorem proprium, immo de illo descendit, vel illum includit; nam ex amore proprio amamus nobis bona, & meliora magis amamus; cùm ergo Deus naturaliter cognoscì possit vt summũ bonum, in quo sita sit nostra felicitas, quam naturaliter, & in omnibus amamus, & quærimus, sequitur, quòd viribus naturæ possit Deus a nobis super omnia hoc modo amari. Et ita opinatur Vasquez 12. disp.195. cap.2. in principio, & 3. parte disp.43. cap.2.in fine, & alii. Hoc autem, si admittitur, sequi videntur duo antecedentibus dictis opposita.

Primum; quòd ex nobis ipsis possimus placere Deo, immo acquirere meritum apud ipsum: nam ille amor videtur esse gratus Deo, cùm per eum ametur super omnia concupiscibilia, atque in eo statuatur ratio vltimi finis: videtur etiam esse meritorius; quia amplius videtur esse, eo modo amare Deum, quàm habere illi fidem; fides autem meritoria est, vt ante diximus. Secundum; quòd valeamus viribus nostris vincere tentationes, quas possunt ingerere nobis bona creata, & concupiscentia earum: atque adeo ipsam concupiscentiam vincere, siquidem per illum amorem præponitur fruitio Dei fruitioni cuiuslibet boni creati.

Respondetur, in statu naturæ lapsæ, & purę, in quo adsunt eædem vires naturales, non esse possibilem illum amorem, nisi ex auxilio Dei; nam in eo statu amor sensibilium præponderat amori spiritualium. Sed neq; in natura integra, vel in Angelis, in quibus nõ est caro, est illa possibilis naturaliter, saltem, vt sit efficax; quia includit voluntatem ponendi pro semper omnia bona creata, bono Diuino, saluo esse amantis, & subiiciendi se in omnibus voluntati Dei, etiam quantùm ad tolerantiam quarumlibet passionum pro Deo consequendo; quare, si non totalis, multa est abnegatio amoris proprii. At ab hoc adeo abhorruerunt plurimi Angelorum

vt

Digitized by Google

vt aduersùs Deum rebellarint. Augustinus autem, quem Theologorum Scholæ ſequuntur, de Corrept., & Gratia cap. 11., & 12. de Ciuit. cap. 9. docet, neque Adam, neque Angelum potuiſſe permanere in Gratia ſine ſpeciali Dei auxilio: ex quo ſequitur, non potuiſſe a ſe ipſis habere illum amorem, nã per illum potuiſſent expellere, vel vincere quemlibet amorem boni creati concupiſcibilis, & quamlibet ex eo promanantem tentationem. Itaque ita omnino dicendum eſt, etiam propter rationes ſupra allatas.

Verùm dubitatur, an hic amor ſit charitas; & negat Scotus in 3. diſt. 26. qu. 1., quia illa eſt beneuolentia, hic verò concupiſcentia, illa amat Deum propter ipſum, hic verò, vt bonum amantis, illa non includit amorem proprium, hic verò includit.

Sed, ſi ſic dicimus, ſequitur, vltra charitatem, etiam hanc Dei concupiſcentiam a Deo nobis donari. Sacræ verò litteræ non videntur alium amorem a Deo nobis datum commendare, quàm charitatis; & Auguſtinus non diſtinguit a charitate niſi cupiditatem, cùm dicit, duos amores fabricaſſe duas ciuitates, ideſt, charitatem fabricaſſe Ieruſalem cæleſtem, cupiditatem verò Babel terrenam.

Noſter quidem Aragonius 22. qu. 17. art. 6. dicit, hanc Dei concupiſcentiam pertinere ad charitatem; quia eadem, inquit, charitas, qua nos diligimus, inclinat ad diligenda etiam ea, quæ pertinent ad noſtram perfectionem quatenus talia; diligimus autem, vel poſſumus diligere nos ex charitate, & fruitio Dei maxima noſtri perfectio eſt; ergo ex charitate concupiſcimus nobis Deum.

Cæterùm ſine dubio diſtinguenda eſt concupiſcentia Dei ab eius beneuolentia, propter diuerſam rationem attingendi, vt ſupra inſinuauimus. Et argumentum Aragonii non rectè procedit: ſicut enim tunc amamus nos ex charitate, quando referimus noſmetipſos per amorem in Deum, ita tunc amamus nobis Deum ex charitate, quando ipſam eius poſſeſſionem referimus in eius gloriam; at nunc loquimur de amore, quo præcisè amamus Deum, vt bonum nobis, abſtrahendo a relatione huius noſtræ bonitatis in gloriam Dei; ergo argumentum Aragonii non eſt ad propoſitum.

9. Nihilominus Sacræ litteræ, & Patres quemcumque amorem Dei ſuper omnia, ſiue beneuolentiæ ſit, ſiue concupiſcentiæ appellant charitatẽ; nam amorem Dei, quo vincimus Diaboli, carnis, mundique tentationes appellant charitatem, eę autem tentationes vinci poſſunt ex concupiſcentia Dei ſuper omnia.

Quare non videntur ponendi duo habitus dilectionis a Deo infu-

Digitized by Google

infusi, alter beneuolentiæ, alter concupiscentię Dei, nam habitus inclinans ad beneuolendum Deo super omnia videtur sufficere etiã ad concupiscendum ipsum; quamuis enim possit elici, & quandoq; eliciatur erga Deum amor concupiscentię, non beneuolentiæ, id poterit esse, quia amans non exerceat omnes vires habitus, non quia operetur ex alio habitu: non exerceat, inquam, eas omnes, vel quia ex sua libertate non conatur quantum potest, vel quia retinetur ab amore proprio, vel quia considerat tunc tantùm rationem boni concupiscibilis in Deo.

Nec refert, quòd ratio formalis obiectiua vnius amoris sit diuersa ab altera: quamuis enim propter hoc necesse sit specie distinguere actus illos, nõ tamen necesse est distinguere habitum; cùm enim ille feratur etiam in amorem beneuolentiæ Dei super omnia, sufficit ad consimilem amorem concupiscentiæ, cùm hic sit minoris perfectionis, & vtraque ratio boni super omnia, nempe, & amabilis, & concupiscibilis reperiatur in Deo; immo necessitat ad hunc amorem; qui enim illum priorem amorem habet, non potest amore concupiscentiæ amare aliquid supra Deum: sicut etiam in humanis amor beneuolentię erga amicum sufficienter præstat, & mouet, vt ille ametur amore concupiscentiæ, idest, vt ametur præsentia, & communicatio vitæ cum eo. Et propterea Diuina Scriptura, & Patres omnem amorem Dei super omnia charitatem vocant. Ex his patet, quàm malè nonnulli dixerint, amorem concupiscentię Dei super omnia, esse malum, & peccaminosum, quod vt hæreticum damnatur a Tridentino sess. 6. can. 31.; nam adeo bonus est, vt neque Angeli possint illum viribus suis habere, vt ostendimus.

9. Sed fortè dicetur: Qui amat Deum super omnia amore concupiscentiæ tantùm, non illum amat, quantum amabilis est, immo nec quantum tenetur amare; &, cùm se ipsum amet tũc super omnia amore beneuolentiæ, magis se ipsum amat, quàm Deum, quia maior, et perfectior est amor beneuolentię, quàm concupiscentię; ergo peccat.

Respondetur: creaturam non teneri pro semper ad amandum Deum super omnia amore beneuolentię, nisi habitualiter; & cùm ipsum amat super omnia amore concupiscentiæ tantùm, non excludit amorem beneuolentiæ; non enim vnus amor repugnat alteri, immo vnus oritur ab altero, sed tantùm prescindit; si enim excluderet, peccaret. Amor insuper beneuolentię erga vnum obiectum non est semper maior appretiatiuè amore concupiscentię erga alte-

Digitized by Google

alterum, ſed tantùm eſt purior, & ſimplicior: nam auari, vel libidinoſi amant amore beneuolentię ſuos amicos, nec tamen magis appretiatiuè, quàm pecuniam, & voluptates; non enim iſtas deſerere vellent pro illis.

Atque id verum eſt etiam reſpectu amoris illius obiecti, cui illud bonum concupiſcitur, quando non in obiecto amato per beneuolentiam, ſed in concupito ſtatuitur ratio vltimi finis. Creatura autem amans Deum ſibi, vt obiectum ſe beatificans, non in ſe, ſed in Deo ponit rationem vltimi finis; vult enim in Deo quieſcere, non in ſe ipſa; ergo per illum amorem non amat magis appretiatiuè ſe, quàm Deum. Peccatum autem eſt, cùm magis appretiatiuè amatur creatura, quàm Deus.

CAPVT VI.

Oſtenditur, non poſſe ſolis viribus voluntatis diligi Deum ſuper omnia, vt Authorem naturæ, vel beatitudinis naturales.

1. NOnnulli Theologi credentes, poſſe voluntatem viribus ſuis amare Deum ſuper omnia, ſuccumbentes autem authoritati Diuinarum litterarum, in quibus dicitur, Charitatem eſſe ex Deo, ita diſtinguunt, vt amor Dei ſuper omnia, quatenus Deus eſt author naturæ, poſſit haberi ſolis viribus voluntatis, quatenus autem eſt author gratiæ, requirat auxilium gratię, & hoc tãtùm definitum ſit per Scripturas, & Concilia.

Quæ ſententia antiquior eſt ea, quæ diſtinguit de amore Dei entitatiuè naturali, & ſupernaturali, quam in præcedentibus reiecimus. Habet enim eam D. Thomas prima parte q. 60. a. 5., vbi reſpondens ſententiæ Auguſtini dicentis, neque Angelos potuiſſe a ſe ipſis habere charitatem, immo in eos diffuſam per Spiritum Sanctum, dicit, id intelligendum eſſe de charitate erga Deum, vt author eſt gratiæ; nam charitas erga eumdem, vt author eſt naturæ, poteſt naturaliter haberi.

Si hæc ſententia vera ſit, ſequitur veram eſſe Propoſitionem, contra quam diſputamus; nimirum, Fidem ex teſtimonio creaturarum ſufficere ad iuſtificationem. Nam, ſi dilectio Dei, vt authoris naturæ poteſt haberi viribus naturæ, ad eam habendam ſufficiet co-

Digitized by Google

gnitio Dei, vt authoris naturæ ex testimonio creaturarum, quia per eam cognoscitur, vt summum bonum; bonum autem cognitum amorem excitat, maximè summum; ergo hæc cognitio sufficiet ad iustificationem. Probatur Consequentia; quia amor Dei super omnia, etiam vt tantùm author naturæ est, reddit hominem Deo gratum iuxta illud: *Ego diligentes me diligo*, & alia plura, quæ pluries etiam relata sunt; ergo ipse est saltem dispositio proxima, & infallibilis ad iustificationem; ergo fides, seu cognitio, ex qua procedit, sufficit ad iustificationem tamquam initium, & fundamentum eius; sicque iustificatio poterit haberi ex viribus naturæ, quod repugnat dogmati Fidei.

1. Igitur reiicienda est hæc sententia, quæ omnino deprehenditur falsa. Quia si Deus cognitus vt author naturę, potest vt talis viribus naturę amari super omnia; potest etiam eisdem viribus amari cognitus, vt author gratiæ, etiam si talis cognoscatur non viribus naturæ, sed gratiæ, siue ex reuelatione; sed id non admittitur per hanc sententiam, neque est admittendum; ergo, &c.

Probatur sequela. Nam quodlibet bonum propositum, etiam excellentissimum, & infinitum possumus naturaliter amare; quod fatentur etiam Doctores, cum quibus disputamus, dum admittunt, posse naturaliter amari Deum, vt authorem naturæ: excellentia enim boni non retardat, immo magis rapit in amorem. Est quippe ordo oppositus inter intellectum, & voluntatem, intellectus trahit res ad se, voluntas verò trahitur a rebus; ergo, licèt intellectus magis caliget ad magis intelligibilia, vt ait Philosophus 2. Methaph. tex. 1., volũtas tamen magis inardescit in excellentiora bona; in cognitione enim reuelet vis intellectus, in amore virtus obiecti. Sed nõ minus bonum relucet in Deo, vt authore gratiæ, quàm reluceat in eo, vt authore naturæ, immo secundùm aliquos maius; ergo si potest naturaliter amari super omnia cognitus, vt author naturæ, poterit quoque cognitus, vt author gratiæ. Et certè absurdum est, & incredibile apparet, quòd homo possit naturaliter amare Deum, vt suum Creatorem, non autem vt suum Redemptorem, qui, scilicet, pro ipso incarnatus sit, passus, & mortuus, illiq; summam in Cælis felicitatem præparauit. Ex aduerso namque, & Patres, & Concionatores, ipsiq: generaliter fideles solent dicere, maiorem deberi pœnam non amanti Deuum Redemptorem, quàm non amanti ipsum Creatorem, indicantes maius debitum, & inclinationem ad amandum ipsum titulo redemptionis, tanquam pro maiori beneficio,

Digitized by Google

cio, & beneuolentia. Quare ſecundus amor, non tantùm non videtur impoſsibilis viribus naturæ, ſed etiam primo facilior.

Nec obſtat, quòd Deus author gratiæ non poſſit naturali lumine cognoſci; nam adhuc poterit ex reuelatioue cognitus naturaliter amari: non enim ita volitio dependet a cognitione, vt, ſi hæc ſit ex reuelatione, illa debeat eſſe ex infuſione. Hoc enim omnino gratis, immo irrationabiliter dicitur. Cùm enim diuerſæ ſint virtutis intellectus, & voluntas, & diuerſum habeant modum operandi, non debet ex vna iudicari de altera; immo, vt mox dicebamus, intellectus difficiliùs capit altiores veritates, voluntas autem faciliùs amat excellentiores bonitates, ea nimirum ratione, quam diximus; & poteſt perfectè amari, quod non perfectè cognoſcitur, ex D. Thom. 12. qu. 27. ar. 2.

Non eſt ergo attendenda difficultas, vel impoſſibilitas amandi ex excellentia boni propoſiti, vel ex ratione cognitionis, qua proponitur, ſed ex gradu amoris. Sicut enim naturaliter intellectus quaſcumque veritates propoſitas, & explicatas percipere poteſt, non tamen eas per ſe inueſtigare, aut euidentibus, aut validis rationibus firmare; ſic voluntas poteſt omnia bona propoſita amare, non tamen quocumque gradu amoris, quia, vel amore ſui, vel aliarum rerum impeditur.

Ipſi, qui vitiis dediti ſunt, amant virtutes, non tamen ſupra ea obiecta, in quæ vitiosè feruntur, quamuis ita amanda eſſe cognoſcant. Poteſt ergo voluntas viribus ſuis amare Deum, & vt authorem naturæ, & vt authoram gratiæ, non tamen ſuper omnia, quia retinetur amore ſui, quem ſuis viribus ſuperare non poteſt, vt cap. 4. præcedenti oſtendimus.

Hinc Anſelmus Lib. de Concordia: *Voluntas poſt deſertam iuſtitiam facta eſt ancilla ſuæ affectionis, quæ ad commodum eſt.* Nec poteſt ſuis viribus ab illa ſeruitute ſe liberare: Si enim vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis, ait Chriſtus Dominus, Ioann. 8. Nec quiſquam poteſt ſuis viribus de peccato ſurgere. Et Bernardus Lib. de diligendo Deum: *Difficilè, immo impoſſibile eſt, ſuis quemquam, liberiue arbitrij viribus ſemel accepta a Deo libertate, ad Deum ex toto corde conuertere voluntatem, & non magis ad propria retorquere; ſicut ſcriptum eſt:* Omnes quæ ſua ſunt, quærunt.

In hoc ergo gradu amoris conſiſtit difficultas, ſeu potiùs impoſſibilitas, non in ratione obiectiua authoris gratiæ.

3. Quòd verò abſolutè non poſſit voluntas viribus ſuis amare

Digitized by Google

Deum super omnia, neque vt simpliciter est author naturæ, probatur multipliciter.

Primò. Quia Scripturæ, Concilia, & Patres dicunt, charitatem esse a Deo. Cùmque eorum loquutiones sint generales, non sunt a nobis limitandæ, vt ait Bellarminus; id enim non esset eis subiici, sed eas eludere: inconsideratè quoque loquuti fuissent, si, cùm aliqua charitas sit a nobis, vniuersaliter dixissent, charitatem esse a Deo, ansamque erroris in re admodùm graui præbuissent. Neque, vt puto, diligentiores sunt recentes Scholastici, quàm Patres, qui non pro suis, aut Magistrorum placitis, sed pro Ecclesiæ causa contra Pelagianos dimicabant.

Secundò. Qui diligit Deum super omnia fit cum eo vnus Spiritus: hæc enim est vis amoris, amantem, & amatum reddere vnum. At quis tantam rem dicat, fieri posse sola potestate arbitrii? Hæc ratio colligitur ex Augustino de Gratia Christi c. 22.

Tertiò. Dilectio Dei super omnia, etiam tantùm vt author naturæ, est obseruantia legis ex Apostolo Rom. 13. Sed nullus potest seruare legem absque auxilio gratiæ per Christum, vt in præcedentibus probatum est; ergo, &c.

Atque hanc rationem ponderat etiam Vasquez.

4. Quartò. Dilectio illa est dispositio ad gratiam, & remissionem peccatorum, Deoq; placet: *Qui* enim *diligit me, diligetur a Patre meo*, Ioann. 14. Et: *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multùm*, Lucę 7. Et: *Ego diligentes me diligo*, Prouerb. 8. Est etiam meritoria vitæ ęternę; Christus enim Legis perito interroganti: *Quid faciendo, vitam æternam possidebo*, & recensenti præcepta dilectionis Dei, & proximi, respondit: *Hæc fac, & viues*, Lucæ 10. Qui autem diligit Deum, etiam proximum diligit propter Deum, aliter non diligit Deum super omnia. Sed nos non possumus ex naturalibus disponi ad gratiam, remissionemque peccatorum, aut mereri vitam ęternam, nec Deo placere ex Arausic. can. 12., & 25.; ergo &c.

Quintò. Illa dilectio præstat, ne scientia inflet, nam ipsam scientiam refert in Deum; sed charitas, qua fit, ne scientia inflet, est a Deo; ergo, &c. Minor asseritur a Cęlestino Papa Epist. ad Episcopos Gallię cap. 10.: *Cùm dicat Apostolus*: Scientiæ inflat, charitas verò ædificat, *valde impium est, vt dicamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat, non habere, cùm sit vtrumque donum Dei*. Idem dicit Augustinus de Gra-

Digitized by Google

Gratia Chriſti cap. 26., & de Gratia, & libero arbitrio cap. 19.

5. Sextò. Illa dilectio præfert obſequium Dei propriæ vitę, aliter non eſt dilectio Dei ſuper ſe ipſum; eaque maxima eſt charitas, dicente Chriſto: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Ioann. 15. At ſi hęc poteſt haberi viribus naturę, nihil maius poteſt pręſtari a charitate ſupernaturali, ſiue infuſa, immo apparet ſuperflua; & etiam gloriam Martyrii viribus natutæ aſſequi poterimus.

Septimò. Illa dilectio eſt electio Dei: quæ enim maior Dei electio, quàm ipſum habere pro vltimo fine, in quem omnia noſtra, & nos ipſos referamus? Nec aliter poſſumus Deum eligere, quàm diligendo. Sed nos non poſſumus ex nobis Deum eligere, dicente Chriſto: *Non vos me elegiſtis, ſed Ego elegi vos*, Ioann. 15.; ergo, &c. Hęc ratio eſt Auguſtini de Patientia cap 21., & ſubdit: *Vnde dicit Apoſtolus Ioannes.* Non quòd dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos; *quia homo non poteſt eligere, vel diligere, niſi priùs electus, dilectuſque curetur.*

Octauo. Illa dilectio Dei vincit amorem proprium; ſed hoc non poteſt vinci niſi ex magno Dei munere, vt in antecedentibus viſum eſt; ergo illa dilectio non poteſt haberi ex viribus naturę.

Nonò. Dilectio Deî, ad quam nos hortatur vox naturæ, eſt dilectio Dei, vt authoris naturę, ſed hanc non poſſumus habere ſine gratia, & miſericordia Dei; ergo, &c. Maior patet; quia natura ſpecie, & ordine ſui oſtendit bonitatem ſui authoris, ideoque dicitur mouere ad amorem eius. Minor eſt Auguſtini 10. Confeſſ. cap. 6.: *Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. Altiùs autem tu miſereberis, cui miſertus eris, & miſericordiam præſtabis, cui miſertus fueris: aliòquin Cælum, & terra ſurdis canunt laudes tuas.*

Decimò. Qui illam dilectionem habet, habet Spiritum Sanctum in ſe; ſed ille non poteſt haberi viribus naturę; quis enim hoc dicat? ergo, &c. Maior eſt Gregorii hom. 10. in Euangelia, & legi in Officio diei Pentecoſtes: *Ipſe Spiritus Sanctus amor eſt. Qui ergo mente integra Deum deſiderat, profectò iam habet, quem amat. Neque enim quiſquam poſſet Deum diligere, ſi eum, quem diligit, non haberet.*

Vndecimò. Neq; Angelus poteſt a ſe habere illā dilectionem; ergo multò minùs homo, maximè in ſtatu naturę lapſę. Antecedens aſſe-

Digitized by Google

asseritur, & probatur ab Augustino 12. de Ciuit. cap.9., quia aliter Angelus posset se facere meliorem, quàm factus sit a Deo. Quę ratio militat etiam de dilectione Dei, vt authoris naturę, & respectu cuiusque creaturę possibilis; de cuius tamen vi dicemus infra contra Propositionem 30. cap.4.

Duodecimò. Melior est amor purę beneuolentię erga Deum, vt authorem naturę propter sui bonitatem, quàm concupiscentię erga eumdem, vt authorem gratię relatiuè ad nos, quatenus nos sanctificat, vel beatificat; in hoc enim includitur amor proprius, quod fatetur D. Thom. 22. qu.17. art.8.; vnde 12. qu.25. art.4. primum vocat amorem simpliciter, secundùm verò amorem secundùm quid; & Scotus in 1. dist.1. qu.5. §. *Ad Argumentum* dicit, primum amorem erga Deum esse propriè charitatem, non autem secundùm; ergo, si non potest viribus naturæ haberi amor concupiscentię erga Deum, vt authorem gratię, multò minùs poterit haberi amor beneuolentię erga eumdem, vt authorem naturę. Ipse Deus magis deberet redamare hunc secundum amorem, quàm primum, quod tamen Aduersarii admittere non possunt.

6. Tertiodecimò. Ita definit Arausicanum can.15.: *Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse, vt diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, vt fieret in nobis, vnde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris, & Filij, quem cum Patre amamus, & Filio.* Et Can.12.: *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.* Sed, qui diligit Deum super omnia, etiam vt Author naturæ est, non displicet Deo, immo habet in se, vnde ei placeat, & amatur a Deo; ergo illa dilectio non est viribus arbitrii, sed ex gratia Dei.

Quartodecimò. Quilibet alius amor naturaliter oritur ab amore nostri; ergo nullus potest excedere amorem nostri. Consequentia probatur; quia nullus effectus potest excedere suam causam. Antecedens videtur notum experientia; & ponitur in terminis ab Augustino hom.27. circa medium: *Amores omnes, & dilectiones priùs sunt in hominibus de se, & sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, priùs te diligis. Ergo dilectio vnicuique a se incipit, & non potest nisi a se incipere.* Hinc rectè noster Cardinalis Seripandus in caput 6. ad Romanos §.1. loquens de amore Pauli erga Iudęos, pro quibus cupiebat anathema esse a Christo, sic dicit: *Hic quidem charitatis excellentissimus gradus, a quo humana natura, quæ se ipsam in pri-*

Digitized by Google

primis diligit, & ſaluam eſſe vult, aborret, Dei donum eſt. Huncque Pauli affectum præcipuis laudibus extollunt Anſelmus, D. Thomas, & alii Interpretes; ſicut, & Moyſis dicentis Deo Exodi 3.: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.*

Plura, & plura addi poſſent; ſed cui, quę dicta ſunt, non ſufficiunt, fruſtra ingerentur alia. Vnum addo, quod notauit etiam Bellarminus, in hac veritate ab Auguſtino locatam victoriam Fidei aduersùs Pelagianos: *Si*, inquit, *non ex Deo, ſed ex hominibus eſt charitas Dei, & proximi, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos*, de Gratia, & libero arbitrio cap. 18.

CAPVT VII.

Differitur de Doctrina D. Thomæ, & Ægidij, quòd creatura rationalis naturali dilectione diligat Deum ſupra ſe.

1. NOn me latet D. Thomam 1. parte qu. 60. art. 5. itemque Noſtrum Ægidium in 2. diſt. 7. qu. 1. art 2. docere, quòd creatura rationalis naturali dilectione feratur ad Deum ſupra ſe.

Sed, ſi ly *naturali*, vel *naturaliter* ſignificat iuxta ordinem vniuerſalem naturæ, vel debitum ipſius creaturæ rationalis ex natura rei, verum eſt; ſi autem ſignificet, ex viribus naturę, vel inclinatione ſufficienti ad erumpendum in illam dilectionem, probare non poſſumus; tum propter ea, quę dicta ſunt; tum maximè, quia tunc facilis, vtpote ex inclinatione naturę, eſſet pugna, & victoria de amore proprio, quam difficillimam, & viribus naturæ impoſſibilem dicunt Patres, inſinuat Chriſtus, & teſtatur experientia. Eſt tamen, hoc non obſtante, dilectio illa iuxta ordinem vniuerſalē naturæ; pro cuius rei intelligentia aduerteudum eſt ad ordinem naturę ſpectare etiã operationem Dei, vt ſummi Rectoris naturę, ſicut intelligentiarum, vt miniſtrorum, quod docuit etiam Philoſophus.

Hinc dicitur naturale graui, vt aſcendat, & leui vt deſcendat ad impediendum vacuum; quamuis ad id, non ex virtute proprię for-

Digitized by Google

formę, ſed agentis vniuerſalis moueantur: non enim determinata, & ſimplex forma poteſt eſſe principium motuum oppoſitorum, vt rectè ait Scotus in 3. diſt. 27. qu. 27. qu. 1. Cui conſentit D. Thomas aſſerens, elemento graui non eſſe naturalem motum ſurſum, immo violentum, ſi illud conſideretur ſecundùm ſui particularem naturam. Qui etiam 12. q. 109. art. 6. docet, ordinem agentium eſſe ſecundùm ordinem finium, & propterea ad finem boni vniuerſalis, non moueri ex ſe agens particulare, ſed ab agente vniuerſali, ſicut miles ad victoriam mouetur a duce; impedimentum autem vacui eſt bonum vniuerſale creaturę materialis; & tamen motus ad ipſum dicitur naturalis rei, quamuis ſit non tantùm præter, aut ſupra, ſed etiam contra eius particularem naturam. Naturalis etiam dicitur infuſio animę rationalis corpori humano perfectè organizato, cùm tamen hęc a ſolo Deo fiat; immo etiam productio animarum in ijs, quæ generantur ex putri; a nonullis dicitur eſſe a Deo, cùm non aliud Agens reperiant, in quod eam refundant.

Ita ergo erit naturalis creaturæ rationali amor Dei ſuper omnia, quia ſecundùm ordinem naturæ, ipſique conueniens, quamuis non viribus eiuſdem, ſed Diuina motione habeatur. Fatemur autem, poſt peccatum Deum non mouere homines ad illum actum prout Author naturæ, ſed prout Author Gratiæ, & intuitu meritorum Chriſti: quia per peccatum indignus redditus eſt homo, vt ad tantum bonum, quod amicitiam cum Deo facit, promoueatur. Qua ratione non promouet Dæmones, pro quibus Chriſtus non eſt paſsus, quiue proinde ad gratiam cum Deo reparandam peruenire non poſſunt. Et hæc eſt vera, & clara ratio ſempiternæ eorum ruinę, & obſtirmationis in malo; idque docet etiam noſter Ægidius in 2. diſt. 7. q. 1. ar. 2. dubio laterali. Qui tamen, cùm dicat loco ſupra citato, amorem ſequentem naturam peruenire vſque ad Deũ eiuſdem authorem, ideſt, vſque ad dilectionem Dei ſuper omnia, non videtur conſequenter dicere, a Dęmonibus non poſſe abſque auxilio gratię illum amorem haberi; nam natura, & naturalia in illis remanſere integra. Et quamuis Ægidius diſtinguat motum electiuum, ideſt, ſequentem voluntatis electionem a naturali, tamen negari non poteſt, electionem poſſe ferri in totum id, in quod poteſt natura, vel gratia, cùm per electionem non propriæ vires, ſed naturæ, vel gratiæ exerceantur, vel exerceri poſſint.

Quare, ſicut non poteſt eas traſcendere, ita poteſt vniuerſis

vti

Digitized by Google

vti. Ergo ſi motus naturalis Dęmonũ pertingeret vſque ad Deum, etiam illucuſque peruenire poſſet motus electiuus. Igitur e contra dicendum eſt, non peruenire vſque ad Deum motum naturalem illius, vel cuiusq; creaturæ rationalis, ſi ad ipſum peruenire non poteſt motus electiuus. Et ita cum Auguſtino, ſeu Fulgentio de Fide ad Petrum cap. 3. pro noſtra ſententia arguendum: Si homo poſſet viribus naturæ diligere Deum ſuper omnia, multò magis id poſſet Dęmon, qui carne vrgente ad ſenſibilia non premitur; ſed id non poteſt Dęmon, quia aliter poſſet ex ſe ipſo reparare gratiam cum Deo, & remiſſionem obtinere peccati; ergo multò minùs id poteſt homo.

2 Sed hic obiicietur, quòd prauè ſit inſtituta natura, ſi ad amorẽ Dei ſuper omnia ab ea debitum ſuis viribus peruenire non poteſt: immo conſtituta in neceſſitate peccandi, quia quod debet, facere non poteſt: quę prauitas refunderetur in Deum.

Reſpondetur, eõdem modo argui poſſe, quòd malè ſint inſtitutæ naturæ elementorum, eo quia grauia non poſſunt ſuis viribus aſcendere, nec leuia deſcendere ad impediendum vacuum, cuius impedimenti neceſſarium eſt ad eorum naturas conſeruandas. Dicitur ergo, non eſſe neceſſarium ad rectam inſtitutionem naturæ, vt illa poſſit ex viribus ſuis comparare ſibi quodlibet bonum, aut perfectionem, etiam ſi neceſſaria ſit: immo tunc fruſtra eſſent agentia vniuerſalia, ipſeque Deus. Patet in ordine ciuili, in quo neque ius proprium poſſunt a ſe ipſis ſibi vindicare ciues, immo exinde magna ſequeretur turbatio Reipublicæ; ſed recurrere tenentur ad Magiſtratus; nec bona vniuerſalia, & ordo eorum adminiſtrantur a ſingulis, ſed a Principe, vel miniſtris ab eo inſtitutis. Sicut ergo ad bonum vniuerſale in impedimento vacui non mouentur grauia, & leuia a ſe ipſis, ſed ab Agente vniuerſali; ita ad bonum Dei, quod eſt bonum totius creaturæ, & vltimus finis eius, ideſt, ad Dei dilectionem ſuper omnia, non mouetur creatura rationalis viribus ſuis, ſed motu vniuerſaliſſimi, & primi agẽtis, qui ipſe Deus eſt, vt ſic verificetur doctrina D. Thomæ ſupra relata; quòd ordo agentium ſit iuxta ordinem finium. Et ſicut ad rectum ordinem ſublunarium ſpectat Agens vniuerſale, quod etiam contra particularem eorum impetum moueat corpora ad impediendum vacuum; & ad rectum ordinem Politiæ, vt in ea adſint rectores, qui, & bonum pnblicum conſeruent, & prouideant, vt vnuſquiſque ius ſuum obtineat; ita debetur ordini creaturę rationalis, vt Deus ante peccatum ei adſit

Digitized by Google

cum auxiliis necessariis ad eliciendam Dei dilectionem super omnia, ne sit constituta in necessitate peccandi. Sicque communiter dicitur, quòd, si Deus creasset hominem absque iustitia originali, sed in pura natura, atque adeo cum lucta carnis, & spiritus, debuisset ex lege suæ Prouidentiæ conferre illi auxilia necessaria ad non succumbendum, quia sine illis necessariò, atque adeo sine sua culpa succumberet; quod vltimum etiam dixit Augustinus de Correptione, & Gratia cap. 11. Creauit autem Deus hominem cum charitate, & iustitia originali, non ex necessitate, id enim damnatum est in Baio propositt. 22. 27. 78., & 79., sed ex sui bonitate.

Addimus, dilectionem Dei super omnia posse dici naturalem creaturæ rationali, quia est ex aliqua inclinatione eius, non quidem sufficienti, vt illa procedat, sed quia, cùm mediante Dei auxilio procedit, est iuxta naturalem creaturæ illius inclinationem ad bonum. Eo enim ipso, ad meliora bona est magis inclinata; sicuti ex eo quòd graue inclinat deorsum, magis graue magis inclinat; ergo, cùm diligit supra se Deum summum bonum, operatur iuxta inclinationem naturalem, qua magis fertur in meliora. Non potest autem ex se sola illam dilectionem habere, quia retinetur, & vincitur a maiori inclinatione ad amandam se ipsam ration maioris coniunctionis ad se ipsam; propter quod non semper amat meliora, sed sibi coniunctiora, quod ipse D. Thom. docet, vt mox videbimus. Et hic sensus est potior. Sed simpliciter illa dilectio debet dici supernaturalis propter insufficientiam virium naturæ ad eam eliciendam.

Quòd si adhuc quæratur, quare creatura rationalis non possit ex se ipsa moueri ad consequendum suum finem Deum, quem actu amoris erga ipsum promereri potest, & consequi, cùm cæteræ creaturæ id valeant, grauia, & leuia ad sua loca, animalia ad cibum, &c. Respondetur, id esse propter excellentiam ipsius naturæ, qua talem finem, ideſt, adeo excelsum habet, quem consequi non possit viribus suis. Dicit autem D. Thom. 12. quæst. 5. art. 1. ad 2., quòd meliùs sit disposita (melior fit absolutè, dicimus nos) natura, quæ adiuuante alio potest consequi bonum perfectum, quàm quæ solis suis viribus imperfectum. Qui iam 1. parte qu. 62. ar. 2. dicit, nullam creaturam rationalem posse habere motum voluntatis ordinatum ad beatitudinem, quæ in Dei visione est, propter quod affirmat Angelos indiguisse gratia, vt se ad Deum conuerterent; quæ conuersio non nisi per actum amoris est; ergo ex excellentia naturæ est, vt actus, quo moueri valeat ad consequendum suum

Digitized by Google

ſuum finem, exercere non poſſit viribus ſuis, & per conſequens eſt etiam ex excellentia ipſius actus.

3. Quare nullo modo dicimus, naturam ex ſe inclinari ad amandum ſe magis, quàm Deum; quia tunc praue ipſa eſſet inſtituta; & charitas, qua fertur ad diligendum Deū ſupra ſe, non illam perficeret, ſed deſtrueret, vt rectè arguit D. Thomas 1. parte q. 60. ar. 5. Sed tantùm dicimus, quòd magis inclinat ad amandum ſe, quàm Deum, & quòd non valeat Deum ſupra ſe ſolis ſuis viribus diligere.

Quæ duo longè diuerſa ſunt; & primum quidem peruerſum, ſecundum autem naturale, & ideo non peruerſum. Quod, vt oſtendatur, notamus, quod ratio amoris ex parte obiecti eſt bonitas eius, ex parte autem amantis eſt ſimilitudo, vel coniunctio boni ad ipſum, vel proprietas, maximè autem identitas. Id quod pluries docet D. Thom. 12. qu. 27. art. 3., & qu. 28. ar. 1., & 22. qu. 26. ar. 5., habeturque ex Philoſopho dicente, amicabilia, quæ ſunt ad alterum prouenire ex amicabilibus, quæ ſunt ad nos, 9. Ethic. cap. 4., & quod: Amabile bonum, vnicuique autem proprium. Quæ ratio ex parte amantis adeo valida eſt, vt etiam quantùm ad gradum amoris præualeat ei, quæ eſt ex parte obiecti, faciens, vt magis amentur minora bona nobis coniuncta, vel ſimiliora, quàm maiora a nobis elongata, vel diſſimilia.

Quod, & fatetur ipſe D. Thom. 22. qu. 26. art. 9. vbi docet, iuxta ordinem rationis magis amandum parentem a filio, quàm filium a parente, quia maius bonum eſt filio parens, quàm parenti filius, & tamen naturaliter magis diligi filium a parente, quàm e contra; quod etiam dixit Philoſopus 9. Ethic. cap. 8. Eadem etiam quæſt. art. 4. dicit, quòd quamuis ratio amandi nos, vel proximū ſit Deus, tamen non eſt a nobis magis amandus proximus Deo gratior, & coniunctior, quàm nos ipſi; quia, ait, quantitas amoris, ſicut, & cuiuslibet actionis pendet etiam ex ſubiecto; proximus autem non eſt ita coniunctus nobis, ſicut nos ipſi. Quod repetit ibidem artic. 7. Ergo etiam ſecundùm D. Thom. ratio amoris ex parte amantis præualet illi, quæ eſt ex parte obiecti, & adeo præualet, vt non ſolùm magis inclinemur ad amanda coniunctiora, quàm meliora, ſed & naturaliter magis diligamus illa, quàm iſta, quinimmo, nec quandoque teneamur ad oppoſitum.

Sed creatura rationalis longè diſtat a Deo, eſt autem eadem ſibi; ergo, quamuis Deus ſit bonum infinitè ea meliùs, tamen ma-

Digitized by Google

gis naturaliter inclinatur ad amandum se, quàm Deum.

4. Fortè hic dicetur ex ipso D. Thom. 1. parte qu. 60. ar. 5. ad 1., quòd illa ratio de maiori, vel minori coniunctione valet in iis, quæ ex æquo diuiduntur; at in iis, quorum vnum est tota ratio bonitatis alterius, sicut est Deus respectu creaturæ, magis diligitur illud, quàm istud.

Sed hoc insufficienter dicitur. Primò. Quia Deus est tantùm ratio causalis bonitatis creaturæ, formalis verò nec est, nec potest esse; hęc est enim ipsa entitas creaturæ; at gratis assumitur, quòd naturaliter magis diligatur ratio causalis boni, quàm ratio formalis; immo hoc videtur falsum; quia filii non amant naturaliter; nec tenentur amare parentes supra se ipsos, immo nec eos amant eodē gradu amoris, quo amantur a parentibus: omnes enim, ait Philosophus 9. Ethic. cap. 8. *magis amant proprium opus, quàm ab opere, si animatum esset, amarentur.* Et tamen parentes, ait Abulensis q. 17. in cap. 12. Exodi, *dicuntur esse duo principia totius boni, quia dederunt nobis esse per generationem, & mores per eruditionē, & nutrimentū per educationem; ideo tenemur eis, quasi in infinitum.* Sed hic dicetur, bona nostra potiùs esse a Deo, quàm a parentibus; quamuis posset replicari de filio non cognoscente Deum. Sed, alterum amatur, quia est tota ratio bonitatis nostræ, iam amatur intuitu nostræ bonitatis; ergo non magis, quàm nostra bonitas; non enim, aut magis, immo nec æquè amatur medicina, quàm sanitas, aut sanitas, quàm homo, cui illa amatur.

3. Quamuis Deus sit tota ratio causalis bonitatis nostræ, non tamen necesse habemus semper meminisse, intelligere, & amare ipsum; at necesse habemus semper meminisse, intelligere, & amare nos ipsos, vt docet Augustinus 10. de Trinit. cap. 11., & lib. 14. cap. 6., & 10., ergo magis inclinat naturaliter ratio coniunctionis, vel identitatis ad nos, quàm ratio causalitatis totius nostri boni in Deo; ergo hæc ratio non facit, vt naturaliter magis amemus Deū, quàm nos.

4. Inclinatio ad amandum Deum super nos est ex charitate, quæ a Deo donatur, vt supra ostensum est, immo ipsa charitas est talis inclinatio; ergo non est ex natura. Probatur Consequentia primò: quia vel tunc frustra esset charitas, vel esset tantùm ad augendam inclinationem naturalem, non ad dandam inclinationem supernaturalem, cùm tamen charitas sit forma supernaturalis. 2. Quia non potest dici, eamdem inclinationem esse a charitate, & a natura. Ergo, quòd Deus sit tota ratio bonitatis nostræ non

præstat,

Digitized by Google

præſtat, vt naturaliter magis amemus Deum, quàm nos.

5. Quintò. Si adeſt talis inclinatio poterit erumpere in actum ſuum: quid enim eam impedit? An fortè vitium deprauans naturam? Sed ſupponitur natura nondum vitiata, vel vitium non habens tantam vim, vt omnino ſuperet inclinationem naturę; cùmq; illa inclinatio ponatur eſſentialis naturæ, vtpote cauſata ex eo, quia totum bonum naturæ eſt a Deo, quod vtique illi eſſentiale eſt, a nullo vitio poteſt ſuperari, ſicut nec ipſa natura; ſicut etiam nullum vitium efficere poteſt, vt obliuiſcamur amoris proprii, immo potiùs augebit illum amorem; poterit ergo aliquando prodire in actum. Quod ſi admittatur, poſſe, ſcilicet, naturam viribus ſuis amare Deum ſuper omnia, iam ex naturalibus poterimus promereri Dei gratiam, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam; quia ille amor hæc omnia promeretur, vt pluries in antecedentibus oſtenſum eſt; & ſic iuſtificari poterimus ex viribus naturæ, etiã poſt lapſum; & fides naturalis Diuinæ exiſtentiæ, & Prouidentiæ ex teſtimonio creaturarum ſufficiet ad iuſtificationem tamquam eius initium, & fundamentum, quod eſt damnatum in hac Propoſitione, contra quam diſputamus.

Sextò. Ex inclinatione naturali in amorem proprium ſtatim, & neceſſariò prodit ille amor, & ex eo omnia vitia, & peccata, quia nullum peccatum committitur niſi ex voluntate placendi ſibi, vel in carne, vel in ſpiritu, ſiue ſatisfaciendi propriis motibus animorũ, vt loquitur Bernardus ſerm. 3. de Reſurrectione; atque id diximus ſupra cap. 4.; ergo ſi in natura adeſt naturalis inclinatio ad amandum Deum ſupra ſe, ex ea deberet potiori iure ſtatim, & neceſſariò oriri amor Dei ſuper omnia, & conſequenter omnes virtutes, quæ ex charitate generantur iuxta doctrinam Apoſtoli 1. Corinth. 13.; ergo virtutes non eſſent dona Dei, ſed ex viribus naturę, cuius oppoſitum dicunt Scripturæ, Concilia, & Patres; faciliùs etiam pluresque homines eſſent probi, quàm improbi, cuius oppoſitum experimur.

In Angelis amor propriæ excellentiæ exortus ex inclinatione naturali ad amandum ſe ſtatim vicit amorem Dei ſupra ſe, vnde tertia pars illorum cecidit; quod non accidiſſet, ſi in illis fuiſſet inclinatio naturalis ad amandum Deum ſupra ſe; non enim inclinatio minor viciſſet hãc maiorẽ, libertas autem voluntatis ſequuta eſt inclinationem ad diligendos ſe ipſos, non illam, vel dedit, vel auxit; potuiſſent ſaltem ſtare ex illa inclinatione naturali maiori, quod non eſt dicendum; nam ad ſtandum eguerunt auxilio gratiæ,

per

Digitized by Google

per quod steterunt, qui non ceciderunt, vt cum Augustino 12. de Ciuit. cap. 9. communiter fatentur Theologi. Idem fuit in nostris Protoparentibus Adam, & Eua. Ergo non adest in creatura rationali inclinatio naturalis ad diligendum Deum supra se.

6. Quòd igitur, vt ad prius nostrum propositum reuertamur, natura magis inclinet ad amandum se, quàm Deum, oritur ex identitate ad se ipsam, & maxima distinctione a Deo: si enim naturaliter magis amamus, quæ sunt nobis coniunctiora, quàm quæ distantia, multò magis inclinamur ad amandos nos ipsos; atque id de vniuersalissima naturæ lege descendit, qua vnaquæque res appetit suum bonum, eiusque conseruationem, vnde resistit contrariis. Cùmque hoc naturale sit, non est peruersum. Immo Augustinus de Natura Boni hoc tertium bonum inter generalia naturæ bona connumerat, ordinem, siue inclinationem, vel appetitum ad proprium bonum conseruandum, vel augendum, qui, si non inesset vnicuique rei, non conseruaretur vniuersum. Qui ordo dicitur pondus Sapientiæ 11. cùm de Deo dicitur, quòd constituerit omnia in numero, pondere, & mensura.

Atque hæc inclinatio adeo valida est in natura rationali, vt non solùm non sit possibilis actus oppositus illi, nimirum odium erga se ipsum, sed etiam necessariò quoad exercitium insit illi, & cognitio, & amor sui ipsius, nec possit ab his actibus cessare, quamuis cessare possit a cognitione, & amore Dei, vt paulò superiùs ex Augustino diximus; immo possit etiam odio habere Deum. Non potest igitur negari, quin natura ex se magis inclinetur ad amandum se ipsam, quàm Deum.

Quòd autem non possit viribus suis diligere Deum supra se, fusè probauimus supra cap. 3. 4., & 6., in hoc quoque capite. Cuius impossibilitatis ratio naturalis haberi potest ex dictis. Etenim natura, vt dictum est, non solùm nō magis inclinat ad amorem Dei, ac sui, sed magis ad sui, quàm Dei propter identitatem ad se ipsam, non ad Deum; ergo amare Deum supra se, licèt non sit contra', est tamen supra naturam. Plus enim est amare Deum supra se, quàm tantùm ad id inclinari, quia posset esse inclinatio sine illo amore, sed natura neque inclinationem habet ad Deum amandum supra se, neque maiorem inclinationem ad illum amandum, quàm se, immo habet maiorem ad se amandum; ergo omnino super naturam est ille amor. Libertas autem arbitrii non potest eleuare naturam supra suas inclinationes, licèt possit iis vti. Sicut ergo non potest facere, vt ametur malum, aut odio habeatur bonum, quia

non

Digitized by Google

non eſt ad hoc inclinata natura, immo ad oppoſitum; & ſicut non poteſt facere, vt deſiſtatur a cogitatione, & amore ſui ipſius propter maximam inclinationem naturæ ad hoc, cauſatam ex identitate ad ſe ipſam; ita non poteſt facere, vt ametur Deus ſupra ſe, quia natura eſt magis inclinata ad amandum ſe, quàm Deum.

7. Quæ ratio probat, neque eſſe poſſibilem creaturam, quæ ſuis viribus amare poſſit Deum ſupra ſe. Quod ſi alicui videatur notum, aut mirum, attendat non ſolùm rationem allatam, ſed eam etiam, qua Auguſtinus 12. de Ciuit. cap. 9. probat, Angelos non a ſe ipſis, ſed per Spiritum Sanctum habuiſſe charitatem diffuſam in cordibus; quia, ſcilicet, aliter Angeli feciſſent ſe meliores, quàm facti ſint a Deo. Sed hæc ratio probat de quacumque creatura poſſibili: nulla enim eſt, quæ ſe poſſit facere meliorem, quàm facta ſit a Deo; ergo de mente Auguſtini non eſt poſſibilis creatura, quę naturalibus viribus diligat Deum ſupra ſe. De qua tamen ratione dicetur infra Diſp. 27. cap. 4.

Poſſunt quoque aliæ addi rationes; nimirum, quòd non ſit poſſibilis creatura, quæ viribus ſuis promereri valeat amicitiam cum Deo, communicationem bonorum eius, & vitam æternam; qui autem diligit Deum ab eo diligitur Prouer. 8., & obſeruantia præcepti charitatis præſtat, vt poſſideatur vita æterna, Lucę 10. Item; quòd charitas dignior, & præſtantia eſt qualibet ſubſtantia creabili; eſt enim coniunctio creaturæ ad Deum, per quam fit cum eo vnus ſpiritus, quo nihil creaturæ poteſt contingere ſublimius. Et in hoc principio fundatur ratio Auguſtini. Sed de hac re non pertinente directè ad noſtrum propoſitum, hactenus.

CAPVT VIII.

Soluuntur Argumenta pro inclinatione naturali creaturæ ad amandum Deum ſupra ſe.

1. ARguit D. Thom. 1. parte qu. 60. ar. 5., & 12. qu. 109. ar. 3. Id, quod hoc ipſum quod eſt, alterius eſt, naturaliter inclinatur principaliter, & magis in id, cuius eſt, quàm in ſe ipſum; ſed totum, quod eſt creatura, eſt Dei; ergo ipſa naturaliter magis inclinatur in Deum, quàm in ſe ipſam.

Maio-

Digitized by Google

Maiorem probat ex Philosopho 2.phy.te.78.: *Vnumquodque naturaliter agitur, sicut aptum natum est agi*: ex motu etiam partium corporis, quia manus exponit se periculo vulneris, vel amputationis, vt saluet totum corpus, vel caput.

Item ex facto ciuis fortis, qui exponit se periculo mortis, vt saluet Ciuitatem, cuius est pars: ratio enim, inquit, imitatur naturam; & si homo esset naturaliter pars huius Ciuitatis, hanc inclinationem naturaliter haberet. Hanc rationem affert etiam Ægidius quodlib.4. qu 14.

Respondetur negando Maiorem; nam vt cap. præcedenti vidimus ex ipso D. Thoma, maior coniunctio maiorem causat inclinationem ad amandum; magis autem creatura est coniuncta sibi ipsi, quàm Deo. Item. Ipse D. Thom. 12. qu.72. ar.5., & q.8.ar.2. dicit, quòd charitas est ordo ad vltimum finem, quod verissimum est; dicit etiam ibidem qu.109.ar.6., quòd ordo agentium est secundùm ordinem finium; ergo ad charitatem, quæ est ordo ad vltimum finem, non mouetur creatura a se ipsa, sed a Deo, qui est primum Agens; sicut ipse dicit, quòd ad victoriam, quæ est vltimus finis pugnæ, non mouetur miles a se ipso, sed a Duce.

Ad sententiam Philosophi dicimus, quòd grauia aguntur sursum ad impediendum vacuum, nec tamen naturaliter, immo violenter, si considerentur secundùm propriam formam, vt ipse D. Thomas dicit. Multa etiam patiuntur violentiam, dum aguntur, vt corpora, siue animata, siue inanimata, dum diuiduntur; hoc enim est contra eorum integritatem, atque adeo contra naturalem appetitum de propria integritate seruanda. Ergo falsum est, quòd vniuersaliter vnumquodque agatur, sicut aptum natum est agi. Sed limitanda est sententia; cùm, scilicet, agitur naturaliter, & nihil impedit, quod & ipse Philosophus ibidem dicit, & notat D. Thom. in Commento. Quo autem sensu moueatur naturaliter creatura, cùm mouetur a Deo ad dilectionem eius super omnia, diximus cap. præcedenti.

Ad allud de motu manus, dicimus, illum non causari, nec causari posse a particulari appetitu, seu inclinatione manus, nam nullus in ea est; &, si adesset, manus per eum declinaret ictum, non se ei exponeret; sed causari ab appetitu totius animalis, qui mouet omnia membra, & magis curat de salute totius corporis, quàm partis, & partis nobilioris, quàm ignobilioris. Sic graue mouetur sursum ad impediendum vacuum, non ab appetitu formæ propriæ, sed ex actione agentis vniuersalis intendentis bonum vniuersi,

Ad

Digitized by Google

Ad aliud de Ciue fortí, dicimus, quòd, ſi ille fortitudinem habet Chriſtianam, non mouetur ad illud opus niſi ex charitate, atque adeo ex motione Diuina, & ſupernaturali, non ex inclinatione naturali; quia, vt ait Auguſtinus de Spiritu, & littera cap. 29. & ex eo Auraſicanum cap. 17: *Fortitudinem Chriſtianorum Diuina charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus non per voluntatis arbitrium*, neq; ex inclinatione naturali, *ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Si autem fortitudinem habet gentilium, mouetur ad illud ex humana cupiditate, id eſt, ex appetitu laudis, & glorię; quia, vt ibidem dicitur: *Fortitudinem gentilium humana cupiditas facit*. De qua re nos ſupra diximus cap. 5. Si autem ciuis ille naturaliter eſſet pars ſuæ ciuitatis, moueretur ex actione capitis naturalis, ſeu rectoris ciuitatis, non ex inclinatione ſua particulari, ſicut de manu, & de elementis dictum eſt. Durandus adeo difficile expertus eſt probare, quòd pars ex ſe ipſa naturaliter magis inclinetur ad bonum totius, quàm proprium, vt nonnullis argumentis a ſe ipſo inductis, & reiectis, tamdem dixerit, ſpem ſibi eſſe, aliàs non defutura ſibi argumenta, in 2. diſt. 29. qu. 3. nu. 22.

Arguit ſecundò noſter Ægidius Quodlib. 4. q. 14., & in 2. diſt. 3. parte 2. qu. 3. dubio 2. Primò ſic. Deus eſt intimior nobis, quàm nos ipſi, magis enim facit ad noſtram conſeruationem, quàm nos; ſed vnio, ſeu coniunctio eſt cauſa amoris; ergo, &c.

Reſpõdetur, negando Maiorem. A nonnullis quidem ea tribuitur Auguſtino; ſed duo tantùm in Auguſtino pro ea reperio. Primum 8. de Trinit. cap. 7., vbi hæc dicit: *Exteriùs conantur ire, & interiora ſua deſerunt, quibus interior eſt Deus*. Secundum. 3. Confeſs. cap. 6.: *Tu autem eras interior intimo meo, & ſuperior ſummo meo*. Quibus tamen non dicitur, Deum eſſe intimiorem nobis, quàm nos ipſi, ſed quàm alia, quæ ſunt intima nobis, puta mens, affectus, voluntates. Neque propriè põteſt dici intimum, niſi quod eſt diſtinctum ab eo, cui eſt intimum, vnde nulla res poteſt dici intima ſibi, quia non in ſe ipſa, ſed ipſa eſt. Quare repugnat in terminis, vel ipſum Deum eſſe intimiorem nobis, quàm nos ipſi; Deus enim diſtinguitur a nobis, nulla verò res a ſe ipſa. Quoad alia verò, quę ſunt in nobis diſtincta a nobis, Deus eſt intimior, quia illabitur ipſi eſſentiæ noſtræ, eam tenens, & conſeruans. Atque hoc videtur conſideraſſe Diuus Thomas; quamuis enim ipſe teneat, vt vidimus, coniunctionem eſſe cauſam amoris, & inſuper, quòd Deus naturaliter magis ametur a nobis, quàm nos ipſi, non tamen id probauit

Digitized by Google

ex maiori coniunctione Dei ad nos; quod indicio est, id ab ipso non putatum verum.

Quare cùm Maior Argumenti sit euidenter falsa, erat ex opposito arguendum: Deus non est ita intimus nobis, sicut nos ipsi, sed coniunctio est causa amoris; ergo magis inclinamur naturaliter ad diligendum Deum, quàm nos.

Atque ita nos supra arguimus. Ex eo autem, quod magis operetur Deus ad conseruationem nostram, quàm nos ipsi, non sequitur, quòd Deus sit intimior nobis, quàm nos ipsi.

Secundò arguit. Bonum nostrum est participatio boni Diuini; ergo non est amandum nisi propter illud; ergo minùs est amandum, quàm illud, quia: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, primo Posterior.

Respondetur, a nullo negari, quin Deus sit magis a nobis amandus, quàm nos ipsi; sed præsentem quæstionem esse: an naturaliter inclinemur ad amandum magis Deum, quàm nos, quod est diuersum; itaque Argumentum non est ad propositum. Sed cùm dicit, bonum nostrum non esse amandum, nisi propter Diuinum, si sensus sit, eius amorem referendum ad Deum, verum est; si verò, non esse in illo rationem, qua possit, vel debeat amari secundùm se, sed totam rationem amabilitatis eius esse ipsum Deum, sicut tota ratio, qua amatur medicina ab egroto, est sanitas, falsum: nam si bonum est per se ipsum, vtique in se ipso habet, vnde ametur.

3. Tertiò, arguit Ægidius in 2. dist. 7. qu. 1. ar. 2. distinguens tres motus creaturæ rationalis, naturalem, gratuitum, & electiuum, ideſt, sequentem naturam, gratiam, & electionem voluntatis; &, per duos illos priores ait, creaturam ascendere vsque ad Deum, ideſt, diligere Deum super omnia; non autem per tertium. Sic autem arguit. Motus naturalis peruenit vsque ad locum sui principii, licèt illum transcendere non possit, ex. gr. motus grauium peruenit vsque ad centrum, quod est locus granitatis, vnde procedit: motus leuium vsque ad concauum Lunæ, quod est locus leuitatis. Sed creatura rationalis in amore naturali mouetur a Deo authore naturæ; ergo per talem motum peruenit vsque ad Deum. Ex quo infert, quòd negare, quòd creatura rationalis per amorem naturalem diligat Deum supra se, est negare, illam creaturam esse a Deo. Eodem modo probat de amore gratuito, quia ille est a Deo mouente per gratiam. Negat verò de electiuo; quia principium, inquit, eius est voluntas creaturæ; sed nullus motus ascendere

Digitized by Google

dere poteſt ſupra ſuum principium, ſiue locum eius; ergo per illum motũ voluntas non aſcendit vſq; ad Deum, ſed ſiſtit in ſe ipſa.

Reſpondetur primò, per Argumentum non probari, quòd creatura rationalis per amorem naturalem, vel etiam per gratuitum amet Deum ſupra ſe, ſed tantùm, quòd amet Deum: hoc enim ſufficit, vt dicatur peruenire vſque ad principium ſui motus, vel locum principii. At de hoc nulla eſt quæſtio. Secundò. Quòd ille motus tantùm refunditur in principium naturę, qui ſequitur determinatè, & neceſſariò naturam, ſiue formam ab eo datam: ideo enim motus grauium, & leuium refunduntur in generans, quia ſequuntur determinatè, & neceſſariò grauitatem, & leuitatem datam a generante; non enim generans immediatè cauſat illos, ſed quatenus dedit formam, ad quam illi neceſſariò ſequuntur: aliter omnes motus liberi creaturæ rationalis, etiam peccatã, refundendi eſſent in Deum, vel parentes datores naturæ, ex cuius facultate illi ſequuntur. Non ſequuntur autem determinatè, & neceſſariò naturam creaturæ rationalis, niſi amor ſui, & beatitudinis in communi, qui de amore ſui deſcendit, vel etiam primum vele iuxta aliquos Theologos: cæteri enim liberi ſunt; ergo non datur in ea amor naturalis Dei ſupra ſe procedens ex Deo authore naturę. Ergo Propoſitio Ægidii eſt de ſubiecto non ſupponente.

3. Natura etiam eſt principium motus eam determinatè, & neceſſariò ſequentis, ſicut natura grauis eſt principium motus deorſum; ſed nullus motus, vt dicit Ægidius, tranſcendit locum ſui principii; ergo amor, cuius principium eſt natura, non aſcendit ad Deum ſupra naturã; ergo per Argumentũ non id, quod intendit Ægidius, ſed oppoſitum concluditur. Etenim præcisè ex viribus naturæ eſt ille amor naturalis, etiam ſi dicatur refundendus in Deum, vt authorem naturæ, ſicut præcisè ex viribus grauitatis eſt motus deorſum, etiã ſi reducatur in generans naturam; & per conſequens vires naturæ ſunt principale, & adæquatum principium illius motus; ſed motus non poteſt aſcendere ſupra ſuum principium principale, & adæquatum; ergo, &c.

4. Motus electiuus non diſtinguitur a naturali propter diuerſam virtutem principii, a quo procedat, ſed tantùm tamquam liber, & indifferens a neceſſariò, & determinato; non enim electio, aut voluntas, prout eligens, habet particulares vires, ſed vtitur viribus naturæ, vel gratię, & intensè, & remiſsè prout vult, & poteſt vniuerſis vti; ergo ſi motus, ſeu amor naturalis, ſiue ex virtute naturæ peruenit ad Deum ſuper omnia, idem poterit amor electiuus, ſi omni-

Digitized by Google

bus naturæ viribus vtatur; atque idem poterit, si vtatur viribus gratiæ, nam & motus gratuitus est electiuus. Nulla ergo ratione contenditur illud de naturali, & gratuito, negatur de electiuo.

5. Quantitas motus naturalis mensuranda est ex viribus naturæ, a qua procedit, non agentis generantis naturam, licèt ipse reducatur in generans naturam; nam generans tantum dat de motu, seu loco, quantum dat de forma, siue natura, vt ipse Ægidius dicit; ergo ad definiendum, an creatura rationalis per amorem naturalem, idest, descendentem ex naturæ viribus possit amare Deum supra se, non sunt inspiciendæ vires Dei authoris naturæ, sed ipsius naturæ; sicut in motu grauis deorsum, & in ipso motu gratuito non attenduntur vires generãtes, & Dei authoris gratiæ, sed grauitatis, & ipsius gratiæ collatæ; ergo perperã probat Ægidius, naturã amore naturali diligere Deum supra se, quia ille amor refunditur in Deum authorem naturæ.

6. Locus, in quem impetu naturalis amoris fertur creatura rationalis non est Deus, sed ipsa natura: amor quippe sui illi est naturalis, summus, necessarius, & primus, vtpote, a quo procedant, vel quem supponant cæteri eius naturales amores; hinc ab amore Dei desistere potest, immo conuerti ad odium; ergo gratis, & falsò dicitur, quòd talis locus sit Deus.

7. Si ex vi naturę creatura rationalis diligit Deum supra se, non poterit non ita diligere, nullaque voluntate, aut vitio poterit fieri, vt ita Deum non diligat. Nulla enim res potest supra sui naturam, aut motus eius naturales. Hac ratione non potest illa exuere amorem sui, aut beatitudinis in communi, quantumuis deprauetur; ergo a fortiori non poterit exuere amorem Dei supra se, si, vt dicitur, est naturaliter magis inclinata ad amorem Dei, quàm sui, immo naturaliter inclinata ad amandum magis Deum, quàm se. Sed vtinam sic instituta esset nostra natura. Verùm non tantùm non sic instituta est, sed neque potest, aut ipsa, aut vlla creatura rationalis sic institui, vt in fine capitis septimi præcedentis insinuatum est. Ex his autem non tantùm solutum, sed, & redargutum est Argumentum Ægidi; ostensumque, quòd in multis peccat, & potiùs concludat oppositum. Quod sic vlteriùs ostenditur. Nullus motus ascendit supra suum principium, sed quilibet amor oritur ab amore nostri; ergo nullus excedit amorem nostri. Minor est Augustini relati supra cap. 6.

Ergo tantùm in duplici sensu assignato cap. 7. dilectio Dei super omnia dici potest rationali creaturę naturalis.

Quar-

Digitized by Google

Quartò arguitur. Homo viribus naturæ vult, Deum eſſe Deũ, &, ſe eſſe hominem non Deum; ergo maius bonum vult Deo, quàm ſibi; ergo viribus naturæ diligit Deum ſupra ſe.

Reſpondetur, per Argumentum probari, quòd homo diligat etiam Angelum ſupra ſe; immo omnes homines, qui in ſuperiori gradu dignitatis, vel fortunæ conſiſtunt, ſi illos non vult de ſuo ſtatu deiici, ſed patitur in illo conſiſtere. Dicitur ergo, quòd hoc non eſt amare alium ſupra ſe appretiatiuè, ſed tantùm obiectiuè, id eſt, non eſt potiùs velle bonum illius, quàm ſui, ſed contentum eſſe, quod ille habeat maius bonum, quàm habeat ipſe, quare eſt maius bonum, non magis amare. At amare alium ſupra ſe appretiatiuè eſt magis amare illum, quàm ſe, ideſt, potiùs velle omnia, & ſe ipſum amittere, quàm illum offendere. Hanc autem ſuperioritatem amoris quis dicat haberi ab omnibus, qui alios vident ſe excellentiores, & quieſcunt? Hoc modo amatur Deus a nobis, cùm amatur ſupra nos amore beneuolentiæ; ergo non concluditur per Argumentum, id poſſe naturaliter fieri. Addimus, impoſſibile eſſe, vt homo deſideret, ſe eſſe Angelum, vel Deum, ſi verè apprehendantur termini; ſi enim homo eſt, eſſe Angelus, vel Deus non poteſt; ergo, ſi deſiderat, ſe eſſe Angelum, vel Deum, non deſiderat ſe eſſe; ergo non poteſt deſiderare, ſe Angelum, vel Deum eſſe, niſi vel deſiderando ſe nõ eſſe, vel, ſe ſimul eſſe, & non eſſe.

CAPVT IX.

Soluuntur Argumenta pro damnata Propoſitione.

1. POteſt pro ea argui primò. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, quia ſibi ipſi ſunt lex, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, Rom. 2. 14. Factores autem legis iuſtificabuntur, ibidem 13. Sed Gentes aliam Fidem, ſeu notitiam de Deo non habent, niſi, quæ eruitur ex teſtimonio creaturarum; ergo hæc notitia, ſiue fides ſufficit ad ſalutẽ. Hoc Argumento vtitur Vega lib. 6. in Trident. cap. 17. & 20., vt probet, fidem de veritatibus ſupernaturalibus non fuiſſe, nec eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſed ſolius præcepti.

Reſpondetur, Apoſtolum ibi non loqui de Gentibus in ſtatu Gen-

Digitized by Google

Gentilitatis morantibus, sed de conuersis ad fidem, quod probat Augustinus de Spiritu, & littera cap.26.; Quia Apostolus præmiserat: *Virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco.*, & postea subdit: *Cùm enim gentes, quæ legem Dei non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, &c.* ergo eos hic significat nomine Gentium, quos priùs significauerat nomine Græci. Sed nomine Græci ibi significantur ex præputio conuersi ad Fidem, per contradistinctionem a circumcisione, quæ erat propria Iudæorũ; nõ enim potuisset promittere honorem, & pacem, & gloriam existentibus extra Euangelij gratiam; ergo non de Gentibus in statu gentilitatis morantibus, sed de conuersis ad Fidem dicit, quòd naturaliter ea, quæ legis sunt, faciant.

Quod potest confirmari: Quia lex scripta in cordibus non est nisi gratia Christi, vel Charitas; & opus legis scriptum in cordibus est opus procedens a gratia, vel charitate; ergo non potuisset de gentibus positis extra gratiam Euangelij dicere Apostolus, quòd ostendant opus legis scriptum in cordibus suis. Etenim pro magno Deus promisit, Ieremię 31., se scripturum legem suam in cordibus populi sui; in quo gratia noui testamenti promissa est, vt ait Augustinus ibi; quomodo ergo id potuissent gentes naturaliter habere, vt idem Augustinus arguit? Loquitur ergo de Gentibus conuersis ad Fidem, & de eis dicit, quòd non habeant legem Dei, ideſt, eam, quæ data est per Moysem populo tantùm Hebræo; faciant autem naturaliter ea, quæ legis sunt, ideſt, sine illa lege, sed per auxilium gratiæ, quo in eis sanata est natura; & ita explicat Augustinus de Spiritu, & littera cap.27. Et breuius 4. contra Iulian.cap.3. *Dicũtur*, inquit, *sine lege naturaliter, quæ legis sunt facere, quia, ex gentibus venerunt ad Euangelium, non ex circumcisione, cui lex data est, & propterea naturaliter, quia, vt crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura.*

Concedendum est autem, quòd factores legis iustificabuntur, sed lex seruari non potest nisi ab habente eam Fidem, vt probatum est cap.2. & 3.

2. Arguitur secundò ex eodem Vega, Apostolus Rom.1. arguit sæculi Philosophos, quòd cognoscentes Deum, non sicut Deũ glorificauerunt; ergo si glorificassent, salui fuissent; ergo suffecisset illis ad iustitiam, & salutem notitia naturalis de Deo, & glorificatio ipsius per bona opera.

Respondetur, negando Consequentiam, cuius probatio non affer-

Digitized by Google

affertur. Apoſtolus autem memorat peccatum illud Philoſophorũ, non ad inſinuandum, quòd, ſi peccato illo caruiſſent, ſalui fuiſſent, ſed ad aſſignandam cauſam, quare Deus in alia, & plurima peccata eos ruere permiſit: vnde ſubdit: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* Re vera autem non potuiſſent ſine Fide Chriſti Deum per bona opera glorificare.

3, Arguitur tertiò. Infidelis purè negatiuè, ideſt, qui numquam audiuit verbum Fidei, educatus in ſyluis, vel apud barbaras penitus gentes, ſi faciat bonum, & declinet a malo iuxta dictamen rationis, poterit iuſtificari, & ſaluari; ergo fides in Chriſtum non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

Reſpondetur, quòd ille ſic educatus, poterit & Dei cognitione carere; an ergo poterit ſine ea iuſtificari? Quinimmo, quomodo poterit ſine ea implere legem, cuius maximũ præceptum eſt de Deo diligendo, & colendo? Quomodo vitare omnia peccata collectiuè? Rectum verò rationis dictamen de proſequendis, & declinandis, nec facilè habebit: ſi enim extra præcepta communiſſima poteſt in aliquibus de lege naturæ dari ignorantia inuincibilis, vt communiter admittitur, maximè poterit in ſic educato. Concupiſcentiam verò carnis, nimiumque ſui amorem, ex quibus omnia peccata carnalia, & ſpiritualia prodeunt, quomodò ſuperaret nullo Diuinę gratiæ auxilio, & fortè, nec Dei cognitione imbutus, cùm illa etiam cum illis auxiliis, Deique cognitione, & timore difficillimè vincantur? Quomodo tamdem poterit ſuis viribus perſeuerare vſque in finem, cùm hoc ſit magnum Dei donum, vt loquitur Tridentinum can. 16. de iuſtificatione, & vtique per Chriſtum?

An fortè ex illa excuſatione iuſtificabitur, quia, ſcilicet, nec audiuit, quod crederet, aut operaretur, & ſi audiſſet, credidiſſet, & operatus fuiſſet? Sed multum eſt, vt ignorantia non ſolum excuſet, ſed etiam iuſtificet. Id vt Pelagianũ, ideſt, deſtruens Dei gratiam, exploditur ab Auguſtino epiſt. 105. ad Sixtum: *Quia ſi*, inquit, *illa excuſatio iuſta eſt, quiſquis ea vtitur, non gratia, ſed iuſtitia liberatur.* Itidem de Grat., & lib. arb. cap. 3. Qua autem fiducia poſſet ille proferre, aut iſti pro illo, ſe crediturum, & operaturum fuiſſe, ſi audiſſet, cum tam labilis, & mutabilis ſit humana voluntas, vt ſepiſſimè nec ſua propoſita firmiter, vt putat, concepta retineat? Operum inſuper conditionatè futurorum nulla ratio habetur in Diuino iudicio, vt patet ex Auguſt. de Dono Perſeuer. cap. 9. & 10., & de Prædeſt. Sanct. cap. 13., & de Gen. ad litt. lib. 10. cap. 15., & Epiſt. ad Sixtum, & Vitalem.

Et

Digitized by Google

Et nihilominus plurimi Theologorum, cum quibus, & D. Thomas (non tamen in Summa, sed in 3. dist. 28. qu. 1. ad 5., & dist. 42. qu. 1. ar. 5. ad 7.) dicunt, hominem illum sic educatum, & rectè iuxta naturæ legem viuentem ante mortem per Angelum, vel Prædicatorem, vel interna illustratione edocendum fore de Christo, vt saluus esse possit; quod etiam comprobant exemplo Cornelii Centurionis, ad quem missus est Petrus, & Eunuchi Reginæ Candacis, ad quem missus est Philippus, Actuum 8. & 10.

4. Sed, vel ipsi volunt ex gratuita Dei bonitate illum edocendum, vel ex debito iustitiæ ex natura rei, vel ex promissione contracto. Si primum; quando hoc ipsis reuelatum est, aut vnde notũ? Nec potest de eo generalis lex statui, nisi etiam diuinæ largitati leges præfigere velimus. Si secundùm: ergo ille supponitur iustus, & merito suę iustitiæ ius habens ad vitam æternam, siue regnum Cęlorum viribus naturę sine fide, & gratia Christi.

Probatur Consequentia: quia non alia ratione debetur, aut potest deberi illi ea illustratio propter ingressum ad vitam æternã, nisi quia illi debetur vita æterna: non enim potest alicui deberi medium ad finem, nisi quia illi debetur finis: immo hoc implicitè saltem, & virtualiter asserunt ipsi Arguentes. Ergo, vel ille omnino nõ saluatur per gratiam Christi, sed viribus suis; vel si aliquo modo per eam saluatur, quia, vt dicunt, necessaria est illi Fides Christi, vt saluus sit, Christus non tribuit, neque adiuuat meritum ad consequutionem salutis in eo, sed potius grauat: siquidem meritum, & ius ad salutem ille consecutus est viribus suis, per quas iuxta naturæ legem rectè vixit; impositũ autem est illi per Christum aliud obligationis onus, vt insuper credat in ipsum, & impeditus est illi ingressus ad vitam. Quare ille, & illi similes non debent agnoscere Christum vt Saluatorem, sed potius vt remoras apponentem salutis. Ergo iam Christus non tantùm gratis mortuus est, quantùm pertinet ad vim promerendi salutem, sed etiam impedimenta appositi illius, & non solùm infidelibus Iudæis, sed cunctis scandalum est; nam inferre impedimenta est inferre scandalum. O vbi estis fontes lacrymarum! exclamandum est hic cum Augustino contra Mendacium cap. 18. At Apostolus non dicit pro salute vltra obseruantiam legis requiri fidem in Christum, sed totus in eo incumbit, vt sine hac fide non posse illam seruari doceat, quod latissimè ostendimus in præcedentibus capitibus huius Disputationis, quæ pro rei grauitate, & gloria Iesu Christi Domini nostri, vehementer obsecro Lectores, vt diligenter meditari non grauentur. Nec dicit, sine fi-

de

Digitized by Google

de in Chriſtum poſſe haberi iuſtitiam, quæ tamen non perducat ad Regnum, niſi accedente illa fide; ſed nullam omnino haberi iuſtitiã ſine illa fide; immo ſine ea omnia cõoluſa eſſe ſub peccato, & omnes eſſe ſub maledicto propter inobſeruantiam legis, & neque ex Iudæis eſſe vel vnum, qui faciat bonum, immo omnes corruptos eſſe, & abominabiles, non intelligentes, aut requirentes Deum; &, quòd Chriſtus nos redemit de maledicto legis, non quidem eam abolendo quantùm ad naturalia præcepta, ſed dando vires pro eius obſeruantia, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti tantùm detur credentibus.

Et, quòd ſine gratia Fidei in Chriſtũ lex, ideſt, ipſe Decalogus Moyſis occidit, quia reddit præuaricatores, non tollens, ſed augens concupiſcentiam; quod maximè ponderat Aug. de Spiritu, & littera c. 14. Auguſtinus quoque clariſſimè de Natura, & Gratia c. 2. docet, quòd, ſi natura humana ex ſeipſa poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, debet eſſe ſecura de vita æterna, etiamſi non ſit imbuta fide Sanguinis Chriſti; quod etiam cap. 3. memorauimus; eſſe quoque impoſſibile, vt quis ſteriliter bonus ſit, ideſt, vt merito ſuę bonitatis vitam non conſequatur æternam, 4. contra Iulian. c. 3.

Et, quòd lex Moſaica data eſt ſuperbienti populo, vt cernens, ſe viribus ſuis imparem ad eius obſeruantiam, humiliatus confugeret ad gratiam; idque ſæpiſſimè inculcat. Hinc eſt eius ſententia 43. in libro Sententiarum: *Legis littera, quæ docet, non eſſe peccandum, ſi ſpiritus viuificans deſit, occidit. Scire enim peccatum potiùs facit, quàm cauere, & ideo magis augeri, quàm minui, quia malę concupiſcentiæ etiam præuaricatio legis accedit.* Et ſententia 44.: *Lex data eſt, vt gratia quæreretur; gratia data eſt, vt lex impleretur. Neque enim ſuo vitio non implebatur, ſed vitio prudentię carnis, quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit.*

Ergo non poſt impletam legem neceſſaria eſt fidęs Chriſti, ſed ad illam implendam, cuius impletio eſt iuſtitia, & dat ingreſſum ad vitam æternam, vt Chriſtus ipſe dixit Matth. 19. 17., & Lucæ 10. 20.: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et: *Hæc fac, & viues*; quia, ſcilicet, lex, ſaltem propter præcepta dilectionis Dei ſuper omnia, &, non concupiſcendi, ſeruari non poteſt ſine auxilio gratiæ per Chriſtum, quod non datur, niſi credentibns in eum; hocque beneficium confert nobis Chriſtus, & fides in eum, non onus, vt poſt impletam legem ſuperſit debitum credendi in eum, ſine qua Fide fruſtremur merito obſeruantiæ legis, iureque inde adepto ad gloriam. Ex quibus omnibus patet, quàm longè diſtent

Digitized by Google

a doctrina Apostoli, qui docent, hominem nullam habentem Christi notitiam posse seruare legem naturę, & adeo mereri vitam æternam, vt sibi ex iustitia debeatur reuelatio Christi. Tamdem. Si illi debetur reuelatio Christi, vel debetur etiam inspiratio fidei in Christũ, vel non: si debetur, id est apertissimè hæreticum, scilicet, vt fides detur ex merito; tũc non appareret illi gratia Saluatoris, nõ secũdũ huius misericordiã, sed ex operibus iustitię, quę ipse fecit cõtra Apost. Tit. 3.. Quamquam, & asserere, quòd debeatur reuelatio, videatur etiam pertinere ad Pelagianismum, cùm illam ad gratiã vocationis pertinere, fateri debeamus. Non potest autem dici, quòd non debeatur; nam si illi debetur regnum Cęlorum, debetur quoque medium necessarium ad illud consequendum; hoc autem est fides in Christum; ergo debetur illi inspiratio fidei in Christum; id autem ad Pelagianos pertinere, iam diximus.

5. Arguitur quartò. Tridentinum can. 1. de Iustificatione ita definit: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ, vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque Diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Ergo supponit, posse seruari legem absque gratia per Iesum Christum, licèt, desiniat, illam obseruantiam non iustificare nisi accedente gratia; ergo falsò dicitur, non posse illam seruari, nisi ab habente gratiam Fidei in Iesum Christum.

Respondetur, quinimmo Tridentinum indicare, absque gratia per Iesum Christum non rectè, & integrè seruari legem, quamuis aliqua eius opera, fortè externa, fiant, & ideo neminem absque illa gratia iustificari. Ad marginem illius Canonis citatur caput primũ sessionis 6., in quo Tridentinum declarat, ita per peccatum Adæ omnes eius posteros redditos esse seruos peccati, vt nec Iudæi possent per litteram Legis Moysis inde liberari, aut surgere. Qui autem diligit Deum super omnia, surgit de peccato; ergo Tridentinum supponit, non posse absque auxilio gratiæ præceptum dilectionis impleri, & per consequens nec seruari totam legem, cuius illud est maximum, & vniuersale præceptum, & ideo, neminem sine gratia iustum esse; nam aliàs certum est, quòd seruans totam legem iustus est apud Deum, & ingreditur ad vitam, vt ostendimus.

Prolixior fuit hæc Disputatio, quia ex eo præcipuè capite ostendere voluimus, fidem naturalem existentiæ, & Prouidentiæ Dei ex testimonio creaturarum non iustificare, ideſt, non esse fundamentum, & radicem nostræ iustitiæ, quia tunc oporteret, vt, vel ea posita consurgere posset ex viribus naturæ amor Dei super om-

Digitized by Google

omnia, & obſeruantia legis, vel Deus largiretur auxilia ſuę gratię ad illum amorem, & obſeruantiam, ſi non ſunt poſſibiles viribus naturę; ideo oſtendere neceſſarium fuit, quòd ille amor non ſit poſſibilis viribus illis, neque entitatiuè naturalis, neque erga Deum, vt authorem naturæ, & conſequenter, neque obſeruantia legis; &, quòd Deus nulli largitur auxilia ſuæ gratiæ ad illam dilectionem, & obſeruantiam, niſi habenti fidem in Chriſtum; ita vt prima gratia ad ſalutem, & iuſtitiam ſit vocatio ad Fidem in Chriſtum; quam Fidem etiam debere eſſe explicitam, ideſt, de incarnatione, morte, & reſurrectione Chriſti oſtendemus infra Propoſitione 64. In qua multa dicentur ad confirmationem, & clariorē intellectū eorū, quæ in hac Diſputatione dicta ſunt, cōducentia, & proinde omnino legenda. Fatemur autem hæc pertinere ad materiam de Neceſſitate Gratię; ſed & confutatio Propoſitionis id requirebat, & Nos magna propenſione voluntatis id egimus, quia ea, quæ diximus, multùm Nos mouent, & neceſſaria hoc tempore æſtimamus.

✠

Digitized by Google

DISPVTATIO XXI.

Contra Propositionem XXIV.

Vocare Deum in testem mendacij leuis non est tanta irreuerentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

CAPVT I.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 SI Propositio tantùm diceret, propter illud periurium non velle Deum damnare, videretur in Dei clementiam id refundere; de qua tamen non ampliùs præsumendum est, quàm colligatur ex Scripturis, ex quibus constat, Deum propter quodlibet mortale velle damnare.

Sed, cùm addit, nec posse, id refundit in naturam, seu meritum talis periurii, quia .s. leue sit, vnde & ait: *Non est tanta irreuerentia*. Quare indicat, illud esse tantùm veniale, quod tamen apertè proferre ausa non est.

Et tamen, etiã si id verum esset, nimis confidenter dicitur, Deũ non posse propter illud damnare: etenim attenta infinita maiestate Dei, quæ etiam per venialia offenditur, videtur Deus de summo rigore iustitiæ posseetiam propter veniale priuare gloria, & damnare, saltem, cùm illud non ex subreptione, aut imperfecta deliberatione, sed plena committitur. Et fortè in huius rei argumentum noluit Moysen, & Aaron ingredi terram promissionis propter culpam commissam ad Aquas contradictionis, licèt ea non fuerit plusquàm venialis, vt omnes dicunt, Num.20., & Deut.22. Terra enim promissionis figura fuit Paradisi Cœlestis. Hinc Hieronymus Epistola

Digitized by Google

ſtola ad Amicum tom. 9.: *Leue numquam eſt Deum, etiam in exiguo contemnere, qui non tantùm ad qualitatem peccati reſpicit, ſed ad perſonæ contemptum. Propter quod homini non ſolùm intuendum eſt quale ſit, quod iubetur, ſed quantus ſit ille, qui iubet.*

Neque poteſt dici, Heronymum loqui, quando adeſt contemptus formalis. Nam facit vim in Maieſtate Dei iubentis, quæ ſemper adeſt; contemptus verò formalis etiam erga humanum ſuperiorem mortalis eſt; quare nihil ſpeciale diceret de Deo. Et aliàs patet, quòd etiam ſecluſo contemptu formali, grauior eſt offenſa contra Superiorem maiorem, quàm contra minorem; ergo id intendit Hieronymus, propter ſummam Dei maieſtatem nullam inobedientiã præceptorum eius eſſe leuẽ. Et Author Libri de vera, & falſa Pœnitentia (qui pluribus ſęculis creditus eſt Auguſtinus, vnde plurima ex eo ſub Auguſtini nomine translata ſunt in Sententias, & Decreta) ſic loquitur: *Non conſiderandum eſt, quid fecerit, ſed quæm offenderit.* Itaque Propoſitio debebat ſaltem dubitatiuè loqui, nec tam audacter contra ius Dei pro peccatore ferre ſententiam.

2. Sed cùm dicit, propter leuitatem mendacii, quod iuramento firmatur, ipſum periurium eſſe leue peccatum, ſiue leuem Dei irreuerentiam, grauiter fallitur. Attendit enim ad eam regulam, quòd paruitas materiæ excuſat a lethali, ſed non attendit, quòd materia iuramenti non eſt propoſitio illa, quæ iuramento firmatur, quæq, poteſt eſſe de materia graui, vel leui, ſed Deus, qui vocatur in teſtem. Cuiuslibet enim actus materia, ſeu obiectum eſt id, quod per ipſum attingitur, vt in comeſtione cibus, in furto res aliena, in homicidio homo; ſed in iuramento Deus vocatur in teſtem; ergo ipſe Deus eſt materia iuramenti. Poteſt quidem etiam dici eius materia propoſitio, quæ iuramento fiamatur, ſed indirecta, et remota, quatenus super eam cadit iuramentum cum ſua materia proxima, quæ eſt Deus. At materia indirecta nihil confert ad grauitatem, vel leuitatem materiæ proximæ, & directæ, et per conſequens, neque actus circam eam verſantis. Cùm ergo Deus materia omnium grauiſſima ſit, et circa ipsũ immediatè verſetur actus iuramenti, patet, quanto errore excuſetur periurium a grauitate mortali propter leuitatem materiæ indirectæ, & remotæ, nulla habita conſideratione grauitatis materiæ proximæ, immediatæ, et directæ. Petrus Damiani libro 8. Epiſtola 10. dicit, periurum ſe ſeparare a corpore Chriſti, & myſteriis Redemptionis humanæ; nam, dum dicit: Hoc faciam, vel non faciam; ita me Deus adiuuet,

& iſtud

Digitized by Google

& istud Sanctum Euangelium, hoc cum Deo paciscitur, vt, si promissa non impleat, a Deo, vel S. Euangelio vlteriùs non iuuetur. Vnde dicit, quòd occludit contra se septem sigilla libri Agni, quę sunt Mysteria Christi vitæ, mortis, & glorificationis, ne scilicet sibi prosint. Ecce, quòd malitia periurij sumitur a vocatione Dei in testem falsitatis, non a mendacio, quod per ipsam firmatur, eaq; proinde malitia grauissima est.

3. Est igitur in periurio duplex malitia, altera ex mendacio, altera ex vocatione Dei in testem illius; si autem malitia prior leuis sit, non est leuis quoque secunda; non enim mensuratur ab illa, immo mensuranda est ex ipsa intrinseca eius peruersitate, qua veritas adducitur in testimonium falsitatis. Quæ peruersitas ex sui natura grauis est, & mortalis.

Quod probatur. Primò. Quia si mendacium sit mortale, eo quia vergat in graue damnum bonorum externorum proximi, ipsa quoque vocatio Dei in testem mortalis erit, quod concedit Propositio; sed non euadit mortalis propter grauitatem mendacij, quod per ipsum firmatur; ergo semper, et ex sua natura est talis. Probatur Minor, quia tunc Periurium redderetur mortale propter illud graue damnum, quod infert proximo, ex natura autem sua quatenus offensa Dei in se ipso esset veniale; ergo grauior est offensa proximi, etiam in solis bonis externis, quàm Dei in se ipso immediatè, quod procul dubio absurdissimum est; Et ulterius: offensa creaturæ in bonis externis grauabit offensam Dei in se ipso, quod est impossibile, quia sunt offensę disparatę, nec vna est circumstantia, aut gradus alterius; ergo dicendum est, Periurium ex sui natura esse mortale.

Confirmatur. Quia veniale est mendacium, quo in purè speculabilibus, vel naturalibus falsa Doctrina traditur, aut antiquorum, siue ignotorum res gestæ falsò narrantur. Si autem quis ea iuramento firmet, quæritur, an peccet mortaliter; si enim affirmatur, sequitur, quòd periurium ex natura sua sit mortale, aliter fieret mortale, eo quia coniungitur cum peccato veniali, quod absurdissimum est. Si autem negatur, sequitur, quòd eiusdem grauitatis sit peccatum contra veracitatem in nullius offensam, & peccatum contra Religionem in offensam Dei in se ipso.

Nec sufficit dicere, quòd hoc sit grauius illo intra eamdem speciem malitiæ venialis. Nam offensa Dei in se ipso non solùm gradu intra idem genus, sed genere grauitatis debet differre ab iis peccatis, quibus offenditur creatura; nam dignitas Dei non solùm gra-

Digitized by Google

gradu, ſed genere, & ordine, immo improportionabiliter excedit dignitatem cuiuſq; creaturæ. Hinc D. Thom. 22. q. 13. ar. 3. ad 1. docet, quòd ipſa venialia, immo actus boni ex genere ſuo euadunt peccata mortalia, ſi fiant in irreuerentiã Dei; quę eſt etiam doctrina communis.

Confirmatur 2. Quia reuelatio vnius peccati venialis in confeſſione Sacramentali cogniti mortalis eſt propter dignitatem Sacramenti, cuius ſigillum frangitur; ergo vocare Deum in teſtem, etiam leuiſſimi mendacii mortale eſt propter maieſtatem Dei, cui tunc fit iniuria.

4. Sed quia non deſunt Theologi, qui putent aliquam irreuerentiam erga Deum poſſe eſſe ita leuem, vt ſit tantummodò venialis, proindeque aliquam offenſam creaturæ poſſe eſſe grauiorem offenſa Dei in ſeipſo, quod de homicidio reſpectu blaſphemię contendit Abulenſis, probemus ſpecialiter, quòd vocare Deum in teſtem falſitatis, ſit grauis eius iniuria, proindeque mortalis. Id autem probamus primò. Quia vir honoratus in grauem ſui contumeliam ferret, haberi teſtem falſum, etiam in re minima; id enim reputatur infame; quod grauiter oſtendit Tullius pro Roſcio Comędo; qui etiam propterea tamquam infames traducit Græcos Oratione pro Flacco, eo quia teſtimoniorum Religionem non ſeruarent, illa ſibi mutuò impendentes, & rependentes. Legibus etiam militaribus Romanis fuſte cædebatur miles, qui falſum teſtimoniũ dixiſſet, ſicut qui aliquid ſuſtuliſſet e caſtris, vel ætatis flore abuteretur: & de rigore iuſtitiæ falſi teſtes capite puniuntur cap. ad legem Iuliam de Falſariis.

2. Quia, cùm peccatum ſit perturbatio ordinis ex Auguſtino 22. contra Fauſtum cap. 27., vbi maior perturbatio, ibi grauius peccatum; magna autem perturbatio eſt, cùm veritas, ideſt, Deus adducitur in teſtimonium falſitatis; trahitur enim tunc oppoſitum ad oppoſitum, lux ad tenebras, rectitudo ad irrectitudinem. Auguſtinus contra Mendaciũ c. 20. pro certiori habet, mendaciũ eſſe peccatũ, quã violationẽ caſtitatis; ſi enim, inquit, ideo caſtitatẽ violare peccatũ eſt, quia oppoſitũ habet veritas, quãtò magis mentiri peccatum eſt, quod apertiſſimè ipſi opponitur veritati? Et tamen, cùm violatur caſtitas, non ipſa trahitur ad libidinem, ſed abiicitur, vt ſeruiatur libidini; quantò ergo non tantùm certiùs, ſed & grauiùs peccatum eſt, cùm ipſa veritas trahitur ad falſitatem, vt illi ſeruiat?

3. Quia Martinus Quintus in fine Concilii Conſtantienſis ad internoſcendos Huſſitas iuſſit inquiri: an is, de quo exquirebatur,

an

Digitized by Google

an esset ex illa hæresi, crederet, periurium scienter admissum esse mortale, etiam pro vitæ conseruatione, aut in fauorem Fidei factum. Etenim Hussitæ periurium ex illis, aut similibus causis dicebant, esse leue peccatum, immo non peccatum, sed honestum. Id igitur Pontifex pro nota hæresis habebat. Si igitur fines illi adeo honesti, & graues non excusabant periurium a lethali, quantò minùs leuitas materiæ indirectę, & remotæ? immo adeo peruersa aliis hæreticis visa est excusatio periurii a lethali ex illis finibus, vt Daniel Plancinus Caluinista eam doctrinã obiecerit Concilio Constantiẽsi ad ipsum exautorandum. Addit Toletus lib. 4 c. 21. definitũ in eodẽ Concilio per Bullam Martini, quòd periurus etiam in materia leui peccat mortaliter; sed eam Bullam nobis videre non contigit. Sed, quia Authores Propositionis illi regulę inniturtur, quòd paruitas materię excusęt a lethali, ideo ad maiorem confutationem Propositionis, & ad plurium dubiorum intelligentiam, & enodationem sit.

CAPVT II.

Ostenditur, leuitatem materiæ non semper alleuiare peccatum, aliquando et grauare.

1. OStendendum est, non semper ex paruitate materiæ diminui grauitatem peccati, aliquando et augeri; etiam si sit materia immediata, et directa, qualis non est, vt ostendimus, mendacium respectu periurii.

Id autem facilè ostenditur. Primò. Quia peccatum Adæ fuit admodùm graue, vt patet ex eius effectibus (& inconsideratè prorsus Diana dixit, esse probabile, quòd Deus suo præcepto voluerit Adam grauiter obligare, quasi id non sit certissimum). Et tamen fuit in materia leuissima, idest, vnico pomo; quia nimirum ipsa leuitas materiæ illud grauauit: magna enim inobedientia fuit non abstinere ab vnico pomo, quod facillimè fieri poterat, vt sępè ait Augustinus. Si enim aliquod magnum, & onerosum fuisset ei præceptum, alleuiaretur peccatum transgressionis ex difficultate obedientiæ; sed quia facillimum, ideo grauatur inobedientia. Apud Spartanos grauiter plectebanrur, qui non obtemperassent precepto de radenda barba eo die, quo Ephori Magistratum inissent; quia scili-

Digitized by Google

ſcilicet, ea res facilis exequutionis erat, ideo tranſgreſſio pro magna inobedientia habebatur.

2. Quia Pheudatarii grauiter delinquunt, niſi pendant, quod ipſis in recognitionem alti dominii a Dominis Pheudorum impotitum eſt, adeo vt puniantur amiſſione Pheudi; & tamen illud quãdoque eſt leuiſſimum (Hieroſolymitani Equites pro Inſula Melita non ampliùs quotannis pendunt Hiſpano Monarchæ, quàm vnum accipitrem); ergo leuitas materiæ non ſemper alleuiat, immo in hac re grauat, quia maiore culpa omittitur, quod facilè præſtari poteſt.

3 Quia in officiis amicitiæ, ſi paruum quid iure amicitiæ petitum denegetur, grauis cenſetur læſio amicitiæ, & digna, quę amicitiam abrumpat: non ſic, ſi aliquod magnum, & oneroſum petatur.

Confirmantur hæc omnia ex dicto Auguſtini de eleemoſynis erogandis libro primo contra Aduerſarium: *Perparuum eſt, quod in eleemoſynis datur, & ideo magna impietate non datur.*

2. Sed, cùm aliquando paruitas materiæ alleuiet peccatum, vt patet in eo, qui parùm comedit extra prandium in die ieiunii, vel parùm furatur; aliquando grauet, vt oſtendimus, video huius diſcriminis reddendam eſſe rationem, quam apud nullum me recolo vidiſſe.

Igitur, cùm aliquid præcipitur, vel petitur in experimẽtũ obediẽtiæ, aut ſignum dominii, vel experimentũ alterius vtrtutis, quã quis profitetur, vel habere tenetur; tunc niſi præſtetur, leuitas materię nõ minuit, ſed potiùs aggrauat delictum. Patet ex dictis; ideo enim Adę tranſgreſſio, quamuis in materia leui, fuit grauis, quia præceptum traditum fuit in ſignum dominii Dei, & obedientię Adæ, quare tranſgreſſio fuit excuſſio dominii; neque enim alia cauſa adfuit, cur daretur præceptũ, vt ait Auguſtinus 8. de Geneſi ad litter. ca. 13. Qui etiam ſermo. 34. de verbis Domini ſecundùm Lucam, ſic ait: *Bona eſt arbor, nolo tangas. Quare? Quia Dominus ſum, & tu ſeruus. Hæc tota cauſa eſt. Si parua eſt, dedignaris eſſe ſeruus.* Ex quo patet, non ideo præceptum illud, & ſi in materia leui, grauiter obligaſſe, quia probabile eſt, Deum ſic voluiſſe, vt ait Diana; ſed quia datum in illud ſignum. Hinc Regularibus graue peccatũ eſt, non facere opus iniunctum in ſignum obedientiæ, etiam ſi illud non ſolùm paruum ſit, ſed abſurdum videatur, quale D. Franciſcus Aſſiſias aliquando ſuis præcepit Fratribus, vt, ſcilicet, caules plantarent frondibus deorſum, radicibus ſurſum; & Antiſtita noſtræ B.

Digitized by Google

Ritæ de Cassia, vt lignum aridum irrigaret; quia, scilicet, graue est, debitum, vel votum obedientiæ abiicere, vel contemnere. Ideo etiã Pheudatarii eo grauiùs delinquũt, quò exilius est, quod præstare debẽt, quia in recognitionẽ alti dominii illud impositũ est. Ratio autem est; quia etsi res præcepta, vel imposita leuis sit, causa tamen præcipiendi, vel imponendi, vel causa obediendi, & implendi est grauis, nimirum manutenentia dominii, vel authoritatis, & ostensio virtutis, quam quis profiteri tenetur: hæc enim conseruantur, cùm impletur præceptum, vel impositio, & læduntur, vel abiiciuntur, cùm non impletur.

3. Idem apparet in iis, quæ præcipiuntur in signum Fidei, vel Religionis. Eleazarus enim, 2. Machab. 6. eiusq; filii cum matre maluerunt cruciatus, & mortem acerbissimam subire, quàm, vel tantillum suillæ comedere, cùm tamen aliàs in ea comestione potuissent fortè excusari saltẽ a mortali ex paruitate materiæ, vel ex necessitate seruãdæ vitæ; in fame sicut excusati sunt alii Machabæi pugnãtes die Sabbati: sed quia tunc illa comestio fuisset signũ abiectæ, & proditæ Iudaicæ Religionis, moriendum potiùs fuit, quàm comedendum. Et si enim comestio parua res erat, magnum tamen erat Religionem abiicere, vel eius abiectionem ostendere. Hinc non minuebatur eorum peccatum, sit tunc, vel minimam suillæ quantitatem comedissent, sicut diminutum fuisset, si aliàs comedissent ex gulę cupiditate; nam eque erat signum abiectæ Religionis.

Ita etiam in iis, quæ petuntur titulo, siue iure amicitiæ: fes enim grauis est conseruatio, & ostensio amicitiæ; qui autem leui de causa eam offendit, videtur de illa non curare, vel eam abiecisse; ergo grauiter offendit amicum; & eo grauiùs, quò leuior est causa, propter quam illum offendit.

Idipsum apparet in eleemosynis. Quò enim minus est id, quod dare quis renuit pro proximi necessitate subleuanda, minùs eum diligit.

In his igitur omnibus, & similibus, licèt parua sit res, quę præcipitur, vel imponitur, vel petitur, magna tamen est causa imponendi, vel exhibendi, & ideo grauis transgressio, vel recusatio.

At cùm actus non præcipitur hisce de causis, siue titulis, sed absolutè propter ipsum, ideſt bonitatem eius, tunc paruitas materiæ alleuiat actum contra præceptum; quia, scilicet, tunc leue bonum amittitur, vel leue malum committitur.

In Proposito autem de periurio militat ratio, vt grauior appa-

Digitized by Google

pareat eius malitia, cùm eſt in mendacio leui; nam grauior appareret irreuerentia, & contemptus Dei, cùm pro paruo, vel bono lucrando, vel malo auertendo adducitur in teſtem falſitatis; paruum enim quid, vel boni acquiri, vel mali vitari poteſt per mendacium in materia leui.

CAPVT III.

Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.

1. PRo ea arguitur. Primò ſic. In periurio de materia leui non adeſt contemptus Dei, niſi qualis adeſt in qualibet tranſgreſſione præcepti; ergo non adeſt ratio, cur non excuſetur a mortali ex leuitate materiæ, ſicut aliæ tranſgreſſiones.

Reſpondetur primò, materiam periurij non eſſe propoſitionem, quæ iuramento firmatur, vt ſupponit Argumentum, ſed Deum, qui vocatur in teſtem, vt capite primo dictum eſt; proinde numquam leuem eſſe eius materiam, niſi Deus ſit res leuis. 2. Nec etiam, quando mendacium iuramento firmatum eſt in materia graui adeſſe in periurio formalem Dei contemptum, et tamen tunc etiam per Arguentes illud eſſe mortale. 3. Periurium non ferre quidem ex ſui natura formalem Dei contemptum; ſed tamen nec tantùm illum, qui adeſt in qualibet tranſgreſſione præcepti: conſtat enim, maiorem adeſſe contemptum Principis, cùm offenditur in ſe ipſo, quàm cùm in ſuis ſubditis, ſimiliter, & cuislibet hominis, cùm offenditur in ſui perſona, quàm cùm in bonis externis; ſed periurio Deus offenditur immediatè in ſe ipſo, ſicut, et per quælibet peccata contra præcepta primæ tabulæ, per alia verò offenditur in ſuis creaturis; ergo grauior eſt contemptus Dei in periurio, quàm in peccatis contra creaturas. Hinc periurum appellat Auguſtinus ſer. 28. aliàs 30. de verbis Apoſtoli: *Belluam deteſtandã, & de rebus humanis exterminandam*. Quod de quolibet peccante mortaliter non diceret. Subditq;, ideo Apoſtolum Iacobum cap. 5. omne iuramentum inhibuiſſe, ne vlla occaſio daretur grauiſſimi criminis periurii. Diſtinctio verò periurij in materia graui, vel leui ad minuendam grauitatem peccati numquam reperitur apud Au-

Digitized by Google

gustinum, alioſue Patres, immo, nec apud antiquos Scholasticos; sed de multa Recentiorum facilitate, aut fortè subtilitate descendit.

2. 2. Arguitur a Diana ver. *Voti obligatio* nu. 22. Grauitas peccati non est sumenda a quantitate, & necessitate obiecti, sed a magnitudine, & paruitate materiæ, vt patet in furto; ergo periurium in materia leui non est mortale.

Respondetur primò, Argumentum in eodem viſco hærere, quo superius, nimirum, quòd materia periurii sit propositio, quę per ipsum firmatur. 2. Quantitatem, & magnitudinem idem esse, similiter obiectum, & materiam actus: non apparet ergo sensus Propositionis, cùm dicitur, grauitatem peccati nō esse desumendum a quantitate obiecti, sed a magnitudine materiæ, immo videtur repugnantia in terminis. 3. Quam dicat necessitatem obiecti, a qua negat desumendam grauitatem peccati, non apparet; immo falsum apparet, a necessitate obiecti non sumi grauitatem peccati; etenim, si res furto sublata necessaria sit ei, a quo sublata est, vt subula sutori, & vnus panis ad subsistentandam vitam alium non habenti, grauatur furtum. 4. In furto etiam grauitatem eius desumi posse, non tantùm a quantitate materiæ, sed ex alio capite, vt mox exemplificatum est; sicut ex eo, quòd res sit publica, aut Deo dicata. 5. Non omnia peccata mensuranda esse secundùm regulas furti; qua enim ratione id suaderi potest?

3. 3. Arguitur. In voto datur leuitas materiæ excusans a mortali; ergo etiam in periurio. Consequentia sequitur a fortiori; quia docet D. Thomas 22. quæst. 89. art. 8., maiorem esse obligationem voti, quam iuramenti; vel si hæc doctrina non recipiatur, sequitur a pari. Antecedens probatur; quia votum, quod est lex priuata, non potest amplius obligare, quàm lex publica Diuina, aut humana; sed in his leuitas materię excusat a mortali; ergo, &c.

Respondetur 1. Argumentum probare, quòd detur leuitas materiæ excusans a mortali peccatum de voto non soluto, seu non impleto; quod non est ad propositum. Non enim hic disputamus, an possit ex leuitate materiæ excusari a mortali peccatum de iuramento non adimpleto; sed, an ipsa vocatio Dei in testem falsitatis possit excusari ab ea grauitate peccati. Quare nec doctrina Diui Thomæ adducitur ad propositum. Si autem paritas afferatur hoc modo: vouere sine animo adimplendi excusatur a mortali, quando res, quę vouetur, est leuis; ergo iurare falsum excusatur a mortali, quando res, pro qua iuratur, est leuis. Si, inquam, hoc modo ar-

Digitized by Google

arguatur: Antecedens eſt falſum: illud enim eſt illudere Deo, quod ex ſui natura eſſe mortale patet per Innocentium capite *de Homine* de Celebratione Miſſarum; vbi dicit, Sacerdotem propter conſcientiam peccati mortalis non conſecrantem, ſed purum panem, vinumque ſumentem, peccare mortaliter, quia illudit Deo. Immo grauius peccatum eſt illud, quàm non ſeruare votum ex animo adimplendi factum, quia grauius eſt illudere Deo, aut Principi humano, quàm non ſeruare illis fidelitatem; vouere autem ſine animo adimplendi eſt illudere Deo.

Nec ipſa Conſequentia Argumenti eſt certa: videri enim poteſt, quòd grauius ſit putare Deum falſum teſtem, quàm ei illudere.

Igitur, etiam ſi leuitas materiæ poſſit excuſare a mortali peccatum ob votum non ſolutum, non ſequitur, quòd poſſit excuſare peccatum, quod eſt in inuocatione Dei in teſtem falſitatis, ſicut nec peccatum in promiſſione Deo facta ſine animo adimplendi.

Verùm, quia materia, quam tangit hoc Argumentum, grauis eſt, nec non affinitatem habet ad materiam Propoſitionis, quam verſamus, libet eam diſcutere, ſit ergo.

CAPVT IV.

An leuitas materiæ excuſet a mortali peccatum ob votum non ſolutum, ſeu iuramentum promiſſorium non ſeruatum.

1. ALiqui affirmant abſolutè, ideſt, etiam ſi res voto promiſſa, aut iuramento firmata ſit totalis, ideſt, non pars alterius. Hinc Villalobos aſſerit, non peccare pluſquàm venialiter eum, qui *Aue Maria* dicendum ex voto ſingulis diebus, per totum annum omitteret.

Alii affirmant, ſi res, vel materia ſit partialis; negant, ſi totalis. Ex. gr. ſi aliquis voueat, vel iuret, ſe dicturum vnum *Aue Maria* peccat mortaliter, niſi dicat, quia ipſa, quamuis ſit materia parua, eſt tamen totalis iuramenti, vel voti. Si autem omittat paruam partem eius, peccat tantummodò venialiter.

2. Ad hanc rem confirmandam magna, vt ſolet, authoritate, ſe-

Digitized by Google

sequentem doctrinam producit Caietanus 22. qu. 89. art. 7. §. *Ad primum* Modicum, inquit, vel parum non dicitur, nisi relatiuè ad alterum, tamquam pars, vel quasi pars eius; nam, quod accipitur, vt quoddam totum secundùm se, non habet rationem modici, sed totius. Sic, si quis voueat recitare die Dominico totum Psalterium, non peccat, si omittat vnum versum, quia modicum pro nihilo reputatur: at, si solùm vouisset vnum versum, est fractor voti, si omittat. Quod confirmat; quia prima transgressio habet rationem actus imperfecti, secunda perfecti.

At quia ipse vidit, etiam quæ sunt tota secundùm se, seu non partes alterius posse esse modica, vt vnum pomum, cuius furtum propter paruitatem materiæ non est mortale, aliam affert rationem: *Præcepta*, inquit, *Dei dantur de generibus, quasi de aliquibus totis, puta, de non auferendo alienum (hoc enim*, inquit, *quod dico, alienum habet rationem totius) nec sunt determinata vniuersaliter ad minimas res, sed ad genera tantùm; & propterea in eis modicum in se, etiam si seorsim fiat, pro nihilo reputatur; vt patet de accipiente alienum pomum.*

3. Hæc doctrina falsa, confusa, & sibi ipsi repugnans est.

Primò. Magnum, & paruum dicuntur quidem relatiuè ex cap. de Ad aliquid, sed non tamquam totum ad partem, vel pars ad totum: aliter quodlibet magnum esset totum respectu partis, etiam non suæ, si ei comparetur, & quodlibet paruum esset pars cuiuslibet totius, cui compararetur, & sic, cùm terra sit quid paruum respectu Cœli, esset pars Cœli, & aqua esset pars ignis, quia est paruæ quantitatis respectu ignis. Et nihil confert subterfugium illud *pars, vel quasi pars*; nam terra neque potest dici quasi pars Cœli; & ly, *quasi* dum minuit, vel negat veram rationem partis, non potest aliud denotare, nisi minorem quantitatem respectu magnæ, cui comparatur; ergo cùm dicitur, quòd paruum sit quasi pars magni, non aliud dicitur, nisi quod paruum sit minoris quantitatis, quàm magnum; hæc autem est apertissima battologia, nam illud clarissimè, explicatur per ipsos terminos parui, et magni.

2. Battologia etiam est, cùm dicitur: *Cum aliquid accipitur vt totum secundùm se, non habet rationem modici, sed totius*. Hoc enim idem est, ac dicere, totum habet rationem totius; & prorsus absurdissimè opponitur ratio totius rationi modici, & e contra; quasi totum non possit esse modicum, & modicum non totum. In quantitate discreta possunt esse omnes, qui sunt pauci, si nimirum non alius pertineat ad eorum numerum: sic omnes Apostoli sunt duo-

Digitized by Google

duodecim, qui numerus non eſt magnus; & poſſunt eſſe plurimi, nec tamen omnes, vt centum millia in Ciuitate Neapolitana, quæ habet quingenta milla ciuium. Sic ergo in continuis poteſt eſſe aliquod modicum, & tamen totum, vt vna nux, vnum paruum malum; & poteſt eſſe aliquod magnum, nec tamen totum, vt medietas Elephantis, vel Elementi. ergo modicum non diſtinguitur a toto, ſed a magno.

3. Ad defendendum, quòd modicum ſe habet ad magnum, vt pars ad totũ, non debebat aſſumi, quòd totum non ſit modicum, ſed, quòd totũ non ſit pars, hoc enim et verum eſt, & propoſito cõducere poterat, illud verò falsũ; ergo abſurdiſſimè hic diſcurrit Caietanus.

4. Cùm probat, omiſſionem vnius verſus in eo, qui vouit totum Pſalterium, eſſe venialem, quia habet rationem actus imperfecti, omiſſionem verò Aue Maria in eo, qui eam ſolam vouit, eſſe mortalem, quia habet rationem actus perfecti: primò non permanet in fundamento ſuo de toto, et parte, & de magno, et modico, immo a toto, et parte, ſeu magno, et modico ex parte materiæ tranſit ad perfectionem, vel imperfectionem ex parte actus, quod eſt quid longè diuerſum; poteſt enim etiam ad totum, ſiue magnũ dari actus imperfectus, ſicut ad partem, ſiue paruum actus perfectus; & diuerſum eſt, peccatum eſſe graue, vel leue propter perfectionem, vel imperfectionem actus (nam etiam peccatum ex ſua natura mortale diminuitur ad veniale propter imperfectionem actus) diuerſum, eſſe tale propter quantitatem, vel modicitatem materiæ; Igitur et omiſſo recitationis *Aue Maria*, poteſt eſſe ex actu imperfecto, et omiſſo recitationis vnius verſus ex toto Pſalterio poteſt eſſe ex actu perfecto. Igitur omninò illa probatio Caietani inepta eſt; ratio autem diuerſitatis peccati inter illas omiſſiones eſt, quia vnus verſus in toto Pſalterio nec eſt materia totalis illius voti, nec magna; *Aue Maria* verò eſt materia totalis voti, licèt in ſe ſit res parua.

5. Quòd precepta Dei dentur de generibus, quaſi de aliquibus totis, eſt obſcurè dictum; nec ſufficienter explicatur per id, quod ſubditur: *Hoc, quod dico alienum, habet rationem totius*, nam hoc ipſum eſt obſcurum. Eplicandum ei erat, quo ſenſu dicat, præcepta Dei dari de generibus; et quo itidem ſenſu genus ab ipſo dicatur totum. Certè enim præcepta Dei non ſunt de generibus Logicè, vel Mathaphiſicè ſumptis, ideſt, de naturis abſtractis, ſeu de conceptibus obiectiuis noſtri intellectus, nam hæc non ſunt actus, vel omiſſiones voluntariæ, quæ ſolum cadunt ſub præcepto. Sunt

ergo

Digitized by Google

ergo de generibus, ideſt, de omnibus, et ſingulis actibus pertinentibus ad materiam præcepti; vt præceptum de non furando eſt de omnibus, & ſingulis furtis. Sed hoc modo intellecto genere, qua ratione ſubditur, ea præcepta non eſſe vniuerſaliter determinata ad minimas res, ſed ad genera tantùm, et propterea in eis, modicum in ſe, etiam ſi ſeorſim fiat, pro nihilo reputari! Numquid minimę res ſunt pręter genera rerum, vel contradiſtinguntur ab ijs generibus? aut actus circa minima, non eſt in genere actus? Reuera enim de actibus dantur præcepta, non de rebus; & abſurdè, niſi fortè etiam captiosè, Caietanus ab actibus, de quibus ſunt præcepta, tranſit ad res, quæ ſunt obiecta actuum. Cùm enim dixiſſet: *Præcepta dantur de generibus, quaſi de aliquibus totis*, puta, *de non auferendo alienum*, ſubdit: *Hoc enim, quod dico alienum, habet rationem totius*. At dicere debebat: Hoc, quod dico, auferre alienum; nam de non auferendo alieno datum eſt præceptum, non de alieno. At quia Ipſe vidit, quòd auferre alienum adeſt iu quolibet furto, etiam rei minimæ, vellet autem ab obligatione præcepti eximere furta rei minimæ, tranſit ab actu auferendi ad materiam, ſiue rem ablatam, ſicut ſupra a magnitudine, & modicitate materiæ tranſit ad perfectionem, vel imperfectionem actus.

4. Quo in ſuper ſenſu dicit, genera eſſe tota? Si, quia comprohendunt omnes ſpecies, & indiuidua, profectò etiam minimum indiuiduum comprehendunt; & ſic etiam furtum rei minimæ comprehenditur ſub genere furti, quod ipſe non vult. Quomodo etiam dicit ly alienum habere rationem totius? Quantùm enim ad rem, etiam pars rei alienę aliena eſt. An quia alienum ſeorſim, et ſimpliciter ibi ab eo nominatur, ideſt, absq; relatione ad aliud? At hoc quid eſt, aut quantn valet ad propoſitum? Etiam minima furta poſſunt ſeorſim non ſolùm nominari, ſed etiam fieri; igitur habebunt rationem totius, quod ipſe negat. Et notandum eſt aliud Caietani artificium. Cùm enim dixiſſet, præcepta non eſſe vniuerſaliter determinata ad minimas res, ſed ad genera tantùm, ſubdit: *Propterea in eis modicum in ſe, etiam ſi ſeorſim fiat, pro nihilo reputatur*. At conſequenter ad premiſſa dicere debebet: modicum non habet rationem totius. Sed quia hoc euidenter falſum eſt, cùm illud ſeorſim fit, maluit, ſeu potiùs coactus eſt dicere: *Pro nihilo reputatur*. Non aduertens huius dicti reddendam fuiſſe rationem, cur, ſcilicet, illud modicum pro nihilo reputatur. Quæ reddi non poteſt ex illo ſuo principio, quòd, ſcilicit, præcepta dentur de generibus, quaſi de totis. Si autem Caietanus eo ſenſu dicat, præcepta dari de totis, ideſt,

Digitized by Google

ideſt, de rebus magnis, non de paruis, id falſum eſt, & apertiſſimè petitio principii, ſeu ſuppoſitio eius, quod probandum erat. Sed fruſtra a ratione, ſeu obligatione præcepti, quod, vt ait, datur de toto, eximere conatur actus erga minima. Si enim eximerentur, nec peccata venialia eſſent, quia, vt ait Auguſtinus 2. de Peccat. merit., & remiſſ. cap. 16., non poteſt aliquid eſſe peccatum, niſi diuinitùs iubeatur, vt non ſit; ſed facta minima ſunt peccata venialia; ergo cadunt ſub præcepto. Sed & nulla neceſſitate ad eam doctrinam excogitandam compellebatur Caietanus. Poſſunt enim actus circa minima ſufficienter, & clarè defendi a ratione peccati mortalis, etiam ſi dicatur, ad eos quoque extendi præcepta: quia, ſcilicet, parùm obuiant præcepto, parùm turbant ordinem rerum, parum lædunt proximum.

5. Ad Quæſtionem igitur reſpondendum eſt cum ſecunda ſententia, addendo tamen, quòd etiam omiſſio materiæ partialis ſit lethalis, quando ea magna eſt: non enim per rationem totius, & partis, ſed per rationem magni, & parui diſcernendum eſt lethale a veniali. Sic qui vouet, vel iurat recitare totum Pſalterium, peccat lethaliter, ſi omittat medietatem eius, vel magnam partem. Omittere autem materiam totalem, etiam ſi minima ſit, lethale eſt.

Probatur vtrumque. Quia, qui abſolutè non præſtat, quod Deo vouit, eſt abſolutè illi infidelis, etiam ſi minimum ſit, quod vouit; & qui iurauit, abſolutè reddit vanam inuocationem nominis eius; quorum vtrumque lethale eſt. At qui deficit in minimo, tantùm ſecundùm quid eſt illi infidelis, ſimpliciter autem, & abſolutè fidelis; ergo excuſatur a lethali. Qui autem ex magna parte non præſtat ex magna parte, ſeu grauiter eſt illi infidelis; ergo peccat lethaliter.

Probatur ſecundò ſpecialiter vltima pars Aſſertionis. Quia quò minor, ſeu facilioris obſeruantiæ eſt res, quam quis Deo vouit, vel pro qua iurauit, eò maior infidelitas oſtenditur erga Deum, maiorque contemptus, ſi non præſtatur, vt de ſe patet, & exemplificatum eſt ſupra cap. 2. in peccato Adæ, & aliis. Ergo hic leuitas materiæ non alleuiat, ſed grauat peccatum. Quare intolerabile eſt dictum Villalobos; & ex eo ſequeretur, quòd ſi quis vouiſſet per totam vitam quotidie recitare vnum Aue Maria, & per totam eam, etiam ſi vltra centeſimum annum producta eſſet, numquam recitaſſet, non peccaſſet niſi venialiter. At id certò magni contemptus erga Deum, Beatamque Virginem argumentum eſſet. Fideles quandoque paruam aliquam obſeruantiam vouent, non vt excuſentur a

Digitized by Google

mortali in transgressione, sed, ne transgrediantur id, quod facilè implere possunt, pro certo habentes, lethalem esse transgressionem voti. Si autem ea venialis est, duo lucratur, qui votum de re parua emittit, & facilitatem obseruantiæ, & immunitatem a lethali, si non seruet. At non est hic sensus fidelium.

Admittimus ergo (vt resumamus Argumentum tertium allatũ supra cap. 3.) sicut in legibus humanis, & Diuinis, ita in obligatione voti, & iuramenti paruitatem materiæ excusantem a mortali, dum ea non seruantur, vel adimplentur. Dicimus tamen, eam obligationem non esse iuris humani, sed Diuini naturalis; quamuis enim homo voluntate libera voueat, vel iuret, tamen lex Diuina fidelitatis, & reuerentiæ erga Deum iubet, vota, & iuramenta seruari: & negamus paruitatem materiæ, dum ea est totalis, excusare a mortali, quia etiam tunc adest absolutè, & simpliciter infidelitas, vel irreuerentia erga Deum, atque adeo grauiter turbatur ordo rerum, qui non sic turbatur, cùm aliquod minimum aufertur proximo, vel minima iniuria ei infertur.

CAPVT V.

Soluuntur Argumenta excusantia a mortali transgressionem voti, vel iuramenti quando eorum materia, licèt totalis, est parua.

1. ARguunt Recentiores. Promissio de re leui homini facta non inducit grauem obligationem, idest, sub mortali; ergo neque facta Deo. Consequentia sequitur etiam a fortiori, quia, vt ait Diana verbo *Voti obligatio* nu. 22., mitior est promissionum exactor Deus, quàm homo.

Respondetur primò, homines in infinitum magis teneri ad fidelitatem Deo seruandam, quàm alteri homini. 2. Tolli firmitatem voti, si non magis obligat, quàm promissio facta homini; cùm tamen vota, sicut, & iuramenta soleant adiungi ad roborandas promissiones, & voluntates exequendi. Etiam obligationem ex præcepto Diuino naturali auget obligatio voti; nam Iacob, qui iure naturæ tenebatur habere pro Domino suo Dominum Deum, ad id etiam

Digitized by Google

etiam voto ſe obligauit, ſi ei Deus dediſſet panem ad veſcendum, & veſtimentum, quo operiretur, Geneſis 18. 26. Tertiò. Nimis irreuerenter promiſſionem factam Deo comparari ei, quæ fit cuilibet homini; ſaltem comparata fuiſſet ei, quæ fit Principi, erga quem infidelitas etiam in re parua, grauis eſt, maximè, ſi promiſſio facta ſit in honorem eius, ſicuti fieri ſolet Deo; quare argumentum retorquetur in Arguentem, ſi Deus homini Principi ſaltem comparetur.

4 Grauitatem illius peccati non oriri ex quantitate rei promiſſæ, ſed ex infidelitate erga Deum; nec enim Deus bonorum noſtrorum eget. Infidelitas autem æqua eſt, ſiue res promiſſa, quæ nõ datur, ſit magna, ſiue parua; immo, quò eſt minor, maior oſtenditur contemptus, ſiue irreuerentia, quia, ſcilicet, minore labore, & incommodo dari poterat. Atque id apparet etiam in promiſſis ad homines, maximè, cùm res promiſſa eſt in ſignum beneuolentiæ, vel gratitudinis; tunc enim non ſolùm quælibet infidelitas grauis eſt, ſed & eò grauior, quò res promiſſa leuior.

5. Vouenti inſpiciendum eſſe, non quid, aut quantum Deus indulgeat, ſed quid ipſe debeat; aliter ex indulgentia Dei erga peccata minuemus obligationem illa vitandi, & ſic miſericordiam Dei vertemus in occaſionem ſecuriùs, ampliùſque peccandi, quæ tantũ poſt peccatum debet tribuere ſpem venię impetrandę: immo tacitè docebimus, vitanda peccata non ex amore Dei, ſed timore noſtri mali, ſi, quia Deus non acriter exigit, aut punit, relaxabimus frena peccatis, & minuemus obligationem reddendi Deo, quod promiſimus.

2. 6. In votis factis pro gratiarum actione ex magno beneficio recepto, vtpotè vitæ, ſalutis, dignitatis, ſatis abſurdum eſt, quòd poſſint illa non ſolui abſque mortali, ſi parua ſint, quæ ſunt promiſſa: etenim etiam exiguæ, & deficientis gratitudinis ſignum eſt paruum quid pro talibus beneficiis vouere, quæ magnam obligationem videntur imponere; ergo magnæ ingratitudinis eſt, & infidelitatis, nec illud puſillum reddere; ergo mortale. Itaque ſaltem diſtinguendum erat de votis ex ſimplici deuotione factis, & iis, quæ fiunt pro gratiarum actione, vt ſaltem in iſtis infidelitas ſit mortalis.

7. Quòd tunc infidelitas in re leui leuis eſt, quando ea promiſſa eſt in tuitu vtilitatis, emolumenti, aut commodi, quod illa confert; quia enim res leuis leuiter iuuare, aut prodeſſe poteſt, ideo, dum ad illum finem promiſſa eſt, leue eſt peccatum in infidelitate.

Digitized by Google

At Deus, vt diximus, bonorum nostrorum non eget, nec quidquam illi, aut vouemus, aut damus, vt illi prosimus; ergo non est attendenda in peccato infidelitatis quantitas magna, vel parua rei promissæ, sed ipsa infidelitas, quæ semper, cùm est ad Deum, grauis est, immo grauior, cùm exercetur in parua re, quæ, scilicet, facilè reddi potest.

3. 8. Tamdem; quòd gratis, & falsò supponitur, Deum non grauiter exigere, quæ sibi promissa sunt; immo hoc est nimis præsumere de Dei voluntate. Legimus enim Ecclesiastici quinto: *Si quid voueris Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio; sed, quodcumque voueris, redde; multòque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Exquo habetur, Deum non tantùm exigere fidelitatem, sed etiam celeritatem in reddendo. Et Psal. 75. *Vouete, & reddite . . . . . terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum.* Et Psal. 49.: *Redde altissimo vota tua; Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Adeo Deo placet redditio votorum, vt promissione liberationis de tribulationibus ad ea reddenda nos alliciat, & consequenter grauiter ei displicet infidelitas in reddendo. Item Leuitici quinto præcipitur; vt qui promiserit aliquid Deo, & fuerit oblitus, propterea que non reddiderit, pronunciet peccatum suum, & offerat pro eo agnum, siue capram. Si ergo, etiam cùm ex obliuione non redditur, quod promissum est, Deus illud imputat ad peccatum, & pro eius remissione exigit sacrificium, quomodò profert Diana, quòd Deus homine sit mitior promissorum exactor?

Ex multa igitur inconsideratione processit hoc eius Argumentum, in cuius solutione plura diximus, quæ pro fundamentis nostræ Assertionis afferri possunt.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXII.

Contra Propositionem XXV.

Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, siue res sit leuis, siue grauis.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 PROPOSITIO intelligenda est damnata secundùm singulas eius partes, atque adeo definitum, quòd etiam in re leui sit illicitum iurare sine animo iurandi, sicuti supra definitum est, quòd etiam in re leui periuriũ trahat ad damnationem.

Quare est intelligendum, quòd illa fictio sit peccatum mortale; non enim potest esse tanta diuersitas inter iuramentum falsum, & fictum, vt illud sit mortale, hoc verò veniale; sed ibi definitum est, iuramentum falsum etiam in re leui esse mortale; ergo idem intelligendum est hic de iuramento ficto. Non enim minoris est irreuerentiæ vocare Deum in testem falsitatis, quàm illi illudere; sed qui fictè iurat, idest, sine animo iurandi, illudit Deo; ergo grauiter peccat, sicut qui illum vocat in testem falsitatis; Minor probatur, primò ex Innocentio cap. *De homine* de Celebratione Missarum, vbi dicit, quòd Sacerdos fingens se consecrare, & non cõsecrans, illudit Deo; ergo similiter fingens, se vocare Deum in testem, & non vocans. Secundò. Quia voce interpellare hominem ad nullum finem, siue vsum est illudere illi; sed qui voce vocat Deum in testem, & non corde, ad nullum finem eum vocat, nisi fortè ad decipiendum auditorem; non enim intendit per Dei nomen firmare suum dictum, qui est finis iuramenti; ergo illudit illi, & assumit eius nomen in vanum, quod

Digitized by Google

quod prohibetur secundo præcepto Decalogi. Et hęc sit prima ratio contra Propositionem.

Secunda sit. Periurium semper est illicitum; ergo etiam iuramentum fictum. Probatur Consequentia; quia sicut ibi est falsitas in re asserta, ita hic in ipsa actione iurandi; vtrobique enim est difformitas signi ad significatum, & hominis exterioris ad interiorem, quæ est ipsa deformitas mendacii. Ex quo nascitur.

Tertia ratio. Qui enunciat falsum, quantùm in se est, decipit proximum, quem inducit ad illud credendum; ergo qui fingit, se iurare, & non iurat, decipit proximum quem inducit ad credendum, quòd verè iuret; & adeo inducit, vt nisi proximus id credat, iniuriam illi faciat, tamquam habens eum, vt irreligiosum, & mendacem; sed decipere proximum semper est peccatum; ergo &c.

2. Quarta. Simulare Religionem semper est illicitum; sed iurare est actus Religionis, siue latriæ; nam exhibetur tunc Deo honor, tamquam superiori, & omnia cognoscenti, vt ostendit D. Tho. 2.2.qu.89.art.4., ergo simulare iuramentum, seu fictè iurare est simulare Religionem; ergo est illicitum. Maior patet; tum quia omnis simulatio est mendacium; tum quia simulare Religionem est hypocrisis.

Quinta. Iurare sine necessitate, vel vtilitate est illicitum, vt patet 22. q. 2. per totam; tunc enim militat præceptum Iacobi 5. *Nolite iurare*; sed iuramenti ficti nulla est necessitas, nec vtilitas: vt enim ait Gratianus loc.cit., sic iurans nō ligatur vinculo Religionis, non sancit fœdera pacis, non firmat innocentiam suam, vel aliorum, nec quidquam suadet, nisi deceptoriè; ergo tale iuramentum est illicitum.

Sexta. Proferre verba, quibus conficitur Sacramentum absq; intentione illud conficiendi, peccatum est, & quidem graue, quia iniuriosum est Sacramento; ergo pariter proferre verba iuramenti siue intentione iurandi peccatum graue est, quia iniuriosum Deo, ipsique iuramento.

Septima. Cùm asseritur verum, nulla adest necessitas fictè iurandi, cùm ibi liceat verè iurare, si adsit necessitas, vel vtilitas. Quãdo autem asseritur falsum, quæ potest esse causa adhibendi iuramentum fictum, nisi voluntas decipiendi proximum? At hæc causa, quæ in se ipsa mala est, non potest licitum reddere illud; ergo &c.

Sed quæcumque causa fingatur, certè nulla potest esse licita

ad

Digitized by Google

ad illudendum Deo, & decipiendum proximum. Diſtinctio quoque de re graui, & leui nihil confert; ratio enim peccati in iuramento ficto, ſicut & in falſo non ſumitur a grauitate aſſerti, quod per illud firmatur, ſed ab iniuria, quæ fit Deo, ſiue illum vocando in teſtem falſitatis, ſiue illi illudendo. Poteſt quidem res aſſerta eſſe leuis; ſed numquam leue eſt illudere Deo, vel illum vocare in teſtem falſitatis. Atque hæc contra Propoſitionem ſint dicta. Ipſam antiquitùs protulit Ennius Poeta, cuius illum verſum recitat Cicero de Officiis: *Iurauí lingua, mentem iniuratam gero.*

Quare videant Aſſertores Propoſitionis, quem Authorem ſequantur.



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXIII.

Contra Propoſit. XXVI.

Si quis vel ſolus, vel coram alijs, ſiue interrogatus, ſiue propria ſponte, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine, iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod reuera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PVNCTVS difficultatis in eo eſt, an qui ita loquitur, vt Propoſitio recitata explicat, mentiatur; nam, ſi mentitur, profectò, dum ſuum dictũ iuramento confirmat, eſt periurus. Sed, an mentiatur, in eo eſt difficultas. Eſt igitur hęc quæſtio celebris de reſtrictionibus, vt vocant, mentalibus, per quas, ſcilicet, mente loquentis reſtringitur, ſeu modificatur ſignificatio verborum exteriùs prolatorum, aliquid mente retinendo, quod ſi exprimeretur, aliud ſignificaretur, vel ſecundùm rem, vel ſecundùm modum ab eo, quod ſignificatut, dum illud tacetur. Exemplum: Titius comedit, non tamen carnes, ſed piſces; interrogatus, an comederit, negat abſolutè; intelligit tamen intra ſe, non comediſſe carnes; quod ſi protuliſſet, alia fuiſſet ſignificatio ſuę reſponſionis; nam

Digitized by Google

nam aliud eſt: non comedi: aliud: non comedi carnes; & per ly carnes reſtringeretur ſignificatio ſuæ reſponſionis, vt, ſcilicet, non negaretur comeſtio abſolutè, immo aſſereretur, ſed tantum comeſtio carnium.

Quæritur ergo, an per huiuſmodi reſtrictiones non voce prolatas, ſed mente retentas ſaluetur a mendacio dictum, quod ſine illis mendax eſſet; & Propoſitio affirmat.

2. Igitur oſtendendum eſt oppoſitum eſſe verum. Id autem oſtenditur primò a priori ex principis traditis ab Auguſtino lib. de Mendac. cap. 2., ſic enim definit mendacem: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud* (nempe contradictoriè oppoſitum) *verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enunciat; vnde etiam duplex cor dicitur eſſe mentientis, id eſt duplex cognitio; vna rei eius, quam veram eſſe vel ſcit, vel putat, & non profert; altera eius rei, quam pro illa profert, ſciens eſſe falſam, vel putans.* Quæ doctrina etiam excepta authoritate Auguſtini, per ſe ipſam clariſſima eſt, & veriſſima. Sed totum hoc adeſt in proferente verba cum reſtrictione mentali; ergo &c. Minor probatur, immo patet, quia aliud eſt: *non comedi carnes*, quod ille habet in corde, aliud: *non comedi abſolutè*, quod profert; ergo ille habet duplex cor, & mentitur. Patet hoc magis, quia ſi ille diceret *non comedi*, non habensin mente vſum reſtrictionum mentalium, certè mentiretur; ergo, & ſi vtatur ea reſtrictione mentali, mentitur. Probatur Conſequentia; quia illa reſtrictio non diuerſificat ſignificationem vocum exteriorum, nec ipſa ſignificat; mendacium autem eſt, cùm ſignificatur res aliter, ac ſcitur, vel putatur eſſe; ergo, ſi ille mentitur dicens, *non comedi*, abſque reſtrictione illa, mentitur etiam cum illa.

Confirmatur; quia notitia comeſtionis non ſaluat a mendacio dictum illud: *non comedi*; immo propter illam notitiam hoc eſt mendacium, vt patet; ſed non magis immutat voces, vel ſignificatum earum reſtrictio illa, quàm illa notitia; ergo non minùs mendax eſt locutio cum hac reſtrictione, quàm cum illa notitia; cùmque hæc reſtrictio confirmet illam notitiam, ea verba certiùs, & grauiùs ſunt mendacia, tamquam procedentia a certiori notitia, & voluntate mendacij, &, vel fingitur tunc voluntas non mentiendi, vel loquens decipit ſe ipſum, credens, ſe tunc non mentiri, dum ſcit, per reſtrictionem ſuæ mentis non immutari ſignificationem verborum, nec illam reſtrictionem ſignificare.

Tamdem. Verba, quæ extrinſecùs prolata reſtringunt, vel modificant, vel diuerſificant ſignificatum alicuius propoſitionis, id

Digitized by Google

non præstant, dum non proferuntur. Patet hoc; nam non datur, immo nec est possibilis effectus causę non applicatæ, sicut non existentis; sed ly *carnes* expressum, siue applicatum propositioni, *non comedi*, restringeret eius significationem, itaut non negaret quamlibet comestionem, sed determinatam carnium; ergo cùm non exprimitur, seu illi non applicatur, non restringit, sed relinquit ipsam in sua absoluta, & lata significatione; sed absolutè dicere, *non comedi*, cùm quis comedit, mendacium est; ergo nil confert ad vitandum mendacium illa vox *carnes*, seu significatum eius non prolatū, sed mente retentum.

3. Ad Argumentum principale potest dici, eum, qui cum restrictione mentali loquitur, non proferre aliud ab eo, quod habet in corde, sed tantùm non totum illud proferre, sed aliquid occulere: habet quippe in corde, non comedisse carnes, & profert solùm, se non comedisse; tacet igitur aliquid veri, nihil enunciat falsi. In taciturnitate autem repugnat esse mendacium, cùm hoc in loquela, seù significatione sit. Sed hoc ridiculum commentum est. Ita enim ille tacet verum, vt tamen per verba, quæ profert, enunciet diuersum ab eo, quod habet in corde; non comedi enim absolutè prolatum negat omnem comestionem; sed ille habet in corde, se comedisse, & tunc maximè, cùm restringit mente sua verba ad solam negandam comestionem carnium, quia scit, se absolutè comedisse; ergo profert falsum, & diuersum ab eo, quod habet in corde; ergo non solùm dicit falsum, sed mentitur, & habet intentionem fallendi, quia scit, per verba a se prolata non aliud percipi ab auditore, quàm se absolutè non comedisse, & adhuc illa profert; ergo falsum scienter loquitur, & cum intentione fallendi, per quæ constituitur perfecta ratio mendacii; vnde, si in eo iurat, iurat in dolo, atque adeo non accipiet benedictionem, & misericordiam a Domino, Psal. 23. vers. 4.

4. Solet specialiter per restrictionem mentalem ea responsio defendi a mendacio, qua quis rogatus mutuare pecunias, easque habens, dicit roganti, *non habeo*, subintelligens, *vt dem tibi*.

Sed hoc planè absurdissimum est; nam ly, *vt dem tibi* subintellectum non restringit, aut modificat ly, *non habeo*, sed potiùs supponit, & confirmat esse falsum; nam eo ipso, quò dicit, *vt dem tibi*, supponit habere, quod det, quamuis dare nolit, quod est contradictorium eius, quod præponit, *non habeo*; ergo perinde est, ac si diceretur, *habeo, sed nolo tibi dare*; ergo cùm dicit, *non habeo*, falsum dicit; voluntas enim, vel non voluntas dandi nihil pertinet ad re-

Digitized by Google

reſtringendum ſignificatum verborum, habeo, vel, non habeo, vt de ſe patet; & certè per nullam reſtrictionem fieri poteſt, vt *non habeo*, idem ſignificet, quod *habeo*, ſunt enim contradictoria; ergo prorſus ibi adeſt mendacium, non reſtrictio mentalis; etiam ſi admittatur, quòd hæc poſſit modificare ſenſum verborum exteriùs prolatorum. Si diceretur, non habeo pecuniam, ſubintelligendo, auream, vel argenteam, poſſet dici, eam eſſe reſtrictionem, vel modificationem dicti, quia argenteum, vel aureum eſt differentia pecuniæ; ſic qui reſpondet, *non comedi*, & ſubintelligit, *carnes*, intelligit aliquid pertinens ad comeſtionem, tamquam differentia cibi, vnde, ſi totum proferret, nempe: *non comedi carnes*, verè reſtringeret ſignificatum enunciationis, *non comedi*, & verum diceret. Sed, cùm ibi ſubintelligitur, *vt dem tibi*, nihil adeſt, quod reſtringat, aut modificet ly, habere, vel non habere, ſed tantùm adeſt voluntas non dandi, quæ nihil pertinet ad illud. Itaque, etiam ſi illud proferret, non reſtringeret ſignificatum enunciationis, *non habeo pecuniam*, ſed tantùm ſignificaret, ſe nolle dare, quam habet; quo ipſo ſignificaret, ſe illam habere, & per conſequens deſtrueret prius dictum, *non habeo*; Igitur reuera doctrina hæc illud dicit, quòd, ſcilicet, qui non vult mutuare pecunias licitè reſpondeat, *non habeo*, etiam ſi habeat, quod idem eſt, ac iuſtificare mendacia.

5. Oſtendimus ſecundò falſitatem Propoſitionis. Quia contradictorię non poſſunt eſſe ambæ veræ; ſed qui poſtquam comedit dicit, ſe comediſſe, verum dicit; ergo qui profert contradictorium, nempe, non comedi, falſum dicit: nec quidquam iuuat reſtrictio mentalis, quia nulla res facere poteſt, vt contradictoriæ ſint veræ; ſed falſum dicit ſcienter; ergo mentitur.

Oſtenditur tertiò ex inconuentibus, quæ ſequuntur, ſi licita aſſeritur illa reſtrictio: nulla enim certitudo, nulla fiducia cauſabitur ex aſſertionibus, & promiſſionibus etiam iuratis; quia ſemper incertum erit, an verba ſint prolata cum aliqua reſtrictione mentali; nec vlla forma verborum, aut loquendi excogitari poteſt, quę reſtrictionibus mentalibus non ſubiaceat; nam, & ſi quis dicat, ſe loqui abſque reſtrictione mentali, idipſum cum aliqua reſtrictione dicere poteſt; igitur extinguetur humanum commercium, quod verborum ſignificatione, & fide continetur.

6. Oſtendi poteſt quartò. Quia Ethnici, quos integritate, & puritate conſcientiæ longè excedere debent Chriſtiani, loquutiones cum dictis reſtrictionibus ad mendacia, & fraudes reiecerunt.

Dux quidam Romanus (nomen non reddit Tullius 3. Officiorum)

Digitized by Google

rum) pactus triginta dierum inducias cum hostibus, noctu populabatur agros eorum, dicens, se dierum, non noctium pepigisse inducias. Hic, vt apparet, pactum inierat cum restrictione mentali, restringendo, nimirum, vocabulum diei ad spatium illud temporis, quo Sol illuminat Emisphærium, non ad vigintiquatuor horas, qua significatione solet accipi dies in huiusmodi; & improbatur a Tullio.

Miles quidam Romanus (nec huius affertur nomen) captiuus sub Annibale, obtenta facultate pergendi Romam ad impetrandam commutationem captiuorum Romanorum, & Carthaginensium sub verbo, & iuramento redeundi ad castra Annibalis, si ea permutatio impetrata non esset, putauit, se solutum obligatione redeundi, quamuis permutatio non fuisset impetrata, eo quia post egressum a castris ad ea redierat, tamquam aliquid secum delaturus, quod reliquisset. Hic etiam iurando vsus erat restrictione mentali, intelligens reditum ad castra Annibalis quomodocumque, non ad captiuitatem sub eodem. De eo tamen sic Tullius 3. Officiorum: *Fuit stulta calliditas peruersè imitata prudentiam: fraus enim disringit, non dissoluit periuria. Itaque decreuit Senatus, vt ille veterator, & callidus* (prudens diceretur ab Assertoribus Restrictionum) *vinctus ad Annibalem duceretur*. Itaque non solius Tullii, sed vniuersi Romani Senatus iudicio restrictio illa mentalis reputata est fraus.

7. Hanc Tullii sententiam adhibet Pius II cap. 39. Descriptionis Europæ ad damnandum simile factum Othonis Episcopi Magutini, de quo sic scribit. Otho Episcopus Maguntinus minister sceleris inuentus est, qui profectus ad Albertum, litis arbitrum se dixit, rogauitque Albertum, ad Imperatorem in castra descenderet, quia, vel pacem ei daret, vel in arcem reduceret incolumem. Credidit Albertus, & accepta iusiurandi Religione, Othonem sequutus est. Vix arcem egressi erant, cùm Otho: Vereor, inquit, ne diu apud Imperatorem morari oporteat: Vtilius fortasse consilium erit, priùs sumpsisse cibum. Laudauit Albertus verba Præsulis, & in castrum rediens, Othoni prandium dedit. Quo sumpto ad Imperatorem cum eo perrexit, vbi mox captus est, & capitali sententia damnatus; cui Archiepiscopi fidem imploranti, respondit parùm religiosus Pontifex, se fidei satisfeciisse, qui semel reduxisset incolumem, cùm ad prandium introiuit: bis reducere non promisisse. Infelix Albertus gladio obtruncatus est. Meliùs Romani, qui pari fraude vsum vnum ex captiuis ab Annibale Romam missis vinctum re-

Digitized by Google

remiſere. Fraus enim, vt inquit maximus Orator, adſtringit periuria, non ſoluit.

Non abſimile eſt, quod idem referr ibidem cap. 22. Sigiſmundus, & Albertus Germaniæ Principes iureiurando ſe obſtrinxerunt, ſe non redituros domum, niſi arcem Viennenſem intraſſent. Cùm autem eius expugnatio valde difficilis, & periculi plena eſſet, conuenerunt cum defenſoribus, vt ingreſſi Principes arcem, paulũq; in ea commorati, potato vino, exirent. Subdit autem Pius: *Ita deluſa magis, quàm impleta Religio eſt.*

Non abſimiliter quidam Laicus ex voto ingreſſus Ordinem Regularem, putabat ſtatim ſibi licitum regreſſum ad ſeculum, tamquam votum de ingreſſu Religionis abſoluiſſet.

8. Quintus etiã Fabius Labeo malè audit apud Hiſtoricos, quòd accepturus ex fœdere medietatem nauium Antiochi Regis, quem bello deuicerat, omnes eius naues medias ſecuerit, vt Regem tota claſſe priuaret, dicens, ſe hoc ſenſu medietatem accepiſſe, dum fœdus iecerat. Hic etiam vſus erat reſtrictione mentali, intelligens medietatem, non numeri nauium, vt ſolet intelligi, ſed cuiuſque nauis in particulari, & tamen ab ipſis Gentilibus improbatur.

Itidem Tullius 3. Officiorum pluribus oſtendit, ineſſe debitum venditori, vt non taceat, ſed notificet vitia, quæ in re, quam vendit, ipſe nouit, emptor non nouit: atque id ait, etiam lege ſancitũ; at grauius eſt per reſtrictionem mentalem proximum inducere ad credendum falſum, quàm ei veritatem non aperire; ergo, ſi hoc non licet, multò minùs illud.

Ex his patet, reſtrictiones mentales non eſſe nouiter prolatas, ſed ab antiquis cognitas, & reiectas. A Priſcillianiſtis autem neceſſe eſt fateri cognitas non fuiſſe, quippè non tantùm mendaciis, ſed etiam periuriis turpitudines ſuas occultandas putabant; vnde in dogmatibus habebant: *Iura, periura, ſecretum prodere noli*, vt refert Auguſtinus de Hæreſibus hæreſi 70. Libentiùs ergo reſtrictionibus mentalibus vſi fuiſſent, ſi eas agnouiſſent; & ſi modò viuerent, magnas gratias haberent iis, qui per illas euitari mendacia docent.

* * * * *
* * * *

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propositione damnata.

1. LIcentiam Restrictionum mentalium inuexere Moderni; nullus enim ex antiquis, sicut nec ex Thomistis pro ea refertur, eamque valdè extendit Tamburinus cap.2.de Iuramento §.2. num.4.

Pro ea maximè adducitur responsio Christi Domini ad discipulos, Marci 13., qui interrogatus de die iudicii, respondit: *De illa hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Ipse autem proculdubio sciebat illam horam, etiam inquantum homo; ergo, ne, quod absit, mendax dicatur, dicendum est, eum vsum restrictione mentali, nempe, quòd non sciret ad reuelandum ipsis, & ita aptè explicari hunc nodum, quem, vt ait, aliqui Patres parùm aptè explicuerunt, profett Raynaudus de Æquiuocatione cap.10. num.8., & cap.12. num.1. & 2., & in Hoplotheca de Ignorantia cap.21.

Respondetur, hunc modum esse ineptum ad saluandam veritatem illius responsi, nec ibi habere locum restrictionem mentalē, sicut cap.præcedenti ostendimus de illo alio responso: Non habeo pecuniam, subintelligendo, vt dem tibi; nam non posse, vel nolle reuelare nihil pertinet ad scientiam, vel ignorantiam rei, cuius reuelatio petitur, sed se habet omninò disparatè; potest enim stare scientia rei, tam cum potestate, & voluntate reuelandi, quàm cum oppositō. Igitur ly, *ad reuelandum vobis*, non restringit, aut modificat significatum enunciationis, *non scio*, immo confirmat, quòd sit falsa; dum enim sola voluntas, vel inhibitio impedit reuelationem, profectò adest notitia rei reuelandæ; vnde, si respondens totum proferret, quod habet in corde, diceret: scio, *sed nolo*, vel *non possum vobis reuelare*; ergo dum dicit, nescio, falsum dicit. Absurdissimum est enim dicere, quod verbum *nescio* possit vlla restrictione, aut modificatione determinari ad significandum *scio*; sic enim vnum contradictorium poterit determinari ad significandum alterum; ergo falsum dicit, & fallit, dum absolutè respondet, *non scio*; & cum hæc falsitas ei manifesta sit, ex hoc ipso, quòd subintelli-

Digitized by Google

telligit, ad reuelandum vobis (nam hoc ipſum ſupponit adeſſe ſcientiam, & ab eo cognoſci) mentitur. Voluntas ergo, vel impotentia, ſicut non tollit, aut reſtringit ſcientiam, vel ignorantiam, ita nec ſignificatum vocis, ſcio, vel, neſcio, immo, dum habetur ſciẽtia, & ſignificatur ignorantia, etiam ſi a ſignificante habeatur voluntas non reuelandi, vel impotentia reuelandi, falſum ſignificatur, & mendacium eſt. Non ergo hic modus dicendi aptus eſt ad ſaluandum a mendacio reſponſum Chriſti; nec verè in eo reſponſo ſic intellecto adeſſet reſtrictio mentalis, ſed cognitio falſitatis reſponſi in reſpondente cum voluntate non reuelandi, aut impotentia reuelandi.

2. Quia autem Raynaudus profert, aliquos PP. non aptè hunc nodum explicuiſſe, videamus, an ſaltem Auguſtinus inter Patres ſapientia, & ingenij magnitudine primus aptè eum explicauerit, quem a Raynaudo lectum non ambigo. Auguſtinus igitur primo de Trinit cap. ij. & queſt. 60. ex 83. & enarati. in Pſal. 6. initio, & concione prima in Pſalm. 36. initio ad hunc nodum explicandum recurrit ad loquutionem tropicam, ſiue figuratam, qua cauſa denominatur ab effectu: dicitur enim dies, & domus lęta, aut męſta, eò quòd lętos, aut męſtos reddat homines, vel habitatores; frigus pigrum, quia pigros reddit frigentes, foſſa cęca, quia quodãmodò cęcat homines, , vt non videatur. Huiuſmodi ergo tropo vſum ait Dominum Chriſtum, cùm diſcipulis reſpondit: *Neque Filius ſcit*; quaſi diceret: Non reddit vos ſcientes; & affert exempla ex illo Dei ad Abraham, Geneſ. 24.: *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum*, ideſt, feci, vt cognoſceres, quia ipſe Abraham ſibi in illa tentatione probatus innotuit, nam Deo vtique, etiam ante innotuerat. Item ex illo Apoſtoli prima Corinth. 2.: *Neque iudicaui, me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum*, quia, ſcilicet, *eis loquebatur, qui capere altiora de Chriſti Deitate non poterant; hoc ergo inter illos neſciebat, quod per illum ſcire non poterant, & hoc ſolùm ſe ſcire dicebat, quod eos per illum ſcire oportebat. Denique ſciebat inter perfectos, quod inter parvulos neſciebat. Ibi quippe ait; ſapientiam loquimur inter perfectos.* Poteſt etiam afferri illud aliud Apoſtoli Roman. 8. 26., vbi dicit, Spiritum Sanctum interpellare pro nobis, quia, ſcilicet, facit, vt nos interpellemus, vt communiter explicatur, & ab ipſo Auguſtino. Item ex illo Deuteronomii c. 13.: *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat, ſi diligatis eum*, ideſt, vt ſcire vos faciat; nam illud Deus abſque illa tentatione ſciebat. Ita Ille; & rationabiliter; nam in poteſtate loquentium eſt vti tropis, ſeu figuris,

nec

Digitized by Google

nec in eorum vsu vllum est mendacium, vt ipsemet probat lib. contra Mendacium c.4. & aptè discipulis cupientibus scire horam iudicii, quasi retundens eorum cupiditatem, & negans petita, respondit Christus, non reddo vos scientes; quod apertè, & absque tropicis loquutionibus respondit eis Actuum primo: *Non est vestrum noße tempore, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Propter quod etiam hic ait: *Solus Pater scit*. Quam Augustini doctrinam probat, & sequitur D. Thomas 3. part. qu.10. art.2. ad primum.

3. Contra hanc Augustini expositionem potest obiici primò. Eadem sententia affirmat, & de se, & de Angelis Christus, quòd nesciant diem iudicii; sed de Angelis id non dicitur tropicè, quasi tãtùm alios non doceant, sed propriè, nam reuera Angeli nesciunt illam horam; ergo neque tropicè dicitur de Christo.

Respondetur, per Argumentum concludi, quòd absolutè, & simpliciter Christus nesciat illam horam, sicut Angeli, quod est falsum. Secundò, quòd neque sit vera expositio Recentiorum, quòd illud sit dictum a Christo cum restrictione mentali, cap. ad reuelandũ vobis, nam de Angelis non est dictum cum tali restrictione.

Respondetur igitur primò, quòd nihil prohibet, esse dictum etiam de Angelis tropicè; nam vtique verum est, Angelos de illa hora alios non docere, immo eo veriùs, quia nec sciunt. Secundò, quòd etiam nihil prohibet, de Christo esse dictum tropicè, de Angelis propriè propter magnum inter eos discrimen, licèt eadem sententia de vtriusque sit dictum. Si enim priuata Persona dicat, se nõ posse facere aliquid, quod superat eius potestatem, intelligendum est propriè. Si autem id dicat Princeps, qui habet potestatem illud faciendi, ly, non posse, accipiendum est pro eo, ac si diceretur, non licere, siue non decere; ergo de Angelis illud potest intelligi propriè, de Christo autem Domino triplicem scientiam habente tropicè.

Potest obiici secundò. Eo sensu dictum est de Christo, & de Angelis, quòd nesciant illam horam, quo dictum est de Patre, quòd illam sciat; ponuntur enim, vt opposita; sed de Patre non est dictum tropicè, sed absolutè, & simpliciter, quòd sciat; ergo neq; de Christo dictum est tropicè, quòd nesciat.

Respondetur, etiam per hoc argumentum concludi, quòd Christus simpliciter nesciat illam horam, & quòd neque de Christo illud sit dictum cum ea restrictione mentali, quam dicunt; nam non est cum ea dictum de Patre. Negatur igitur Minor; nam de Patre

dictum

Digitized by Google

dictum eſt, quòd ſciat, quia reddit alios ſcientes, nimirum Filium, vt ait D. Thomas loco ſupracit., & Spiritum Sanctum, & humanum Chriſti intellectum, quoſcumque etiam voluerit. Nec enim, cùm Chriſtus dixit, *ſolus Pater ſcit*, negauit Filium, & Spiritum Sanctum abſolutè, & ſimpliciter illud ſcire, quod ſequeretur, ſi non per tropicam loquutionem, ſed propriè illud dixiſſet. Igitur intellexit, quòd ſolus Pater de ea hora docet alios, quia Filius, & Spiritus Sanctus, ſicut naturam, ita & decreta libera, eorumque cognitionem habent communicatam a Patre. Et quamuis ea notitia intellectui humano Chriſti communicata ſit non tantùm a Patre, ſed a Filio, & Spiritu Sancto, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, nihilominus tribuitur hoc ſpecialiter Patri, quia ab ipſo habent cæteræ Perſonæ Diuinæ, vt operari poſſint, cùm ab ipſo habeant potentiam, & naturam.

4. Nonnulli Recentiores aliter ſoluunt hunc nodum, dicentes, dictum Chriſti, *Neque Filius ſcit*, non quidem ex pura eius voluntate, ſed ex circumſtantiis rerum limitatum ad eum ſenſum, vt intelligeretur, Filium neſcire ad reuelandum aliis, ſeu, non reddere alios ſcientes. Quia, inquiunt, diſcipuli non interrogabant Chriſtum, an ipſe ſciret, ſed petebant manifeſtari ſibi ab eo illam horam; ergo eo ſenſu Chriſtus reſpondit, ſe neſcire, quia, ſcilicet, non manifeſtabat eis.

Sed, quamuis ex circumſtantiis rerum reſtringantur ad particularem ſenſum verba loquentium, quæ de ſe latiùs ſignificãt, quia, nimirum, mens loquentis eſt loqui ad propoſitum; tamen hic non adeſt circumſtantia ad eũ ſenſum reſtringens. Certè diſcipuli petebãt, vt ſibi manifeſtaretur hora iudicii; ſed, ſi hic finis æſtimatur circumſtantia rationabiliter coarctans reſponſionem, *neſcio*, ad ſignificandum *non manifeſto*, quilibet interrogatus de aliquo occulto, & nolens illud reuelare, poterit abſque mendacio reſpondere, *neſcio*, quamuis ſciat. Semper enim interrogationes fiunt ad ſciendum aliquid, quod latet interrogantes. Semper ergo interrogato, qui non vult reuelare, licebit reponere, *neſcio*, etiam ſi ſciat; quod quid aliud apertiſſimè eſt, quàm iuſtificare mendacia? Cùm petuntur mutuæ pecuniæ licebit reſpondere, non habeo, etiam ſi habeantur, & ſenſus erit, non mutuo, quia finis petitionis eſt, vt mutuetur. Igitur finis interrogationis non eſt appellanda circumſtantia eius, nec rectè ita eam appellat Piſani cõtra hanc Propoſitionem, hac ratione defendens a mendacio dictum Chriſti; nam finis eſt in intẽtione, circumſtantiæ autem adiacent operi, vel obiecto externo, nam inde

Digitized by Google

dicuntur circumstantiæ. Et quamuis etiam finis dicatur circumstantia, tamen alia de causa, quia, scilicet, dat bonitatem, & malitiam actui vltra eam, quam illi dat obiectum; non quia circumstet actum.

Noto vltimò, quòd secundùm rem idem dicitur ab Augustino saluante veracitatem responsi Christi per loquutionem tropicam, ac ab iis, qui eam saluant per restrictionem mentalem; nam secundùm rem idem est, nescio, idest, non reddo vos scientes, ac, nescio, idest, non scio ad docendum vos. Sed Augustinus rectè recurrit ad loquutionem tropicam, quia, & licita est, vtpotè immunis a mendacio, & vsitata in Scripturis. Restrictio autem mentalis, vel est illicita, vel propriè nulla est in illo responso Christi, vt probatum est; ergo standum est in doctrina Augustini, quàm meritò sequitur D. Thom. 3. p. qu. 10. ar. 2. ad primum.

5. Arguitur 2. pro Propositione, adducendo responsum Christi ad suos propinquos; cùm enim hi interrogassent, an ascenderet ad diem festum, respondit, non; & tamen postea ascendit, Ioann. 7., ergo, ne Christus insimuletur, aut mendacii, aut inconstantiæ, dicendum est, adhibitam fuisse ab eo restrictionem mentalem, non ascendam vobiscum, vel palam, vel ad primum diem. Et ita cum pluribus ait Raynaudus lib. contra Ictum calumniæ serie 3. c. 23. de Inconstantia, & in opere contra Barnesium.

Respondetur, propinquos Christi petisse ab eo, vt palam ad glorificandum se ipsum ascenderet ad diem festum: præmiserant enim: *Nemo in occulto quidquam facit, & quærit ipse in palam esse: Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo*. Ex hac igitur circumstantia, responsio Christi, *non ascendam*, restringitur ad sensum, non ascendam palàm, vel vobiscum; vnde & ipsum Euangelium refert, quòd *Ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto*. Ex circumstantiis autem rerum limitari ad particularem sensum verba loquentium, manifestum est: Hinc, si Petrus tantùm itineris gratia reperiretur in comitatu furum, nec quidquam, illis furantibus, furatus esset, interrogatus a Iudice, an fuisset in comitatu furum, posset veraciter negare; quia occasio interrogandi, & conditio interrogantis restringeret interrogationem ad eum sensum, an scilicet fuisset Comes furum ad furandum; non enim interrogaretur de illo comitatu, nisi accidisset furtum, nec iudex interrogaret, nisi propter furtum, quod punire intendit; aliter interrogatio descenderet de curiositate, quæ non est supponenda in graui persona Iudicis.

Po-

Digitized by Google

Potuit quoque, & ſi non appareret ex circumſtantiis externis, in mente propinquorum Chriſti adeſſe illa intentio, vel finis interrogandi, vt Chriſtus ad glorificandum ſe, vel cum ipſis aſcenderet ad diem feſtum; quam intentionem intuens Chriſtus, ad eam adaptauerit reſponſum: ſicut, cùm Iudæis dixit: *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur*, ideo dixit, quia *vidit cogitationes eorum*, Lucæ 11. 17. Vnde Beda lib. 4. cap. 45. in prædictum caput Lucæ dixit, quòd Chriſtus *Non ad dicta, ſed ad cogitata reſpondit*. Itaq; nulla eſt hic neceſſitas reſtrictionis mentalis.

6. Adducitur 3. reſponſum Iacob ad Iſaac: *Ego ſum Eſau primogenitus tuus*; quod, cùm eſſet falſum ſecundùm ordinem naturę, oportet intelligi dictum ſub aliqua reſtrictione mentali: Ego ſum primogenitus ordinatione Diuina, vel iure emptionis; quia Eſau illi primogenita vendiderat, Geneſ. 25. Iacob enim a mendacio defendunt communiter Interpretes, & etiam Auguſtinus lib. contra Mendacium cap. 10., quamuis diuerſa ratione.

Reſpondetur, propter ipſam ordinationem Diuinam, vel ius emptionis potuiſſe Iacob abſolutè, & abſque vlla reſtrictione mentali veraciter dicere: Ego ſum primogenitus, quantùm, ſcilicet, ad prærogatiuas, & iura primogeniti, quo ſenſu primogenita emit ab Eſau. Quantùm enim ad iſta fortior eſt ordinatio Diuina ipſo ordine naturæ. Angelus, qui vice Dei loquebatur in Sina, ſine vlla reſtrictione mentali veraciter dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, Exodi 20. propter hoc ipſum, quia vices Dei gerebat. Propheræ etiam ſæpiſſimè de ſe ipſis dicunt, quæ verificanda erant in Chriſto, vt illud Pſal. 21.: *Foderunt manus meas, & pedes meos*; quia, ſcilicet in perſona Chriſti loquebantur. Hinc Auguſt. hac via defendit a mendacio hoc dictum Iacob; quia, ſcilicet, loquebatur in perſona Chriſti pro eius corpore, quod eſt Eccleſia; nam Eccleſia collecta ex Gentibus, & poſterior ad Fidem, & cultum vnius Dei præferenda erat Synagogæ. Similiter ipſe Iacob Geneſ. 49. dixit de Beniamin, quòd eſſet lupus rapax, quod verificandum erat in perſona Pauli Apoſtoli ab eo deſcendentis, vt explicat Aug. ſerm. 14. de Sanctis; & de Dan., quòd eſſet futurus Iudex in Iſrael, quod verificandum erat in Sampſone, & innumera alia.

Fortè dicetur: Hæc doctrina defendit quidem a mendacio Iacob in eo, quod dixit: *Ego ſum primogenitus*, ſed non defendit in eo, quod dixit: *Ego ſum Eſau*.

Reſpondetur, id neque per reſtrictiones mentales ſaluari, quare hoc Argumẽtum non pertinet ad earum licentiam adſtruendam,

Digitized by Google

sed ad arguendum Iacob de mendacio, a quo sanè neque necesse est eum defendere, cùm nec Apostoli immunes fuerint a venialibus. Tamen dicitur, Iacob dixisse, se esse Esau, non quantùm ad personam, sed quantùm ad iura, & prærogatiuas, sicut Christus dixit de Ioanne, quòd esset Elias, Matth. 11.14., quantùm, scilicet, ad spiritum, non quantùm ad personam, vt explicat Gregorius hom. 7. in Euangelia.

Sed fortè ex hoc ipso arguetur: Ergo Christus enunciationem illam: *Ioannes est Elias*, mente sua restrinxit ad significandum spiritum, non personam Eliæ; ergo vsus est restrictione mentali, sine qua enunciatio fuisset falsa.

Respondetur, ex circumstantiis rerum non potuisse intelligi illud dictum de persona Eliæ; nam notissimum erat, Eliam olim venisse, & raptum ad Cœlum, & ipse Christus præmiserat: *Omnes Prophetæ, & Lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*; Elias autem fuerat vnus, & quidem præcipuus ex Prophetis. Præterea Christus ita enunciauit: *Ioannes ipse est Elias, qui venturus est*; si autem persona nominata erat Ioannes, non poterat eadem esse Elias, nisi secundùm spiritum. Et si Ioannis persona erat præsens, Elias autem venturus erat, sequitur, quod priùs. Non ergo ex restrictione mentali, sed ex circũstãtiis rerum, immo ex ipsa forma loquutionis enũciatio illa restringebatur ad significandum spiritum Eliæ, non personam in Ioanne.

7. Adducitur 4. responsum Elisæi ad Hazalem 4. Reg. 8, cui interroganti, an Rex Syriæ sanandus esset de infirmitate, qua tenebatur, respondit: *Dic ei, sanaberis*, & adiecit: *Porro ostendit mihi Dominus, quòd morte morietur*; ergo, ne dicatur Elisæus in priori dicto falsò, & mendaciter loquutus, oportet admittere, quòd tunc sit loquutus cum aliqua restrictione mentali.

Respondetur, id non posse dici; nam Elisæus adiecit illud secundum, tamquam oppositum primo; ergo si in secundo dicto loquutus est planè, & simpliciter de morte, oportet, quòd in priori eodem sensu loquutus sit de sanitate. Rursus. Elisæus Hazaeli commisit, vt diceret Regi, *sanaberis*, nec vllius restrictionis mentalis vsum illi commendauit; ergo, quamuis ipse eam in suo dicto adhibuisset, non potest saluari de falsitate, quam Hazaeli dicendam cõmisit, neque de deceptione erga Hazalem, & Regem.

Nonnulli ad expediendum hunc nodum recurrunt ad altitudinem, & obscuritatem eloquii Prophetici: & illud, *Dic ei*, interpretantur, *Dices ei*; quasi Elisæus prædixerit, quid sua sponte Hazael

Digitized by Google

zael dicturus eſſet Regi, non verò commiſerit, quid diceret; ideoque adiecerit ſecundum dictum, quaſi diceret: Tu quidem dices Regi, quòd ſit ſanandus, ſed Dominus oſtendit mihi, quòd morietur.

Sed hæc reſponſio gratis dicit, Hazaelem ſua ſponte prædicturum fuiſſe Regi ſalutem, id que ab Eliſeo præuiſum, & prænunciatum. Quamuis enim reuera ſalutem illi prædixerit, id tamen ex præſcripto Eliſæi feciſſe dicendum eſt. Præterea gratis etiam, immo violenter ly, *dic*, exponitur per ly, *dices*.

Lyranus, & Abulenſis dicunt, lapſum ibi noſtrum Interpretem; nam littera Hebraica ad verbum habet: *Dic ei, non viuens viuet*, quibus verbis prædicitur mors.

Sed defendenda eſt traductio noſtri Interpretis, quam recipit Eccleſia. Et ſi Eliſæus a principio prædixiſſet Regis mortem, non poterat adiicere: *Porrò oſtendit mihi Dominus, quòd morte morietur*; nam per hoc correxit, vel limitauit prius dictum; ſi autem & in illo prædixiſſet mortem, nulla fuiſſet correctio, immo repetiſſet idem; quod ſuperfluum, ac ferè nugatorium fuiſſet.

Profert tamdem Abulenſis, Dei voluntate Eliſæum mandaſſe Hazaeli, vt ſalutem Regi promitteret, ne Rex ſuæ mortis præſcius, alium, quàm Hazaelem Regni ſucceſſorem deſtinaſſet, quem Deus volebat poſt illum regnare.

Sed hoc nullo modo eſt admittendum; non ſolùm enim non defendit a mendacio Prophetam, ſed Deum facit authorem mendacii, & deceptorem. Ipſe autem Eliſæus, quamuis mendaciter loqui voluiſſet, non tamen voluiſſet, id ab Hazaele cognoſci, ne haberetur ab eo Propheta non veritatis, ſed mendacij; manifeſta enim fuiſſet Hazaeli eius voluntas de mendacio, ſi illi dixiſſet: nuntia Regi ſalutem, ſed ego ſcio, quòd morietur.

Igitur dicendum eſt, nullam in verbis Eliſæi contineri falſitatem, quæ reſtrictione mentali ſit ſananda; ſed planè, & candidè ad interrogationem, an Rex ſanandus eſſet de illa infirmitate, reſpondit: *Sanaberis*; non enim de illa infirmitate mortuus eſt Rex, ſed quia Hazael ſuffocauit eum. Reſpondit igitur, quantùm ad illam infirmitatem Regem ſanandum, i. non ex ea moriturum; nihilominùs Deum ſibi oſtendiſſe, quòd moriturus erat ex alia cauſa.

8. Adducitur 5. reſponſum Matris Machabæorum ad Antiochum 2. Machab. 7., quæ ab eo multis verbis hortata, vt filio ſuo adoleſcenti fieret in ſalutem, promiſit, ſe ſuaſuram; nec tamen ei obe-

Digitized by Google

obedientiam Regi suasit, sed contemptum Regis, & obedientiam Legis. Non videtur autem admittendū, quòd ipsa tunc vel mendaciter sit loquuta, vel infideliter operata; nam de ea dicit Scriptura, quòd loquebatur repleta sapientia, & erat mirabilis, & bonorum memoria digna, ferebatque necem filiorum propter spem, quam in Deum habebat. Certè verò Rex intellexit, vt fieret in salutem temporalem filio suo, ad remouenda, scilicet, ab eo tormenta, & mortem; ipsa autem interpretata est verba Regis de salute spirituali, siquidem filio suasit constantiam inobedientia Legis, & iuxta talem intelligentiam dixit, se ei suasuram; ergo vsa est restrictione mentali, vel intellexit verba Regis non secundùm sensum, ad quem ex intentione illius, & rerum circumstantiis determinabantur, sed secundùm voluntatem suam, & iuxta eam respondit; ergo licet trāsferre verba ad alium sensum ab illo, quem ex se habeant.

Respondetur, etiam ex circumstantiis potuisse apparere, quòd mulier non iuxta sensum Regis verba accipiebat; siquidem semper hortata erat filios suos, ne Regi obedirent; ergo in eo, quòd dictum Regis de salute corporali accepit de salute spirituali, non decepit Regem, sed constantiam propositi tenuit. Rex autem ex leuitate animi deceptus est, si credidit mulierem propter sua verba a proposito deiectam; debebat enim potiùs accipere verba mulieris vt prolata iuxta sensum, quem illucusque, & verbis, & factis ostēderat, cùm illius absque extorsione essent capacia.

9. Arguitur 6. rationibus. Sæpe non expedit aperire veritatem, immo aliquand est pernicioſum; sed mentiri numquam licet; ergo licebit saltem restrictione mētali tegere veritatem: aliter multis malis, & periculis exponitur vita; non enim semper potest responderi interrogātibus: non possum vobis aperire, vel, quid ad vos? Tum quia hoc videtur offensiuum, maximè erga amicos, vel nobiles, aut potentes viros; tum quia sic respondens indicat, se scire, de quo interrogatur; sæpe autem hanc ipsam scientiam expedit occultare, quia potest esse pernicioſa eius manifestatio: atque id maximè militat circa ea, quæ per Sacramentalem cōfessionem cognita sunt. De iis enim respondere: Non possum dicere; est insinuare, se scire, atque adeo, quòd pœnitens illud in confessione reuelauerit; atque id ipsum est frangere sigillum.

Respondetur, quòd Argumentum rectè procederet, si restrictiones mentales saluarent a mendacio; cùm ergo probatum sit, id illas non præstare, non possunt magis æstimari eę licitę ad euitanda temporalia mala, quàm existimentur mendacia. Hoc ergo erat di-

scu-

Digitized by Google

ſcutiendum pro illarum licentia, vel inhibitione, an ſaluent a mendacio, nec ne, non dolendum, quod ſine ipſis pluribus malis expoſita ſit vita. Quot enim mala per mendacia vitari poſſunt? Nec tamen mendacium propterea eſt licitum? *Ecce*, inquit Auguſtinus lib. contra Mendacium cap. 18. *graui morbo periclitatur ægrotus, cuius iam vires ferre non poſſint, ſi ei mortuus vnicus, & chariſſimus filius nuntiatur. Si a te quærit, an viuat, quem vitam finiſſe tu noſti, quid reſpondebis, quando quidquid aliud dixeris præter vnum de tribus, aut mortuus eſt, aut viuit, aut neſcio, nihil aliud credit ille, quàm mortuum, quod te intelligit timere dicere, & nolle mentiri.* (Non cognouit Auguſtinus reſtrictiones mentales, quibus veritas occultetur, & vitetur mendacium) *Tantumdem valet etiam, ſi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo falſa ſunt, viuit, &, neſcio, nec abs te dici poſſunt, niſi mentiendo. Illud autem vnum verum, ideſt, mortuum eſſe, ſi dixeris, & perturbati hominis mors fuerit ſubſequuta, abs te occiſus clamabitur. Et quis ferat homines exaggerantes, quantùm ſit mali ſalubre mendacium deuitare, & homicidam diligi veritatem?* Poſtquæ ſubdit Auguſtinus: *Moueor his poſitis vehementer, ſed mirum, ſi etiam ſapienter. Numquid enim ſi ſtuprum expetat impudica, &, te non conſentiente, ſæuo amore perturbata moriatur, homicida erit & caſtitas?*

Hæc, & ſimilia mala poſſumus a proximo remouere per noſtra mendacia: eadem a nobiſmetipſis, offenſiones, auerſiones, incommoda, onera, pericula. Multa etiam commoda reportari poſſunt per ea, quæ Tacitus Hiſtor. lib. 3, cap. 16. vocat apta tempori mendacia, maximè per adulationes; idque vtinam, non adeo frequenter appareret in felicibus mendaciis, & mendacibus. Numquid ergo licita dicentur mendacia? Ita nec dicenda eſt licita reſtrictio mentalis, eò quia per eam poſſint, & declinari mala, & acquiri bona; ſed illud primitùs oſtendendum, per eas immunes nos reddi a mendacio. Si enim hoc non oſtenditur, perinde eſt vtilitatem quærere ex reſtrictionibus illis, ac ex mendaciis, et conſequenter ex cuiuſuis generis peccatis; peccatores enim in hoc mundo propter corruptionem naturæ feliciorem vitam traducunt, quàm iuſti, vnde eſt illud Dauidis Pſal. 72. 3. *Zelani ſuper iniquos pacem peccatorum videns*; & illa conqueſtio Ieremiæ 12. 1. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Mundus* enim, *quod ſuum eſt, diligit*, Ioann. 14. 19. Et Apoſtolus 2. Timot. 3.: *Omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Sicut igitur propter perſecutiones non eſt declinandum a via iuſtitiæ, ita

nec

Digitized by Google

nec propter pericula, & incomoda à via veritatis, ideſt, vtendum non eſt reſtrictionibus mentalibus, quæ non liberant a mendacio. Sed imitanda conſtantia Firmi Epiſcopi Tagaſtenſis, a quo, vt refert Auguſtinus lib. de Mendacio cap. 7., cùm iuſſu Imperatoris quæreretur homo, quem ad ſe confugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, reſpondit quærentibus, nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere, paſſuſque multa tormenta corporis permanſit in ſententia. Deinde ad Imperatorem ductus, vſque adeo mirabilis apparuit, vt ipſi homini, quem ſeruabat, indulgentiam ſine vlla difficultate impetraret. Poterat ſanè iſte per mendacia, aut reſtrictiones mentales tormenta corporis euadere, ſed nec mentiendo, nec reſtringendo, aut mirabilis apparuiſſet, aut tantam gratiam, tam facilè impetraſſet. Itaque & conſtantiam veritatis, & fidelitatis tenuit, & felicitatem obtinuit conſtantiæ, & fidelitatis.

10. Ad ipſum igitur Argumentum reſpondet Piſani, quòd circa ea, quæ ſub naturali, aut Sacramentali ſigillo noſcuntur, poteſt reſponderi: Neſcio, quia, inquit, interrogatio eò tendit, vt manifeſtetur id, quod neſcitur; qui autem ſub illo ſigillo ſcit, non ſcit, vt manifeſtet alteri. Et ſubdit: *Si hoc modo reſtrictionis non eſſet licitum vti, nullus eſſet modus licitè celandi ſecretum, quod ſine graui damno, & incommodo manifeſtari nequit.*

Hæc reſponſio inſufficiens eſt, immo abſurda. Primò. Si de cognitis ſub ſigillo ideo poteſt reſponderi, neſcio, quia illa nō ſunt dicta, vel cognita, vt manifeſtentur, de omnibus ferè poterit ita reſponderi; ideſt, de omnibus iis, quæ non ad eum finem dicta ſunt vni, vt manifeſtentur aliis, cuius oppoſitum rarò accidit. Itaque ferè ſemper licebit reſpondere, neſcio, quamuis ſciatur id, de quo fit interrogatio.

Secundò. Quòd non ſit dictum aliquid alteri, vt ab eo ceteris manifeſtetur, immo etiam ſi prohibita ſit manifeſtatio, non facit, vt illud ab eo non ſciatur. Non enim interdictum manifeſtandi tollit cognitionem rei, immo ſupponit, quia ſtultè interdiceretur alicui manifeſtatio rei, quam ignorat; ergo non niſi mendaciter tunc poteſt reſponderi: neſcio. Aliud quippè eſt neſcire, aliud nolle, vel non poſſe manifeſtare. Neque tunc intercedit reſtrictio mentalis, etiam ſi ſubintelligatur, *vt manifeſtem tibi*; nam id non pertinet ad cognitionem, ac proinde non reſtringit, aut modificat ſignificatum illius enunciationis: neſcio; ſed tantùm dicit impotentiam manifeſtandi, vel voluntatem non manifeſtandi, quæ

diuer-

Digitized by Google

diuerſa ſunt a cognitione, & poſſunt ſtare cum integra cognitione, ſicut ſtaret licentia manifeſtandi. Sic ſupra dicebamus de reſponſo Chriſti ad diſcipulos interrogantes de hora iudicii; & eius, qui rogatus mutuare pecunias, reſpondet, non habeo, quamuis habeat, ſubintelligendo, vt mutuem tibi.

Tertiò. Reſponſio non ſatisfacit, ſed manus dat argumento: Id enim per argumentum intenditur, vt ſit licitum vti reſtrictione mentali, quando ſine detrimento veritas non poteſt, aut omnino celari, aut apertè proferri. Atqui id ipſum concedit reſponſio, immo neceſſarium adſtruit. Ergo præuaricatur in cauſa, & colludit cum aduerſario.

Quartò. Damnum, vel periculum damni non poteſt præſtare, vt vera ſit reſponſio, quæ aliàs non eſſet vera; veritas enim eius ſumitur a conformitate ad rem ſignificatam, non a malo præſenti, vel futuro enunciantis; ergo, ſi extra caſum damni, aut periculi nō licet vti reſtrictione mentali, neque licebit in illo; aut, ſi licet in illo, licebit etiam extra illum; vtrobique enim, vel erit mendax, vel non erit mendax enunciatio prolata cum illa reſtrictione.

Quintò. Semper, & ex natura ſua interrogatio petit manifeſtationem rei, quam neſcit interrogans, & putat ſciri ab eo, quem interrogat; ergo abſurdiſſimè de ſolis iis, quæ ſciuntur ſub ſigillo, dicitur, quòd poſſit reſponderi, neſcio, eò quia interrogatio tendit, vt manifeſtetur interroganti id, quod ſcitur ab eo, qui interrogatur, quaſi aliæ interrogationes non eò tendant.

Reſpondendū igitur, importunitates, vel potiùs improbitates illarum interrogationum eſſe, vel viriliter coercendas, & retundendas, vel, ſi mauis, dulci, humlilique ſermone deprecandas, ſicut & quaſcumque inhoneſtas petitiones. De iis tamen, quæ ſub ſigillo Sacramentali noſcuntur, poteſt reſponderi, neſcio; non quia tunc liceat vti reſtrictione mentali; ſed quia rationabiliter præſumitur, fidelem non interrogare de iis; eſſet enim hæc magna impietas, & temeritas, quæ in nullo ſupponenda eſt. Ergo tunc ly, neſcio, hāc habebit ſignificationem, neſcio per notitiam naturalem, ſecundùm quàm tu me interrogas, vel ego interrogare te credo; quia, nimirum, ipſa probitas, quæ credenda eſt, interrogantis, reſtringit ſenſum interrogationis ad notitiam non habitam ex confeſſione Sacramentali. Si autem expreſsè de hac interroget, non eſt vtendum reſtrictione mentali, vt ait Diana, (qui in hac re longam fabricat ſcalam interrogationum, & reſponſionum reſtrictarum, ſed gradibus infirmis, lubricis, atque fallentibus) quia hoc ſine

Digitized by Google

mendacio fieri non potest; sed increpanda eius audacia, qui ipsa sui interrogatione grauem iniuriam intulit Confessario, quem sperauit ad fractionem sigilli Sacramentalis potuisse perduci. Et si propterea ingruant persecutiones, pro Deo sunt tolerandæ. Quid enim, si neque restrictione mentali valeas, aut scias occultare veritatem, quam periculosum tibi est reuelare, vt in casu superiori insinuat Augustinus? Nunquid tunc licita dicentur mendacia? Ergo fortiter est tolerandum, nec falso, & fallaci, quod, nec semper adhiberi potest medicamine vtendum restrictionis, quod propinant moderni Doctores.

11. Arguitur septimò. Nullum pactum, nulla Lex prohibet, quin vtamur vocibus materialiter tantùm, idest, non significatiuè: vel quin eis demus significationem, quam volumus, sic scilicet, vt per vocem, comedere, intelligamus, dormire; ergo hoc pacto licebit occultare veritatem absque mendacio, nimirum, vel vtendo vocibus non ad significandum, vel iuxta significationem, quæ loquenti placet. Ita Tamburinus.

Respondetur primò, per hoc Argumentum, non inferri licentiam restrictionum mentalium (aliud est enim restringere significationem vocum, aliud vti eis non significatiuè, vel mutare earum significationem, tribuendo eis ad placitum diuersam a communi), sed induci nouum modum decipiendi auditores, si Diis placet, sine mendacio, quem, si cognouissent Priscillianistæ, libentissimè illum præ mendaciis, & periuriis ad occultandas suas sordes suscepissent. Cùm enim putet auditor, voces vsurpari significatiuè, & iuxta communem sensum, procul dubio decipitur a loquente, qui, nulla declaratione præmissa, eas vsurpat non significatiuè, vel iuxta diuersam, ignotamque significationem. Sic enim nota affirmationis poterit sumi pro nota negationis, id est, maximè, pro, minimè; & cùm dicitur: hoc affirmo, intelligi: hoc nego; & cùm dicitur: hoc verum est, intelligi: hoc falsum est. Ex quo quanta perturbatio humanæ societatis oriatur, nemo non videt.

Non extat igitur lex, vel pactum, vt homo, cùm solus est, vel sibi ipsi loquitur, vsurpet voces significatiuè; immo potest tunc Bub, & Baf, & Bilctri pro libito iactare, simulque suis vocibus, quam voluerit, significationem imponere: verùm voces non sunt institutæ ad significandum nobis, sed aliis, & extat lex naturæ prohibens deceptionem proximi; decipit autem illum, qui, vel eas vsurpat non significatiuè, vel ad alium sensum a communi,

nec

Digitized by Google

nec ſe prædeclarat (quod ipſum facere non poteſt, niſi vſurpando voces ſignificatiuè, & iuxta communem ſignificationem). Debet enim auditor credere, quòd loquens eas vſurpet ſignificatiuè, & iuxta ſignificationem communem, aliter habet illum, vel pro ſtulto, vel pro deceptore; ergo, & qui loquitur, debet ita vſurpare eas, aliter decipit auditorem; immo qui eis vtitur non ſignificatiuè, non propriè loquitur alteri, quia loqui alteri eſt illi manifeſtare ſuam mentem, ille autem nihil illi manifeſtat, dum nihil ſignificat, vel ſignificare intendit; ergo fingit ſe loqui, atq; adeo decipit auditorẽ; & qui eis vtitur in diuerſa ſignificatione magis decipit, quia auditor credit, ſicut debet, eas ſumi iuxta cõmunem ſignificationem.

12. Si quis alloquatur Græce eum, quem ſcit, non callere Græcum idioma, illudit illi, etiam ſi ea verba aſſumat, quæ verè iuxta Græcum idioma exprimant ſuos ſenſus; quantò ergo magis illudit auditori, qui verba illi nota vſurpat non ſignificatiuè, vel ſecundùm diuerſam ſignificationem? In primò enim caſu auditor non decipitur, quia nil concipit, dum verborum ſenſum non percipit; at in ſecundo concipit falſum, id eſt, vel quòd loquens verè ſignificet, vel quòd ſignificet iuxta communem ſenſum, atque adeo decipitur.

Extat autem pactum ſaltem tacitum, & virtuale ex ipſa cõmunicatione ſermonis inter homines, vt determinatis verbis, & iuxta determinatã ſignificationem, cùm illũ communicant, vtantur, pro manutenendo commercio, ſeu ſocietate vitę, quę illo vinculo, ſeu vnitate ablata, ſeruari non poteſt, vt patet in ſtructoribus turris Babilonicę, qui, diuiſis linguis, conuiuere non potuerunt. Hinc dolet Auguſtinus primo Confeſſionum cap 18. quòd homines diligẽter obſeruent *pacta litterarum, & ſyllabarum accepta a prioribus loquutoribus, & negligant pacta æterna ſalutis tradita a Deo.* Qui etiam ibidem opportunè ad præſẽs propoſitum commemorat, *non eſſe aliam interiorem litterarum ſcientiam, quàm ſcriptam conſcientiam, id ſe alteri non facere, quod nolit pati.* Nullus autem pateretur, a colloqutore ſuo voces non ſignificatiuè, vel iuxta aliam ſignificationem ſibi reponi; ergo neque quiſquam id debet erga alterum facere. Validiùs autem. Sicut magna felicitas ſæculi erat, cùm *terra eſſet labij vnius, & ſermonum eorumdem*, ita magna eidem pœna inflicta fuit merito ſuperbiæ, & impietatis, cùm ita confuſa eſt lingua, vt non audiret vnusquiſq; vocem proximi ſui; inde enim diuidi neceſſe fuit homines in vniuerſas terras, ſingulos ab iis, cum quibus linguę cõmercio non tenebantur, Genes. 11. Sed maior eſt pœna, quam ſub

Digitized by Google

ſpecie libertatis, vel licentiæ, nobis ex eodē noſtro genere, neſcio quo peccati merito, inferre molitur Tāburinus: ita enim diuidit linguas, vt nō ſeptuaginta duas, quo numero finita dicitur prior illa diuiſio, ſed tot faciat, quot ſunt homines, qui loquuntur, immo, & volūtates loquētiū, data vnicuiq; poteſtate per quālibet vocē ſignificādi quodlibet, vel non ſignificandi, atque adeo idiomatis communionem auferens, non per nouam vocum inuentionem, vt tunc, ſed per ſignificationis mutationem, & ipſius ſignificationis ablationem. In quo illud eſt deterius, vt mox dicebamus, quòd, cùm auditor non percipit ſignificationem vocum, quia, ſcilicet, ſunt iuxta idioma, quod non callet, immunis eſt a deceptione, & tantùm patitur malum carentiæ commercii, ſiue ſocietatis, quòd tamen adeo graue eſt, vt dixerit Auguſtinus 19. de Ciuit. c. 7., & experientia teſtatur, malle homines brutis conuiuere, quàm iis hominibus, quorum non intelligunt ſermonem; at eam pœnam nobis infligit Tamburinus, non, vt vnuſquiſq; non audiat vocem proximi ſui, quod tunc accidit, ſed, vt eam audiens, decipiatur. Vnde tantum mali a Tamburino meruit genus huma-num? Romanos laudat, & meritò Viues in Comm. cap. 7. lib. 19. de Ciuitate Dei, quia rem, vt ait, conabantur pulcherrimam, & toti humano generi vtiliſſimam, vt eſſet vnica aliqua lingua, qua ſe gentes omnes mutuò intelligerent; curabant enim, vt & in Prouinciis plurimi Latinè loquerentur, ita vt Hiſpanias, & Gallias Latinas prorſus fecerint, veteribus illarum gentium linguis abolitis. Sed oppoſitum planè molitur Tamburinus, ideſt, vt nec duo ſe inuicem intelligant; ergo patet, quid de eo ſit ſentiendum.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXIV.

Contra Propoſitionem XXVII.

Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel quemlibet alium virtutis actum: Itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 RESTRICTIO mentalis propriè ſumpta diſtinguitur ab Æquiuocatione, & Amphibologia pariter propriè ſumptis. Illa enim eſt limitatio vocis, ſiue enunciationis ad ſignificatum particulare ex tacita voluntate loquentis, vt ſupra Propoſitionem antecedentem cap. 1. dictum eſt. Æquiuocatio autem non eſt in enunciatione, ſeu Propoſitione, ſed in voce, aut termino ſimplici, qui poteſt ſignificare plura ſub diuerſa ratione, vt traditur in Logicis; vel, ſi eſt in propoſitione, id eſt propter terminos, ex quibus componitur.

Amphibologia verò eſt in propoſitione: Definitur enim a Calepino: *Sermo dubiam ſententiam indicans.* Sed non ex reſtrictione loquentis; ſed, vel propter duos accuſatiuos a verbo infinito rectos, vt in illo Oraculo: *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe*, vbi dubium eſt, an Æacidis, an Romanis prædicatur victoria; vel propter verbum commune, quod, ſcilicet, ſit ſignificationis actiuę ſimul, & paſſiuę, vt in illo: *Cato iuſtè criminatur*, in quo ambiguum eſt, an Cato dicatur accuſator, an accuſatus; vel aliis modis apud Calepinum

Digitized by Google

lepinum. In præsenti Propositione Amphibologia sumitur pro restrictione mentali; nam in Propositione præcedenti de illa fuit sermo; in hac autem dicitur: *Causa iusta vtendi his Amphibologijs*; ergo Amphibologias vocat restrictiones mentales, seu propositiones cum illis prolatas, de quibus antea dictum fuerat. Et quidem propositio cum illis prolata potest largè dici amphibologica, quia, quamuis non ex natura terminorum, aut suæ constructionis, tamen ex intentione loquentis ambiguum habet sensum.

Cùm igitur in præcedentibus ostensum sit, per restrictiones mentales non effugi mendacia, patet falsitas huius Propositionis; non enim potest esse expediens, & studiosa, aut iusta occultatio veritatis per mendacia.

2. Verùm illud disceptari potest: An liceat loqui amphibologicè? Et quidem, cùm id fit ad exercenda auditorum ingenia, maximè ipsis scientibus, & volentibus, vt in obscuritate sermonis inuestigent sensum eius, vt, cùm proponuntur ænigmata, patet ibi non adesse, nec falsitatem, nec fallaciam. Item, cùm quis id facit, quia non vult aperire mentem suam: id enim est obscurè, non falsò, aut fallaciter loqui.

Sed, si Propositio, quam profert, eiusque termini habeant certum sensum ex communi acceptione, vel ad ipsum restringatur ex circumstantiis, ille autem mente sua ad alium transferat, tunc vtitur restrictione mentali, atque adeo mendaciter loquitur.

Dat exemplum Pisani in sua materna, ideſt, Sicula lingua; in qua vox, *sanus*, significat, & benè valentem, & eunuchum; si igitur ægrotet eunuchus, & aliquis, qui scit illum ægrotare, interrogatus, an ille benè, vel malè se habeat, respondeat: *sanus est*, intelligendo, quòd sit eunuchus; iste peccat, quia ex circumstantiis rerum in illa interrogatione vox, *sanus*, restringitur ad significandum recta valetudine vtentem: ergo, cùm in alio sensu vsurpatur, datur ansa deceptionis proximo; immo illuditur. Limitandum est tamen; nisi sic respondens aliquo signo indicet, se ingenii ostendendi, vel ioci gratia velle in æquiuoco ludere. Augustinus enim de Mendacio cap. 2. a mendaciis excipit ioca: *Habent enim*, inquit, *euidentissimam ex pronunciatione, atque ipso iocantis affectu significationem animi numquam fallentis, & si non vera enunciantis*. Quamuis autem subdat: *Quo genere, vtrum sit vtendum perfectis animis, alia quæstio est*, Non tamen ideo hoc dicit, quasi dubitet, an ioca sint mendacia, & ideo contra spiritualem perfectionem; nam ea non esse mendacia immediatè ante statuerat; sed, quia ioca videri possunt esse contra grauitatem

Digitized by Google

tatem, & rigoris relaxationes, vnde nullum iocum, ſicut nec riſum legimus de Chriſto Domino.

Sic ſine dubio peccarunt Epiſcopi illi Ariani, qui coacta in Nicæa Thraciæ Synodo, formatoque ibi ad Arianæ impietatis ſenſum Symbolo Fidei, ipſum vt Nicænum Symbolum obtruſerunt, tamquam, ſcilicet, illud, quod in Nicæa Bithiniæ a 318. Epiſcopis cõditum fuerat, ſic æquiuocantes in voce, *Nicænum*, vt traditur in Hiſtor. tripart lib. 5. cap. 25. Quod notent ij, qui putant, licitam eſſe æquiuocationem, etiam, cùm aduertitur periculum deceptionis proximi. Et multò magis id, quod ſequitur. Nam mulier quędam ab Arianis ſubornata contra S. Euſtathium Antiochenum, infantem recenter editum detulit ab Epiſcopos dicens, & iuramento confirmans, ſe illum ex Euſtathio ſuſcepiſſe; nec putabat ſe periuram, eo quia re vera ab Euſtathio quodam ærario corrupta fuerat; putans, nimirum, ſe æquiuocatione nominis a periurio defendi. At, Deo vindice, exitiali morbo correpta, impoſturam fateri coacta fuit. Hoc factum refert D. Athanaſius.

✠ ✠
✠

Digitized by Google

DISPVTATIO XXV.

Contra Propoſit. XXVIII.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, uel ad officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1  E hac ita cenſet Schola Louanienſis apud Fagnanum: *Patrocinatur humanæ ambitioni, iuſtificat periuria, & mandatum Regis inutile reddit*. Cui cenſuræ in honorem prædictæ Scholæ libet inſiſtere, ſingulas eius partes explicando.

Patrocinatur primò ambitioni; quia abrumpit frena ei iniecta, ne honores immeritos ambiat; ideo enim a Rege exigentia illius iuramenti mandatur, vt homines ambitioſi, & indigni, ſaltem horrore periurii, retineantur ab honoribus indebitis ambiendis; ſed Propoſitio dat modum euadendi periurii; ergo patrocinatur ambitioni.

Iuſtificat ſecundò periuria. Nam Iuramentum, quod non verificatur ſecundùm intelligentiam, ſeu intentionem exigentis, etiam ſi verificetur ſecundùm intelligentiam iurantis, falſum eſt, atque adeo periurium; vt enim ait D. Thom. 22. qu. 89. art. 7. ad 4. Iuramentum ſeruandum eſt (atque adeo etiam præſtandum) ſecundùm

Digitized by Google

dùm ſanum intellectum eius, cui præſtatur, quando ex dolo iurantis prouenit, vt alia ſit intentio iurantis, alia eius, cui iuratur. Et cap. *Quacumque.* 22. qu. 5. dicitur: *Quacumque arte verborum quiſque iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus ſit, quia, & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Quibus verbis etiã ratio redditur, cur iuramentum præſtandum ſit ſecundùm intentionem exigentis; quia .s. aliter illud exigens dolo capitur putans, ſicut putare debet, ipſum præſtari ſecundùm intentionem exigentis; ideoque aſſumitur nomen Dei in vanum, quia ad decipiendum proximum. Idque grauius eſt, cùm exigens habet ius exigendi, quia, ſcilicet, eſt Iudex, vel Magiſtratus.

Intellexit hoc etiam Tullius 3. Officiorum loquens de milite Romano captiuo ſub Annibale, qui iurauerat, ſe reuerſurum ad caſtra, non tamen ſecundùm intentionem Annibalis, qui iuramentum exegerat, ideſt, ad manendum ſub captiuitate, ſed ſecundùm intentionem propriam, reuertendi, & poſtea iterum diſcedendi. De hoc itaque Tullius: *Fuit ſtulta calliditas peruerſè imitata prudentiam; fraus enim diſtringit, non diſſoluit periuria. Itaque decreuit Senatus, vt ille veterator, & callidus vinctus ad Annibalem duceretur.* Quibus verbis Tullius etiam ſupra relati Capitis ſententiam imitatus eſt; quòd, ſcilicet, ille ſic iurans dupliciter reus ſit.

Reddit 3. inutile mandatum Regis, quia facit, vt non aſſequatur finem intentum de comprimenda ambitione per horrorem periurii; ſiquidem docet, illud iuramentum non eſſe periurium.

His additur primò, Si iurare ſecundùm diuerſam intentionem ab ea, quam habet iuramenti exactor, non eſt peierare, nec decipere proximum, id ſemper licebit. Si autem eſt peierare, & decipere, neque licebit ad non aperiendum crimen occultum; numquam enim poteſt eſſe licitum mendacium, & periurium, quod eſt eſſentialiter malum; ergo nulla eſt ratio, quę pro licentia illius iuramenti adducitur.

2. Secundò. Ex neceſſitate illius iuramenti præſtandi non cogitur quis fateri crimen occultum, ſed inducitur ad abſtinentiam eius criminis, quod poſtea occultare non poſſit, niſi ſit periurus, & hoc fine præcipitur illud iuramentum. Ergo neceſſitas fatendi crimen occultum ad euitandum periurium naſcitur ex crimine commiſſo, non ex præcepto. Eſt autem irrationabile, & peruerſum, vt quis propter crimen, quod commiſit, vel non teneatur obedire mandato Regis, ſeu non teneatur præſtare iuramentum iuxta intentionẽ

Digitized by Google

Regis præcipientis, vel, si alio sensu iuret, non sit mendax, nec deceptor, nec periurus; reportaret enim commodum ex iniquitate, cùm potiùs propter peccatum dignus sit priuari suis iuribus. Immo tunc Rex amitteret ius præcipiendi, vt præstetur iuramentum iuxta suam intentionem. Si enim subditus non tenetur obedire, non potest Superior præcipere. Quis autem dicat, ex peccato subditi tolli ius Principis, idq; propter hoc ipsum, ne detegatur peccatū subditi? Quasi subditus peccet, & puniatur Princeps amissione iuris ad puniendum peccatum? Igitur prorsus irrationabiliter, & inconsideratè illud dicitur.

Tertiò. Ius priuatum hominis præsertim criminosi ad effugiēdā pēnā peccati, non potest præualere iuri Principis, seu Reipublicæ de inducendo, vel cōseruādo bono regimine; aliter pars præualeret toti, & peccatum iustitiæ; sed Rex præcipit, iuramentum illud præstari secundùm suam intentionem pro bono regimine Reipublicæ, vt nempe homines ambitiosi, & indigni arceantur a publicis muneribus, quæ dignis debentur; ergo ius priuatum de non aperiendo crimine occulto non præstat facultatem, vt vir criminosus, qui infregit Regis mandatum, sit liber ab obligatione præstandi iuramenti iuxta intentionem Regis. Habet quidem vir priuatus ius seruandi vitam, famam, & bona, sed non cōtra publicam potestatē, idest, nō contra bonum totius, quod ab illa intenditur; pars enim est in toto, & propter totum, non e contra; ideo pars pati, aut etiā perire debet pro conseruando toto, non e conuerso; maximè cùm in crimine est.

Quartò. Occultatio criminis per mendacia, & periuria non est licita, nisi Priscillianistarum reuocemus errores, de quibus Augustinus hæres. 70. Sed restrictiones mentales non saluant a mendaciis, & periuriis, vt in antecedentibus probatum est; ergo non licet celare crimen per restrictiones mentales.

3. Quintò. Ratio, propter quam reus interrogatus a Iudice de crimine non tenetur ei respondere, nisi adsint semiplenę criminis probationes, est, quia Iudex inferret illi iniuriam, tamquam habens eum pro noxio; at hæc ratio non militat in proposito; non enim præsumitur crimen in eo, a quo exigitur illud iuramentum, immo exigitur, vt ostendatur non adesse; &, si in hoc esset iniuria, liceret recusare iuramentum, non tamen eius verba restringere, sicut illi reo licet non respondere; ergo nulla est ratio, cur illi liceat iurare cum restrictione mentali; sicut enim plena probatio criminis exigitur ex ore ipsius rei, nec isti licet occultare veritatē, vel non respondendo, vel vtendo restrictione mentali, multòque minus

Digitized by Google

minùs mentiendo, eò quia crimen, de quo interrogatur, non ſit plenè probatum, nec ipſe teneatur manifeſtare, quod adhuc aliquo modo latet; ita nec illi licet per reſtrictiones mentales occultare veritatem, etiam ſi inde ſequatur manifeſtatio criminis occulti.

In Iure Canonico præcipitur purgatio canonica propter ſolam criminis ſuſpicionem, & qui eam non præſtat, feritur anathemate, vt patet ex cap. *Excommunicamus* de Hæreticis. Crimen autem, de quo ſola ſuſpicio adeſt, eſt occultum; nec tamen ille, cui purgatio iudicitur, poteſt recuſare purgationem; ergo neque ille poteſt recuſare iuramentum ſibi delatum ſecundùm intentionem deferentis, purgatio enim fit per iuramentum.

Tamdem contra Propoſitionem affertur iudicium Senatus Ethnici Romani, quod refert Tacitus 4. Hiſtor. cap. 5. In odium enim, inuidiamque accuſatorum iuſiurandum conceperunt Senatores, nihil ope ſua factum, quo cuiuſque ſalus laderetur, neque ſe premium, aut honorem ex calamitate ciuium cæpiſſe: *Trepidis*, inquit Tacitus, *& verba iuſiurandi per varias artes mutantibus, quibus conſcientia flagitij inerat*. Fortè verba in eam formam aptabant, vt iis ſubdi poſſet reſtrictio mentalis ad euitandum periurium. Nodum, ſcilicet, exorti erant Doctores Iuramenti præſtandi ſub diuerſa intentione ab intentione exigentis. Subdit autem Tacitus: *Probabant Religionem Patres, periurium arguebant*. Hoc Ethnicorum hominum iudicium, ſeu conſcientia magni momenti debet eſſe contra Propoſitionem, & eius Autores.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXVI.
Contra Propoſit. XXIX.

Vrgens metus grauis eſt iuſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PRimò. Quia ſimulatio ex natura ſua mala eſt, vtpotè contra veritatem, & virtutem veracitatis, &, ſi opere fit, eò grauior, quò magis permanent, magiſque decipiunt facta, quàm verba; ergo ex nullo capite excuſari poteſt.

Secundò. Quia ſimulatio in adminiſtratione Sacramentorum eſt in re grauiſſima; ergo non ſolùm eſt mala, ſed etiam mortaliter.

Tertiò. Quia per illam ſimulationem illuditur Deo Authori Sacramentorum, quiuè in illis principaliter operatur, & decipitur proximus cum magno eius damno, quia, ſcilicet, putat ſe recipere Sacramentum, & gratiam Sacramenti, nihilque recipit. Ita Innocentius cap. *De homine* de Celebratione Miſſarum dicit, grauiter peccare Sacerdotem fictè in Miſſa communicantem, quia, ſcilicet, non conſecrabat; & grauiùs, quàm ſi cum conſcientia peccati mortalis verè communicaſſet. *Cùm*, inquit, *falſa ſint abijcienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora, licèt cùm quis proſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet grauiter, ſi ſe ingerat irreuerenter ad illud, grauiùs tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare, cùm ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat, iſte verò non ſolùm Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat.*

Quar-

Digitized by Google

Quartò. Auguſtinus epiſt. 9., & 19. acriter contendit contra Hieronymum, Apoſtolos non ſimulaſſe poſt paſſionem Chriſti religionem, ideſt, cæremonias, & Sacramenta Iudaica, immo verè, & ex animo illam exercuiſſe, vtque ipſe loquitur: *Non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu*, ad mulcendos, ſcilicet, & præparandos Iudæos ad Fidem, quia tunc id licebat; aliter peccaſſent peccato ſimulationis, ſiue mendacii, neque excuſarentur ex metu graui perſecutionis Iudæorum, neque ex bono fine lucrandi Iudæos ad Fidem; ergo ſimulatio etiam ex metu graui eſt peccatum. Legendus Auguſtinus.

Quintò. Simulatio mali, mala eſt, etiam quocumque metu vrgente, vt patet in Eleazaro, qui noluit ſimulare comeſtionem carnis ſuillæ, quamuis metu mortis vrgeretur 2. Machabeor. 6.; ergo etiam ſimulatio boni, qualis eſt ſimulatio adminiſtrationis Sacramentorum. Probatur Conſequentia; etenim illa mala eſt, quia ſcandalizat; hæc verò, quia bonum corrumpit: vnde ait Hieronymus: *Simulata ſanctitas duplex eſt iniquitas*; & Chryſologus ſerm 7.: *Simulator virtutis virtutes obtruncat mucrone virtutum*. Hinc tot inuectiuæ Chriſti, & Patrum in hypocritas.

2. Sextò. Simulare idem eſt, ac fingere; ſed fingere eſt ex duplicitate cordis oppoſita ſimplicitati, ſeu ſinceritati eiuſdem, ſeu eſt, eſſe mendacem, quia mendax duplex cor habere dicitur, vt notat Auguſtinus lib. de Mendac. cap. 3.; ergo ſimulare eſt mentiri; ſed mendacium indiſpenſabiliter eſt peccatum, vt poſt Auguſtinum omnes Theologi docent; ergo nulla poteſt eſſe iuſta cauſa ſimulandi. Hinc Gregorius homil. 23. in Euangelia, explicans verba illa Lucæ 24.: *Finxit ſe longiùs ire*, ne videretur fictio, ſeu ſimulatio, ſeu mendacium tribui Chriſto Domino, dicit: *Nihil ſimplex veritas per duplicitatem fecit, ſed talem ſe eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente*. Qui ergo aſſerit, poſſe dari iuſtam cauſam ſimulandi, neceſſariò aſſerere debet, poſſe aliquando mendacium abſolui a peccato; id autem eſt impoſſibile, cùm illud ex natura ſua ſit peccaminoſum, vtpote oppoſitum veritati, & veracitati; vnde pro nulla cauſa, neque pro ſalute ſpirituali animarum dicendum eſt, vt probat Auguſtinus lib. contra Mendacium.


Qui verò aſſerit, poſſe etiam adminiſtrationem Sacramentorum ſimulari, ideſt, falsò, & mendaciter peragi ex graui metu,

tu,

Digitized by Google

tu, seu pro euitando graui damno temporali, latenter asserit, non esse omnia bona referenda ad Deum, immo Diuina, & Deum ipsum ad nos; siquidem præponit nostram indemnitatem honori Sacramentorum, quæ maximè Diuina sunt. Ergo illa simulatio non tantùm est peccatum, sed etiam mortale propter grauitatem materiæ.

* * *
* *
*



Digitized by Google

DISPVTATIO XXVII.

Contra Propoſitionem XXX.

Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hac ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum eſt, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 QVòd Propoſitio falſa ſit, meritòque damnata, oſtenditur primò. Quia neque ad tuendam vitam licet per ſe, ideſt, ex intentione occidere, ſed tantùm ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ; quod moderamen in eo eſt, vt non maior, vel diuturnior conatus adhibeatur, quàm neceſſe ſit defenſioni. Hinc cap. *Significaſti* il 2. de Homicidio reprehenditur Sacerdos, qui ligone repercuſſit aggreſſorem, eò quia illud inſtrumentum facilè lædit lethaliter; & quòd percuſſerit in capite, vbi quis de leui grauiter læditur; quia, ſcilicet, ad ſe defendendum non erat neceſſe tali inſtrumento, nec in ea corporis parte percutere; vnde dicitur, non poſſe illum a pena homicidii penitus excuſari; & Gloſa in dicto capite, & in cap. *Si verò* de Sententia excommunicationis, dicit, repulſionem fieri debere, non ex interuallo, ſed in continenti, ideſt, in ipſa aggreſſione: aliter non erit repulſio, ſed vindicta; vt ſi

Digitized by Google

vt, si aggressor nolebat repercutere, & aggressus repercussit; multò magis, si aggressor discessit. Ergo a fortiori non licet occidere calumniatorem, qui calumniam nondum intulit, sed nititur inferre. Calumnia enim lædit honorem, vel famam, quæ, cùm sint bona externa, minora sunt bono vitæ, vt docet D. Thom. 22. qu. 73. art. 3. Magis autem tenemur diligere bona superioris ordinis in proximo, quàm inferioris in nobis; ergo peruersum est, pro honore, vel fama, iisque nondum læsis, sed quæ sint in periculo lesionis, proximo vitam eripere. Vulgò quidem dicitur, magis habendum honorem, quàm vitam, & quòd propter honorem sublatinetur hęc vita tot calamitatibus, ærumnisq; referta; sed si nomine honoris intelligitur verus honor, qui nascitur ex opere virtutis, verum dicitur, quia vita ipsa ad opera virtutum referenda est, quibus Deo seruimus; sed, si intelligitur hominum extimatio, vel fama, de inanis gloriæ tumore descendit contra Doctrinam humilitatis Magistri: *Beati*, inquit, *estis, cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos mentientes propter me*, Matthæ. 5. 11. De hoc autem peruerso sæculi sensu videtur ortum habere Propositio, quæ facultatem occidendi calumniatoris, non cuilibet, sed tantùm viro tribuit honorato: sicuti & de alia sæculi peruersitate, qua dicitur, pecuniam esse primum sanguinem, videtur processisse Propositio 31. licitam asserens occisionem furis pro conseruatione vnius aurei.

2 Ostenditur 2. Quia calumnia nobis impacta, vel impingenda non est repellenda ex cupiditate priuati honoris, sed ex fine charitatis; 1. propter bonum, vel ipsius calumiantis, vt a calumniando abstineat, vel illorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas, ex D. Thoa 22. qu. 12. art. 3. cor. & ad primum. Huic autem fini nihil magis oppositum, quàm occisio calumniantis.

3. Occisione calumniantis non ostenditur calumniam passi innocentia, atque adeo, nec repellitur calumnia; immo ingeritur suspicio, ne verum imponatur crimen, cuius, scilicet, conscius ille, & de innocentia ostendenda diffidens, præ ira, & timore maluerit illud cæde imponentis obruere, quàm iusta defensione purgare. Vel saltem illa cædes procedit de superbia, qua occidens elati animi, vel potentiæ famam consequi cupit, vel sperat, dum, vel solas verborum contumelias, easque nondum prolatas summo vindictæ rigore longè supra iustam compensationem prosequitur.

Isdem rationibus falsa etiam ostenditur secunda pars Propositionis,

Digitized by Google

tionis, qua dicitur licita occiſio eius, qui poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugerit. Nam poſt fugam offendentis nulla eſt neceſſitas defenſionis, ſiquidem nullus adeſt offenſor: ergo occiſio fugientis omnino procedit de ardore vindictæ, quam priuata authoritate perficere tum humanæ, tum Diuinæ Leges interdicunt.

Quia autem nonnulli putant, neque contra armatum aggreſſorem eſſe licitam defenſionem per arma propter periculum occiſionis eius; quod ſi verum eſſet, etiam ex eo euerteretur Propoſitio, contra quam diſputauimus; ideo placet examinare, an illa ſententia vera ſit, maximè, quia tribuitur Auguſtino, cuius doctrinam Nos profitemur. Sit ergo.

CAPVT II.

An liceat inuaſo ſe contra inuaſorem defendere cum periculo occiſionis eius.

1. SEntentia negatiua tribuitur Auguſtino a noſtro Anconitano, qui eam defendit de Poteſtate Eccleſiaſtica qu. 52. art. 3., ab Adamo cap. 3. pag. 185., qui propterea reprehendit Auguſtinum, Vaſquez de Reſtitutione cap. 2. dub. 6. nu. 18., qui affirmat, quoſdam ex Canoniſtis eam amplecti. Abulenſis autem qu. 109. in cap. 5. Matthæi dicit, eam videri aliqualiter eſſe de mente Auguſtini. Molina diſp. 3. nu 3. ait, vehementem eſſe ſuſpicionem, quòd Auguſtinus fuerit eius ſententiæ. Gerſon ſecunda parte Compendii Theologici in expoſitione 5 præcepti eam tribuit Anſelmo, nec reiicit. Sequuntur verò eam Richardus a S. Victore, & Almaynus relati a noſtro Salonio, Accurſius, & Gloſa ſuper legem *Vim vi* de Iuſtitia, & Iure, nec non Eraſmus Annotatione in cap. 22. Lucæ. Fuſiſſimè verò, vt veram, & de mente Auguſtini eam nuper defendit noſter Magiſter Henricus Noris Veronenſis Eccleſiaſticæ Hiſtorię Profeſſor in Vniuerſitate Piſana vir eruditiſſimus, pluriumq; voluminum ſacra, & profana eruditione pleniſſimorum Scriptor, in Vindiciis Auguſtinianis cap. 4. §. 9.

2. Primò videndum eſt: An hæc ſententia ſit vera. Secundò: An ſit Auguſtini.

Quantùm ad primum; ea apparet omnino falſa. Reiiciunt cõ-

Digitized by Google

muniter Doctores; immo eam Schola Parisiensis, vt legi Diuinæ positiuæ, & naturali repugnantem damnauit in Censura Assertionum Erasmi tit.5. de Reparatione Iniuriæ. Affinis est errori Lutheri art.34. damnato a Leone X., quo dicitur, illicitum esse Christianis, se armis defendere aduersùs aggressiones Turcarum. Sicut .n. se habet homo ad hominem, ita populus ad populum; ergo, si non licet homini se armis defendere aduersus hominem aggredientem, nec populo aduersùs populum. Quare etiam sequitur hæresim Manichæorum omne bellum damnantium; si enim neque bellum defensiuum licet, multò minùs offensiuum; ergo omne bellum erit illicitum, quod illi docebant.

Probatur primò. Quia aliter teneremur magis diligere proximum, quàm nos ipsos, quod non est in præcepto charitatis: ratio enim dilectionis proximi est societas naturæ, gratiæ, & glorię; sed potior est vnitas, seu identitas ad nos, quàm societas, siue vnio ad alios; ergo potior est ratio dilectionis sui ipsius, quàm proximi; quod Argumentum habet D. Thom. 22. qu.26. ar.4. Hinc Augustinus primo Retractati. cap.8.: *Magis mihi me debeo, quàm hominibus cæteris*. Ipseque D. Thom. loc. cit. in Argumento: *Sed contra*, ait, quòd dilectio nostri est exemplar dilectionis proximi; ideo dictum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, quod ipsum dixerat Augustinus primo de Ciuit. cap.20., potiùs autem est exemplar, quàm exemplatum. Et art.13. in Argumento: *Sed contra*, ait, quòd omnia naturaliter plùs se amant, quàm alia: inde qu.64. ar.5. ad 3. infert, grauius esse homicidium sui ipsius, quàm alterius, quia sibi quisque maximam, ideſt, supra cæteros homines dilectionem debet; quod ipsum dixerat etiam Augustinus tract.51. in Ioannem, & primo de Ciuit. cap.17., & 18., & refertur cap. *Si non licet* 23. q.5. Si autem quis tenetur pati certam, præsentemque per inuadentis manus occisionem, ne ex sui defensione vita illius mortis periculo exponatur, longè plus ei diligenda est vita proximi, quàm sua.

2. Probatur secundò: *Quia vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittunt*, cap. *Significasti* il 2. de Homicidio, & cap. *Si verò* de Sententia excommunicationis, & in Clementina vnica de Homicidio, &c. definitur, non fieri irregularem, qui pro necessaria sui defensione occidit, vel mutilat inuasorem; ergo potest inuasus vi repellere vim inuadentis etiam cum periculo occisionis eius; aliter, cùm in defensione per arma semper adsit illud periculum, numquam liceret armis se contra armatum inuasorem defendere, & non daretur defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, si de-

fensio

Digitized by Google

ſenſio ob illud periculum contraheret culpam.

Reſpondet Noris, eam permiſſionem eſſe iuris humani, non Diuini. Quia, ſcilicet, vt ait Auguſtinus 1. de liber. Arbitr. cap. 5. *Lex humana in eo populo, quem regit, minoribus malefactis, ne maiora committantur, dedit licentiam; multò enim mitius eſt, eum, qui alienæ vitæ inſidiatur, quàm eum, qui ſuam tuetur, occidi.*

Verùm, cùm citati textus dicant, omnes leges, & omnia iura illud permittere, non poſſunt intelligi de ſola lege humana. Lex inſuper Canonica omne peccatum prohibet; ergo, ſi permittit illam repulſionem, iudicat, eam non eſſe peccaminoſam.

Eſt igitur illa permiſſio non ſolius legis humanæ, ſed etiam Diuinæ poſitiuæ, & naturalis. Naturalis quidem; quia omnia ſatagunt pro ſui conſeruatione; propterea enim entia naturalia tẽdunt in propria loca, & virtutibus ſuis agunt in contraria, eiſque reſiſtunt, etiam ſi illa exinde corrumpi neceſſe ſit; atque hoc de bono generali naturæ deſcendit, vt, ſcilicet, quælibet res conſeruetur; aliter omnia perirent; ſicut bonum eſt generale Politiæ, vt quilibet ciuis ſuis bonis ſeruandis incumbat, ad quod etiam lege, & timore de Præſcriptionibus excitantur.

Quamuis enim natura non intendat corrumpere, ſed, vel ſe ipſam conſeruare, vel generare ſibi ſimile, quo pacto ſpecies conſeruatur; tamen non negligit ſui conſeruationem, etiam ſi propterea natura contraria corrumpenda ſit; ergo ſecundùm legem naturę homo vim patiens poteſt ſuæ conſeruationi inſiſtere, etiam ſi inde mors inuadentis ſequi poſſit.

Poſitiuæ verò. Quia Exodi 22. permittitur occiſio furis nocte domum effrigentis, ſiue ſuffodientis: quia tunc, vt ait Aug., plùs eſt, quàm fur, ideſt, videtur vitæ inſidiari.

3. Vidit hoc Noris; ſed tamen pro Auguſtini, vt putat, ſententia de illicita occiſione aggreſſoris, non aliud reponit, niſi, quòd, cùm ille libros de Liber. Arbitr. ſcripſit, in quibus illud docet parùm calleba[illegible] ſacras litteras.

Sed hoc non eſt Auguſtini ſententiam defendere, ſed illum de errore excuſare, ipſam verò ſententiam, vt falſam, & Scripturæ contrariam deſerere; quod mirum eſt, Noris non aduertiſſe. Addit Noris, Auguſtinum eam ſententiam poſtmodùm retractaſſe.

Sed, ſi ita eſt, quare ipſe eam, vt verâ, & Auguſtini toto conatu defendit? Quare ſic laudat, vt ex ſubtilioris Philoſophiæ principiis dicat eductam? Quare etiam Stoicos commendat, eò quia eiuſdem, vt ipſe putat, fuerint ſententiæ? Sed falsò dicit, Auguſtinum eam

Digitized by Google

retractasse, cùm id non appareat in Retractatione librorum de liber. Arbitr.; sed dicendum est, Augustinum numquã eam tenuisse. Quod igitur loco a Noris cit. dicit, intelligendum est de occisione facta cum intentione occidendi; nam & hanc impunitam finit lex humana, quando fit in actu defensionis; & nihilominus lege Diuina naturali peccaminosa est.

Probatur tertiò. Occisio illa inuadentis est præter intentionẽ inuasi, qui intendit, non occidere, sed se defendere; ergo non est illi imputabilis ad culpam. Antecedens supponitur. Consequentia probatur ex lege Exodi 21. 13., & Deuteronomii 19. 4.; vbi dicitur, non esse reum mortis, seu sanguinis effusi eum, qui in cęsura lignorum securi fugiente de manu, vel ferro labente de manubrio occiderit hominem; quia id euenit præter eius intentionem. Similiter ex cap. *Ioannes* de Homicidio, vbi non imputatur ad culpam danti operam rei licitæ, & diligentiam non omittenti, si alius occidatur; vnde non incurrit irregularitatem; quod ipsum repetitur cap. *Quidam* eodem titulo.

Hic dicit Noris, moderamen illud animi, quo non occisio, sed sola defensio intendatur, vix posse haberi: *Quis enim*, inquit, *surgens ira, animoque in sui defensionem subitò erecto illam intentionem habere possit?* Idipsum dicunt Salon, Molina, aliique.

Verùm, si inuasus surgat præ ira, certum est, eam moderationem habere non posse, immo nec tunc intendere sui defensionem, sed vindictam: hanc enim expetit ira; sed hoc ipsum est, quod Nos dicimus, animum inuasi non debere surgere præ ira, sed ratione dictante licitam sui defensionem, tumque non peccare. Quare videtur Noris non intelligere sententiam, quam impugnat. At impossibilis est, inquiunt, hæc animi dispositio, siue continentia.

Primò. Non est impossibilis. Si enim clarissimus belli Dux Ferdinandus Dux Albæ, Carolum Hispaniarum Principem stricto eum gladio petentẽ, non repulit vi, vel armis, sed humilitate, ac precibus placare sategit, idq; ex reuerentia erga Philippum II. Regem, quantò magis animus Deo deuotus ipsius Dei auxilio ob eiusdem amorem, vel timorem potest eam tenere moderationem, vt non vindictam, sed propriam tantùm defensionem intendat?

Secundò. Et si sit impossibilis, tamen docendum est, quòd defensio cum ea dispositione sit inculpabilis; sicut quamuis fortè impossibile sit, accedentem ad copulam coniugalem non pungi aliquo æstro libidinis, tamen dicitur, & docetur, copulam esse om-

Digitized by Google

omninò immunem a culpa, ſi fiat ex fine non libidinis, ſed ſuſcipiendæ prolis.

Præterea. Doctrina traditur de iis, quæ conueniunt rei per ſe, non per accidens; horum enim non eſt determinata cauſa, aut ratio. At accidit defenſioni, prout defenſio eſt, vt illi adiungatur motus iræ; ergo rectè, & doctrinaliter dicitur, defenſionem eſſe licitam etiam cum periculo mortis inuadentis, quamuis illicitus ſit ille motus iræ, quo vindicta expetitur.

Tamdem. Iura Canonica requirunt illam moderationem; ergo non debet cenſeri impoſſibilis. Cùmque ille motus iræ ſurgat ex amore vitæ corporalis, Noris autem dicat, hunc amorem eſſe brutalem, dum putat, non poſſe reprimi illum motum, putat cõſequẽter nõ poſſe reperiri hominem, qui brutaliter non viuat. Certè autem multò difficilius eſt, quod ipſe requirit, vt, ſcilicet, inuaſus patienter ſinat, ſe occidi, quàm, vt ſolam intendat defenſionem; & tamen illud ab ipſo non reputatur impoſſibile, dum illud requirit; vel, ſi reputatur impoſſibile, eadem abſurditate premitur, qua ſe nos vrgere putat.

Probatur vlteriùs. Non ſolùm a culpa immune, ſed etiam laudabile eſt, vt inuaſus ſe defendat ab inuadente, etiam cum periculo mortis eius, vt moriatur poſt peractam de peccatis pœnitentiam, cum maiori animi præparatione, munitus Sacramentis, auctus vberiori cumulo meritorum; non enim tenetur ſpiritualibus hiſce bonis ſe priuare, vt periculo parcat vitæ inuadentis. Item, ne relinquat vxorem, filios, familiamque in egeſtate: horum enim illi incumbit cura; ergo falſum eſt, eſſe illicitam defenſionem, &c.

4. Probatur tãdem. Quia, vt ait Ambroſius primo de Officiis cap. 36. *Qui ſocium non defendit ab iniuria, cùm poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit.* Eaq; doctrina communis, & certa eſt apud Theologos, quòd, nimirum, teneamur ſuccurrere proximo indigenti, maximè, ſi in vitæ diſcrimine verſetur per iniquam inimici inuaſionem; idque continetur in præcepto dilectionis proximi. Hinc Prouerb. 24. dicitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, &, qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſes.* Et B. Iob gloriatur cap. 29. quòd *liberaſſet pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adiutor.* Et ſubdit: *Benedictio perituri veniebat ſuper me, & cor viduæ conſolatus ſum.* Atque id verum eſt, etiam ſi ex illa defenſione accidere poſſit mors inuadentis: nam ſine tali periculo non poteſt peragi defenſio per arma, quibus tamen neceſſe eſt vti contra arma inua-

Digitized by Google

inuadentis; ergo periculum illud debet contemni pro defensione proximi iniustè inuasi.

Hac ratione Ambrosius defendit Moysen de peccato homicidii, cùm *virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis percussum abscondit in sabulo*, Exodi 2. Vnde post verba supra relata subdit: *Hinc tentamenta sua fortitudinis bellicæ orsus est Moyses*. Et primo Exameron. cap. 2.: *Moyses*, inquit, *priusquàm ad munus liberandi populi vocaretur, naturali æquitatis studio prouocatus, quemdam de suis popularibus accipientem iniuriam vltus est*. Vbi notanda sunt illa verba: *Naturali æquitatis studio*. Quamuis autem alii aliter in eo facto defendant Moysen, nullus tamen, vt arbitror, negabit, hanc Ambrosii rationem idoneam esse; quam probat, & sequitur D. Thom. 22. qu. 61. art. vlt.

Si ergo tenemur pro defensione proximi contra armatum aggressorem arma tractare, non obstante periculo occisionis illius, adeo vt, nisi id faciamus, affines simus culpæ inuasoris, a fortiori licet inuaso se ipsum armis, etiam cum illo periculo defendere. Quis enim dicat, quod cuique sub pœna mortalis culpæ ex charitate præcipitur, vt faciat pro alio, id ei, nec saltem licere pro se ipso?

Longè autem nos absumus a sententia Tamburini lib. 6. in Decalog. cap. 1. num. 1. asserentis, licere in sui defensione etiam intendere mortem inuadentis tamquam medium ad vitam seruandam. Vita enim seruari potest per simplicem resistentiam ad conatus inuadentis; ergo intentio occidendi non oritur necessariò ex voluntate defensionis, sed ex ardore vindictæ; ergo non est licita. Cùmque graues Doctores existimarint, neque licitam esse defensionem cum periculo occisionis inuadentis, multùm hic videtur concessisse Tamburinus, dum ait, licitam esse etiam intentionem occidendi.

CAPVT III.

Soluuntur Argumenta pro illicita defensione sui ipsius, dum adest periculum occisionis inuadentis.

1. ARguit Noris ex dictis Augustini 1. de Liber. Arbitr. c. 5. vbi quærit. Vtrum vel hostis irruens, vel insidiator ficarius,

Digitized by Google

carius, ſiue pro vita, ſiue pro libertate, ſiue pro pudicitia ſine vlla interficiatur libidine; & reſpondet cap.10.: *Quomodò poſſumus arbitrari, carere iſtos libidine, qui pro ijs rebus digladiantur, quas poſſunt amittere inuiti? Aut, ſi non poßunt; quid opus eſt pro his vſque ad hominis necem progredi?* Et rurſus: *Quomodò apud æternam legum ſunt iſti peccato liberi, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* Eodem modo loqui videtur Epiſt.154.ad Publicolam, & refertur cap. *De occidendis hominibus* 23. qu.5.

Ex his arguit Noris. Progredi vſque ad cædem hominis pro iis rebus, quas poſſumus amittere inuiti, atque adeo contemnendæ ſunt, deſcendit de libidine, ideſt, cupiditate brutali; ſed vita corporis amitti poteſt nobis inuitis, atque adeo contemnenda eſt; ergo pro ea tuenda progredi vſq; ad cædem hominis libidinoſum, ac brutale eſt, & per conſequens peccatum.

Nec iuuat, inquit, reſpondere, quòd a natura inſitus ſit cunctis appetitus proprii boni defendendi; nam *vita corporis*, ſubdit, *non eſt proprium bonum hominis, ſed eius pars viliſſima*.

2. Reſpondetur; quantùm ad mentem Auguſtini ea inueſtigabitur capite ſexto. Quantùm ad Argumentum dicitur, quòd progredi vſque illuc ex voluntate occidendi, & ardore vindictæ, libidinoſum, ac brutale eſt. Sed progredi vſque illuc per accidens ex euentu pugnæ defenſiuæ, non eſt libidinoſum; immo hoc reuera non eſt progredi vſque ad cædem, quod ſonat tendentiam voluntatis in illam, ſed eſt accidere cædem; quare non poteſt procedere ex libidine, cùm non procedat ex intentione.

Ad Minorem, cùm dicitur, vitam corporis eſſe contemnendam. Reſpondetur, id prorſus abſurdiſſimè dici; & ex eo ſequi, vitam numquam licitè defendi, etiam ſi nullum adſit periculum occiſionis inuadentis; quod Noris, vt arbitror, non vult. Nam defendere, quod iuxta rectam rationem contemnere debeas, non eſt rectæ rationis. Abſurditas autem oſtenditur.

Primò. Quia vita per ſe ipſam magnum bonum eſt in rerum natura, ſuperius etiam Cælo, & Aſtris, vt probat Auguſtinus de Duabus Animabus cap.3.4. & 5., vnde homines debent eam recognoſcere pro magno Dei munere; proindeque non tantùm ipſam non contemnere (nullum enim Dei donum eſt contemptibile) ſed etiam pro ea Deo gratias agere, etiam ſi tantùm in infantia, vel in vtero tantùm materno datum eſſet eis viuere, nam & de hac vita laudem dicit Deo Auguſtinus primo Confeſſ. capit.6. & 7.

Eſt

Digitized by Google

Est etiam eis necessaria ad seruiendum Deo, & proximo; Deique gratiam promerendam; quod tanti appendebat D. Ignatius Loyola, vt diceret, se malle beatitudinis incertum viuere, & interim Deo seruire, & proximo, quàm certum beatitudinis statim mori.

Secundò. Si vita corporis esset contemnenda, malumque esset eam diligere, non liceret in infirmitate medicos adscire, & medicamina sumere, cùm tamen Medici a Deo instituti sint, & propterea honorandi, Ecclesiast. 38. Neque liceret pro nostra, proximiq; salute, vel seruanda, vel recuperanda preces ad Deum effundere, cùm tamen Ecclesia instituetit preces, & Missam pro infirmis. Deus etiam ad preces Ezechiæ pro magno munere adiecit quindecim annos vitæ eius, 4. Regum 20., & viris sanguinum, & dolosis in pœnam diminuit dies, Psal. 54. Isaias etiam 58. dicit: *Carnem tuam ne despexeris*, & eleemosynam præcipit ad substentandam carnem proximi, id quod etiam ferè vbique præcipitur in Scripturis. Apostolus quoq; Ephesior. 5. 30.: *Nemo*, inquit, *vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam*; ergo nullus contemnit eam.

Qui etiam Titi. 2. iubet vxoribus, vt viros suos ament, filios suos diligant, domus curam habeant: quibus verbis non solùm vitam viri, & filiorum, sed etiam rem familiarem iubet diligi, pro vita vtique seruanda; si autem vita viri, & filiorum diligenda est, a fortiori vita propria. Rursùs prima Timot. 5. ait, eum qui suorũ, maximèque domesticorum curam non habet, Fidem negasse, & esse infideli deteriorem. Certè crudelis est mater, quæ non diligit filium suum, deque eius morte non tristatur. Hinc etiam Beatissima Virgo indoluit passioni, & morti filii, vt ait Bernardus ser. 10. de Stellis. Adhuc Apostolus Roman. 1. 31. inter maxima Gentium crimina memorat, quòd fuerint sine affectione, & misericordia, id quod notat Bernard. loco citato. Christus ipse iussit, & instruxit, vt petamus a Patre panem quotidianum, idest, subsidia vitæ corporalis, vt explicat Cathechismus Romanus parte quarta de quarta petitione. Vnde Ecclesia orat Deum, vt fructus terræ dare, & conseruare dignetur. Ioann. 16. dicitur, quòd mulier, cùm peperit, non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Inter bona etiam matrimonii computatur proles. Propter maiorem itidem coniunctionem ad nostram carnem tenemur magis diligere consanguineos, & affines, quàm cæteros. Hinc est illud Iudę pro Ioseph ad fratres suos, Gen. 37. 27.: *Manus*

nostræ

Digitized by Google

noſtræ non polluantur, frater enim, & caro noſtra eſt. Et illud Abraham ad Lot Geneſ. 13. 8.: *Ne ſit iurgium inter me, & te, fratres enim ſumus.* Ergo ſi tenemur diligere noſtræ carni propinquos, fortiùs, & noſtram carnem.

3. Tertiò. Si dilectio vitæ corporalis mala eſt, multò magis voluntas eam propagandi in filios. Siquidem potior eſt conſeruatio ſui, quàm generatio aliorum, vt ait D. Tho. in Supplemento qu. 94. ar. 1.; ergo & voluntas nubendi, & nuptiæ peccatum erunt; quę fuit hæreſis Manichæorum. Cũ tamen nuptias ad rationem Sacramẽti eleuauerit Chriſtus.

Quartò. Si dilectio vitæ corporalis mala eſt, mali erunt omnes labores, qui per totum terrarum orbem in variis artibus, officiis, & exercitiis ab hominibus pro ea ſubſtentanda tolerantur; id autem eſt damnare vniuerſum genus humanum, & omnia ferè eius opera.

Quintò. Si vita propria non eſt diligenda, multò minùs vita proximi, non enim maior, immo, nec æqualis eſt ratio habenda de proximo, ac de nobis; ergo non tenetur inuaſus pro ſeruanda vita inuadentis propriam abiicere; ergo ex ipſo principio Noris deſtruitur eius opinio.

Sextò. Si vita corporis non eſt propium bonum hominis, non eſt peccatum, hominem occidere, vel eius mortem deſiderare, quatenus præcisè aufertur illi vita corporalis, vel cupitur, vt auferatur; ſiquidem nullum bonum ei aufertur, & per conſequens nulla fit ei læſio, vel iniuria; non dabitur ergo peccatum homicidii; cùm tamen detur peccatum furti, quo non aufertur, vel læditur vita proximi, ſed tantùm bona eius externa, quæ longè minora ſunt vita. An fortè dicet Noris, res externas non eſſe hominis bona? At omnes vocant illas bona externa hominis, eaque alteri inuito auferre peccatum eſt, & in eleemoſynam largiri præceptum. An bonum non præſtat pauperi, qui ei largitur eleemoſynam? Si autem ideo eleemoſyna bona eſt, quia per eam ſubſtentatur vita corporis multò magis ipſa vita bonum eſt.

Septimò. Aliquod bonum propter peccatum Deus minuit, vel dempſit Adæ, & aliquod malum intulit, dum eum ex immortali reddidit mortalem; ergo bona eſt perpetuitas, vel longitudo vitæ corporalis, & per conſequens ipſa vita. Damnati inſuper propter facinora ad mortem, quid aliud mali patiuntur, niſi quòd eis tolluntur anni vitæ? Si igitur mors eſt malum viuentis, profectò vita eſt bonum.

Digitized by Google

Cùm autem opponit Noris, quòd, quamus a natura insitus sit cunctis appetitus proprii boni defendendi, tamen vita corporis non est proprium bonum hominis, sed eius pars vilissima. Primò: Vita corporis est esse hominis; si ergo esse hominis est aliquod bonum, quod, vt arbitror, Noris non negabit, nisi seipsum despiciat, vita corporis est aliquod bonum. Secundò. Vita corporis non est pars hominis, immo est ipse homo; quid enim est homo, nisi corpus viuens ex anima rationali, vel anima rationalis viuens in corpore? Tertiò. Quamus corpus sit pars hominis, eaque inferior, non propterea non est bonum hominis, immo propterea est bonum; si enim totum ipsum bonum est, etiam partes, quæ illud componunt, cùm totum non sit aliud præter partes, vel saltem bonitatem, & esse suum habeat ex partibus suis. Quartò. A natura est insitus homini appetitus ad propriam vitam seruandam; ergo illa est bona. Consequentiam implicitè admittit Noris: vt enim negaret, a natura insitum esse appetitum homini ad vitam corporis seruandam, a qua concedit insitum esse appetitum propii boni defendendi, dicit vitã corporis non esse proprium hominis bonum; ergo si a natura insitus est homini appetitus ad eam seruandam, ea est proprium bonum hominis. Antecedens patet experientia; nec prorsus a sano capite negari potest; ait enim Augustinus primo de Doctrina Christiana cap. 24.: *Quin autem homo se diligat, ac prodesse sibi velit, dubitare dementis est; & quòd diligat corpus suum, idque saluum habere, atq; integrum velit, æquè manifestum est.*

Quintò. Etiam in Sanctis post resurrectionẽ vita corporis est infima pars eorum; numquid ergo ea non est propium bonum eorum? Tamdem: Quæ consequentia est ista: Corpus, vel vita corporis est hominis pars infima, siue vilissima; ergo non est proprium bonum hominis? Inter bona enim aliqua sunt magna, aliqua mediocria, aliqua infima.

4. Illud igitur, quod sæpè, & vehementer inculcat Noris, nempe, dilectionem corporis, seu vitæ corporalis affectum esse brutalem, falsissimum, & absurdissimum est: non enim sola bruta, sed cuncte res a natura insitum habent appetitum seipsas seruandi, & defendendi, quod Nos cap. 2. ostendimus, & apertè de hominibus protulit Augustinus primo de Doctrina Christiana cap. 21. sic loquens: *Id, quod sumus, & id, quod infra nos est, ideſt, animum, & corpus nostrum inconcussa naturæ lege diligimus, quæ etiam in bestias promulgata est*; dicitque, ideo non esse datum præceptum de dilectione nostra, & corporis nostri, sicut de dilectione Dei, & proximi;

quia

Digitized by Google

quia, *quantùuis homo excidat a veritate, manet illi dilectio ſui, & corporis ſui*; adeo naturalis, & ex veritate eſt illa dilectio; ſicut ergo in cæteris rebus hunc appetitum non debet appellare brutalem, niſi etiã inanimata velit appellare bruta, ita nec in homine. Quamuis autem bruta generent, progrediantur, comedant, bibant, ambulent, non propterea debet dicere, hominẽ brutaliter hæc eadẽ facere; ſicut nec debet dici, bruta humaniter ea facere, eò quia homines eadẽ faciunt; hæc enim procedunt de vita animali perfecta, quæ communis eſt hominibus, & brutis. Rursùs aſſerere, ſemper imitatione pecorum peccari, abſurdiſſimum reputatur ab Auguſtino 4. contra Iulianum cap. 14. Immo e contra inſtinctus naturalis Brutorum ad aliquid faciendum indicat debitum ad idem in rationalibus. Hinc ex cohabitatione maris, & fęminę in brutis, quoaduſque proles adoleſcat, infertur illud debitum in hominibus, ex D. Thom. 22. qu. 154. ar. 2., & plura ſimiliter. Ergo, etiam ſi homines in appetenda conſeruatione vitæ corporalis imitarentur bruta, non propterea peccarent, nec brutaliter viuerent.

Adhuc ipſe Noris in Vindiciis Auguſtinianis cap. 3. §. 4., quamuis contendat, nulla opera infidelium eſſe bona, excipit tamen amorem beatitudinis: hunc enim fatetur eſſe bonum, etiam de mente Auguſtini. At Amor beatitudinis includit amorem corporis, ſeu vitæ corporalis: nam vnuſquiſque naturaliter refugit mortem, & ad beatitudinem peruenire deſiderat, ea non intercedente, quam in parte miſeriæ locat: *Nolumus enim expoliari, ſed ſuperueſtri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt, a vita*, 2. Corinth. 5., & ipſæ animæ beatorum in patria appetunt reunionem ad corpus, quam magno Dei munere obtinebunt in die Iudicii; ergo amor vitæ corporalis non eſt malus, aliter non poſſet eſſe bonus amor beatitudinis illum includens. Reuera autem amor beatitudinis præcisè, ideſt, ſatietatis appetitus, non eſt bonus moraliter, ſed tantùm naturaliter, quia deſcendit de bono naturæ; vt autem ſit bonus moraliter debet ferri in beatitudinem, quæ in Deo eſt. Exceptio illa non reperitur apud Auguſtinum, & gratis aſſeritur.

Inſuper. Si corpus, vel vita corporis non eſt bonum hominis, vel erit reſpectu eius indifferens, vel malum. At quis dicat indifferens, cùm ſit pars hominis, aut ſaltem ſubiectum animæ, per quod, & in quo illa exercet opera vitæ, & in quod etiam naturali appetitu fertur tamquã actus in potentiam? Multò minùs malum: immo hoc pertinet, vel ad hęreſim Manichæorum docentium, carnem eſſe ſubſtantiam Dei mali, vel ad errorem Platonis putantis, corpus car-

Digitized by Google

cerem esse animæ, omneque corpus fugiendum, tamque impediens animæ beatitudinem; quam non tantùm falsitatis, sed etiam contradictionis conuincit Aug. 13. de Ciuit cap. 16. Relinquitur ergo, quòd corpus, & vita corporis bonum sit hominis, atq; adeo non irrationabiliter, seu brutaliter diligatur, & seruetur, immo secundùm ordinem rationis, & naturæ.

Vltimò. Corpus nostrum est ex charitate diligendum; ergo eius dilectio non est brutalis. Consequentia patet. Antecedens verò probatur a D. Thom. 22. qu. 25. ar. 5, & est August. 1. de Doctrin. Christ. c. 21., & 26. Itaque falsissimum, & contra omnem humanum sensum est assumptum illud Noris.

5. Secundò arguit Noris authoritate sapientissimorum, vt ait, Hebræorum, Græcorum, & Latinorum, qui dixerunt, vitam corporis esse contemptibilem, referens pro Hebræis Philonem in opere: *Quòd omnis probus liber*; pro Græcis Chrysostomum oratione: *Quòd nemo læditur, nisi a seipso*, & pro Latinis Lactantium tertio Institutionum, eorum tamen verba non proferens; præcipuè verò innititur Stoicis, quos summa cum laude ait in hoc argumento versatos.

Respondeo, nullum ex his absolutè dixisse, vitam corporis esse contemnendam, sed tantùm comparatione virtutis, respectu cuius contemnenda, idest, minùs amanda, &, si necessitas vrgeat, etiã est abiicienda, quia præstat mori, quàm peccare, vt etiam Christiana Religio docet. Nec ipsi Stoici illud dixerunt, sed solummodò, sicut, sanitatem, speciem, diuitias, ita vitam non inter bona, sed inter adiaphora, idest, indifferentia locarunt; quia, scilicet, eis benè, & malè vti possumus in ordine ad virtutem, quam solam bonum appellandam contendebant, sicut solum vitium, siue peccatum malum; de quo tamen modo loquendi reprehenduntur ab Augustino 19. de Ciuit. c. 4. sicut & a Peripateticis, Academicis, ceteriſque Scholarum sectis.

6. Pro eadem sententia arguit noster Anconitanus in Summa de Potestate Ecclesiastica qu. 52. art. 3., qui etiam eam primus inuexisse videtur. Perderetur anima proximi, si ille in actu inuasionis ab inuaso se defendente occideretur: etenim decederet in mortali; sed tenemur magis diligere animam proximi, quàm nostram corporalem vitam; ergo tenemur abstinere a defensione, & permittere, nos occidi potiùs, quàm ex defesinone periculum inferre damnationis proximi.

Minor patet ex ordine charitatis, quo tenemur magis diligere

Digitized by Google

gere bona ſuperioris ordinis in proximo, quàm inferioris in nobis, ſcilicet, magis vitam corporalem proximi, quàm noſtra externa bona, magis animam proximi, quàm noſtram corporalem vitam: aliter non ſicut nos, ſed multùm infra nos proximum diligimus. Huic Argumento cedit Cardinalis de Lugo, proindeque ſententiã ſequitur; tamen Abulenſis limitat ad caſum, quo inuaſus probabiliter agnoſcat, ſe eſſe in gratia; quia non tenetur periculo ſalutis ſuæ ſubtrahere aggreſſorem a periculo æternæ ſalutis amittendæ. Alii limitant ad caſum, quo inuaſus non ſit perſona neceſſaria, aut valdè vtilis Reipublicæ, aut ſuæ familiæ; Noris autem de hoc Argumento non vult proferre iudicium.

Reſpondetur, nullum extare præceptum mortis ſubeundę pro bono etiam ſpirituali alterius, ſiue malo remouendo etiam damnationis, ſed tantùm in pęnam peccati precedentis; licèt præcipi poſſint opera, quibus annexum eſt periculum mortis. Sic enim vniuerſaliter verificatur dictum Apoſtoli 1. Corint. 15. 56.: *Stimulus mortis peccatum eſt*; tantùm etenim iis, qui pro facinoribus damnati ſunt ad mortem, præcipitur, vt eam ſubeant; & mors ipſa naturalis, quàm generaliter ſentimus, de pęna primi peccati eſt; quam tamen, nec in præcepto poſuit Deus, ſed conſtituit in neceſſitate naturæ. Cunctis tamen precipitur, vt potiùs mortem ſubeant, quàm tranſgrediantur mandata Dei; vt per mortem, quæ in pęnam peccati data eſt, & eſt contraria vitæ, vitentur peccata, & tranſeatur ad æternam vitam, quod maximè in Sanctis Martyribus apparuit; de qua re ſubtiliter, & eleganter Auguſtinus 13. de Ciuit. c. 4.

In aliis verò caſibus non præcipitur tolerantia mortis, ſed tantùm exercitium operum, quibus annexum eſt illius periculum; non enim, aut militibus iubetur, vt ſe occidi faciant in prelio; immo, vt fortiter aduerſarios ſternant, etiam cum illo periculo; nec Parochis, aut aliis miniſtrantibus Sacramenta tempore peſtis, vt inficiantur, & pereant: ſed tantùm, vt ea miniſtrent, non obſtante periculo illius infectionis. Proinde, ſicut militibus licet fortiter ſe defendere, ne occidantur, ita, & Parochis ſe remediis præmunire, ne inficiantur.

Ipſis quoque fortaſſe Martyribus licebat, ſi potuiſſent, ſe defendere, & vim vi repellere, ſaltem contra priuatas perſonas; non enim ſimpliciter præcipitur, vt moriamur, ſed, vt potiùs mortem ſubeamus, quàm abnegemus Fidem: non licet autem damnatis ad mortem ſe defendere aduersùs carnificem; non enim tunc infertur vis, ſed ſeruatur ordo iuſtitiæ. Quare non eſt in præcepto, vt moriamur

Digitized by Google

riamur sub manu violenta inuasoris, ita vt nostram vitam defendere non possimus, ne ipse ex nostra defensione mortis periculo subiaceat.

7. Cùm ergo dicitur, magis diligendam animam proximi, quã nostram corporalem vitam.

Respondeo primò, quòd si propterea infertur inuasum teneri ad ferendam occisionem, magna sequuntur absurda.

Primò Fouetur audacia, & crudelitas inimicorum, qui scientes violentiæ armorum suorum non posse sine lethali resisti, promptiùs, & latiùs in hominum cædes, præcipuè timoratæ conscientię grassabuntur (quòd in simili dixit Augustinus Epist. 1.17. ad Donatum) cum periculo æternæ damnationis istorum, si in gratia, dum pereunt, non reperiantur, & magna turbatione Reipublicæ; & sic ex charitate, quod absurdissimum est, magna mala procedent contra charitatem, & iustitiam.

Secundò. Non licebit fidelibus pugnare aduersùs infideles, aut etiam fideles, si isti iniustum bellum inferant; & permittenda potiùs erit vastatio vrbium, interfectio ciuium, aliaque mala, quæ bellum trahit; quia, si illi occidantur, propter infidelitatem, vel iniustitiam in infernum descendent, proindeque eos occidentes rei erunt damnationis eorum. Machabæi tamen, non tantùm inculpabiliter, sed etiam gloriosè pugnarunt aduersùs gentes, quæ eos oppugnabant, adeo vt, Iudæ gladium aureum per manum Ieremiæ datum ad deiiciendos aduersarios populi Israel referatur 2. Machab. 15. Pluries etiam Christianis aduersùs infideles pugnantibus diuinum adfuit auxilium, vt legitur in Historiis; nec Dauid reprehenditur, quamuis non in defensionem, sed pro iusta vindicta atrox bellum, multeque internecionis contra Ammonitas exercuerit, 2. Regum 10. Si ergo, vel iusta vindicta, vel externorum bonorum defensio licitam reddit occisionem hostium etiam certò post mortem damnandorum, quantò magis defensio propriæ vitę, dum ea occisio non est intenta?

Tertiò. Bellum generaliter erit illicitum, quæ fuit hæresis Manichęorum, de qua Augustinus 22. contra Faustum; quia semper ex vna saltem parte necesse est, vt sit iniustum; ergo etiam illi, qui ex parte iusta pugnant, rei erunt damnationis eorum, quos iniustè pugnantes, atque adeo mortali peccato infectos, occidendo transmiserint ad tartara.

Quartò. Princeps, vel Iudex tenebitur sub mortali liberare a morte reum damnatum, si hic impœnitens pergat ad illam; aliter erit

Digitized by Google

erit cauſa damnationis animæ eius, cuius magis habenda ratio eſt, quàm boni temporalis Reipublicæ, quod ex illo actu iuſtitiæ ſperari poteſt Quod ſi admittatur, omnes damnati impenitentes pergent ad ſupplicium. Si autem damnatio hoſtium infidelium, vel iniuſtorum, & reorum impenitentium non imputatur militibus, vel carnifici iuſtè occidentibus, ſed ipſis hoſtibus iniuſtè pugnantibus, & reis, qui impenitentes pergunt ad ſupplicium ſuis ſceleribus debitum, ita damnatio inuadentis non eſt imputanda defenſioni inuaſi, ſed nequitiæ illius, qua illud opus aggreſſus eſt, in quo iuſtè a ſe defendente occidi poſſet.

Quintò. Licitè a coniuge negatur debitum coniugi petenti, ſi illius reddito vergat in graue detrimentum ſuæ ſalutis, etiam ſi animaduertat, exinde imminere periculum mœchiæ in petente: non enim coniux habet poteſtatem in corpus alterius, niſi ſalua conſiſtentia perſonæ, quia priùs eſt perfici in ſeipſo, quàm alios gignere, vt ait D. Thom. in Supplemento qu. 64. ar. 1.; ergo non tenetur coniux cum periculo graui ſalutis corporalis impedire peccatum, vel periculum peccati alterius coniugis; ergo a fortiori non tenetur inuaſus ſubire certam mortem per manus inuadentis iniqui, & nullũ ius habẽtis in illũ, ne ex propria defenſione periculo eumdẽ exponat mortis in peccato; & ſicut mœchia coniugis tunc imputaretur libidini ipſius, non continentiæ, vel renitentiæ alterius, ita mors in peccato deputanda eſt iniquitati inuadentis, non iuſtitiæ ſe defendentis.

Sextò, Licitè ex indigentia petuntur mutuæ pecuniæ ab vſurario, etiam ſi ille cognoſcatur in earum mutuatione peccaturus; non enim tenetur quis pati indigentiã, ne vſurarius nulla petentis voluntate, nullaque neceſſitate impoſita, ſed ſola ſua auaritia peccet; ergo a fortiori licitè inuaſus ſe defendit aduersùs inuadentem, etiam cum periculo mortis, & damnationis eius; non enim tenetur quis ſubire mortem, aut ius ſuæ defenſionis amittit, ne inuadens nõ inuaſi voluntate, ſed propria iniquitate periculum mortis, & damnationis incurrat.

Septimò. Non tenentur ex charitate fideles ſubire labores, pericula, & damna itinerum ad loca infidelium, vt eos ſua prædicatione a periculo damnationis ex infidelitate, & idololatria ſubtrahant; ergo multò minùs tenebitur quiſpiam ex charitate pati occiſionem, & omittere defenſionem, ne iniquus aggreſſor periculum ſubeat mortis in peccato.

Octauò. Nullus tenetur ex charitate omnia ſua bona donare aua-

Digitized by Google

auaris, vt eorum auaritiam explendo, eos a peccato vsuræ, vel furti auertat; ergo multò minùs tenetur suam vitam donare inuadenti ad satiandum eius odium, ne ille in peccato moriatur. Tamdem. In præcepto est, pro defensione proximi periclitantis arma, si possumus, tractare contra inuadentem, etiã si ipsius inuadentis occisio, & damnatio timeri possit, vt cap. superiori ostensum est; ergo timor, vel cura salutis, etiam æternę proximi non debet necessariò preualere defensioni proprię vitæ. Plura addi possent; sed hęc, vt arbitror sufficienter ostendunt absurditatem illius Consequentiæ.

Ad ipsũ igitur Argmentũ Resp. secundò directè, ex ordine, seu prȩcepto charitatis non induci obligationem tolerandi mortem per manus proximi peccantis, vt ipsum a peccato, vel damnatione eripiamus; immo neque periculo illius se exponendi; etenim, vt ait D. Thom. 22. qu. 26. art. 5. ad 6.: *Non est de necessitate charitatis, quòd homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur saluti eius prouidere; etenim vnicuique imminet cura proprij corporis, non autem salutis proximi.* Et perspicuum est, quòd solis fraternis correptionibus tenemur auertere proximum a peccato, si ille coram nobis peccauerit; quæ etiam correptiones in aliquibus casibus dimitti possunt; & si pro illo fine teneremur mortem ab ipsis peccantibus subire, omnes Christiani essent in statu damnationis; quotus enim quisque est, qui id faciat? Itaque durissimum, intolerabile, prȩter omnem praxim est onus, quod nobis imponit Anconitanus. Sed benè adest obligatio, ne vnquam ad peccatum proximum inducamus, etiam si exinde vita nostra conseruari possit. Itidem, vt opera licita dimittamus, si inde proximus scandalizatur, vt ait Apostolus de comestione Idolothitorum prima Corinth. 8., immo, vt bona spiritualia occultemus, vel differamus, vt docet D. Thom 22. qu. 45 art. 3., dummodò non vrgeat necessitas; ea enim vrgente contemnendum est scandalum, & peccatum proximi; Christus enim spreuit scandalum Pharisæorum conceptum ex doctrina, quòd liceret non lotis manibus manducare, Matth. 15. Cùm ergo, & licita sit propria defensio, & in casu inuasionis vrgeat eius necessitas, non est contra charitatem, aut ordinem eius suam vitam defendere, etiam cum periculo mortis, & damnationis inuadentis; illud enim malum, vt sȩpius est dictum, imputandum est iniquitati, & crudelitati inuadentis, non necessitati, & iustitiæ se defendentis. Tunc igitur, cùm inuasus intentione ducitur tantùm se defendendi, permittit, non causat damnationem in-

Digitized by Google

inuadentis; & damnatio reuera cauſatur a peccatis propriis illius; permittere autem peccatum, & damnationem alterius licet, maximè, cùm neceſſitas vrget vitæ tuendæ.

Limitatio Abulenſis non eſt neceſſaria; heroica enim charitas, qua inuaſus animam, ideſt, vitam poneret, non pro amico, ſed pro inimico ſuo ipſum inuadente, certum illum facere de gratia, quæ non poteſt non adeſſe, vbi eſt charitas. Probabilis autem cognitio de gratia non ſufficit, quia probabilitati non eſt fidendum, vt initio huius Operis oſtenſum eſt.

Nec etiam neceſſaria eſt limitatio aliorum; quia abſolutè, & ſimpliciter licita eſt defenſio propriæ vitæ contra aggreſſorem, etiã cum periculo mortis, & damnationis eius, vt hucuſque probatum eſt.

Cæterùm Anconitani Argumentum retorqueri poſſe videtur in authorem ſuum; tenemur enim, vt ait, impedire peccatum, & damnationem proximi; ſed, ſi inuasus ſinit, ſe occidi, non impedit, ſed permittit peccatum mortale inuadentis, peccatum, inquã, externũ homicidiis, quod peculiarem habet malitiã vltra internam, et vltra etiam externam malitiam inuaſionis, quia actuale homicidium eſt peculiare malum vltra malum inuaſionis non peruenientis ad illud, vnde etiam grauiùs legibus punitur, quàm ſola inuaſio, ſicuti peculiare damnum eſt occiſi; ergo non tantùm non tenetur permittere ſe occidi, ſed etiam ex charitate erga proximum inuadentem tenetur ſtrenuè ſe defendere, & impedire conatum eius, ne perueniat ad homicidium. Quod confirmari poteſt ex Auguſtino Epiſtola 154. ad Publicolam dicente: *Qui repelluntur aliquo timore, ne malè faciant, etiam ipſis aliquid fortaſſe præſtatur.* Ergo ex fundamento Anconitani infertur oppoſitum Doctrinæ eius.

At hoc Argumentum habet vim in ſententia Anconitani; cùm ipſe putet, de præcepto etiam per tolerantiã proprię mortis nobis impediendum eſſe peccatum, & damnationem proximi, multò fortiùs putare debet, nos teneri opere noſtro, & defendere ſimul noſtram vitam, & peccatum homicidii a proximo auertere. Sed re vera nullum eſt. Non enim pertinet ad priuatam personam per vim impedire peccatum alterius, ſed fraternis tantùm correptionibus, quæ etiam dimitti non ſolùm poſſunt, ſed debent, cùm timor adeſt deterioris euentus; qui timor in caſu preſenti certò moraliter adeſt. Inuadens enim videns, inuaſum contra ſe inſurgere, neutiquã putabit eũ ex charitate moueri ad impediendum homi-

Digitized by Google

cidii in ipso peccatum, sed ex voluntate defensionis, aut ardore vindictæ; proinde magis inardescet ad offensionem, & eodem; ergo non tenetur inuasus ex charitate erga inuadentem per vim ipsum repellere.

Sed quia, & illud est inuestigatione dignum, & affinitatem habet cum materia, quam versamus, An inuaso liceat a defensione abstinere, & permittere, se occidi, sit.

CAPVT IV.

An liceat inuaso omittere sui defensionem, & permittere, se occidi.

1. REspondendum est affirmatiuè; dummodò id fiat pro actu virtutis, vel exercendo, vel conseruando; qui in proposito posset esse Charitas, ne, inuadens ex defensione inuasi occisus æternam subeat damnationem, vtpotè decedens in mortali.

Ait enim Christus Dominus Ioannis 15. 13. *Maiorem charitatẽ nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cuius charitatis ipse exemplum præstitit, dum pro salute nostra a Iudeis se teneri passus est, & occidi, cùm posset rogare Patrem, qui exhibuisset illi plusquàm duodecim legiones Angelorum, Matthæi 26. 53.; immò Petrum ad sui defensionem armis tractantem coercuit: D. vero Thomas Cantuariensis pro mansuetudine Ecclesiastica ostendenda, neque fores templi claudi permisit ad impediendum satellites in sui necem ardentes.

Ratio autem a priori est; quia non contra, sed iuxta ordinem rationis est, magis diligere virtutem, quàm vitam corporalem; ergo rectè pro virtute illa contemnitur. Antecedens probatur. Primò; quia recta ratio dictat, ea magis diligenda, quę præstantiora sunt; hinc Deus est super omnia amandus, anima supra corpus, ratio supra cęteras animæ facultates, & contemplatio supra cęteros actus rationis, vt docet Augustinus 22. contra Faustum c. 17. Hinc etiam magis diligenda est salus corporis, quàm diuitiæ, aut honor. Sed virtus est præstantior vita corporali; ergo iuxta ordinem rationis est, ipsam magis diligere, quàm corporalem vitam.

Minor aliqualiter probata est lib. 3. de Actibus Humanis

Digitized by Google

nis capit. 48., ſed nunc pleniùs probatur.

2. Primò. Quia magis eſt fugiendum peccatum, quàm mors, immo quàm annihilatio; illud enim eſt malum Dei, hæc creaturæ; nulla autem comparatio inter illa duo mala, ſicut nec inter illa duo bona; ergo rectum eſt magis amare virtutem, quàm vitam. Conſequentia ſequitur ex natura oppoſitionis, immo ratione a priori. Ideo enim magis fugiendum eſt peccatum, quàm mors, quia magis eſt amanda virtus, quàm vita; omnes enim affectus, ſicut ab amore oriuntur, ita, & per eumdem regulantur, & menſurantur, vt habet D. Thom. 12. qu. 25. ar. 2., & qu. 28. art. 6., ideo enim magis eſt fugienda infirmitas, quàm paupertas, quia magis eſt amanda ſanitas, quàm diuitiæ; ergo ideo magis eſt fugiendum peccatum, quàm mors, quia magis amanda eſt virtus, quàm vita.

Secundò. Quia per actus virtutum obſequimur Deo, eiuſque gratiam promeremur, quod non obtinemus præcisè per vitam corporalem, nec per ipſam vitam animæ; ſed magis amandum, & æſtimandum eſt obſequium, & gratia Dei, quàm vita corporalis, immo quàm vita æterna animæ; ergo, &c.

Tertiò. Quia ipſa vita corporalis, immo animæ referenda eſt ad actus virtutum, Deique obſequium, & propterea diligenda: ideo enim creati ſumus; ſed magis amandus eſt finis, quàm ea, quæ ſunt ad finem; ergo, &c.

Quartò. Quia quantumcumque bonum ſit vita corporalis, & anima ipſa, bonũ ſunt finitum. Sapientia autem Sapientię 7. dicitur: *Theſaurus infinitus hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendati*: nomine autem Sapientiæ apud Diuinas litteras non intelligitur pura cognitio veritatis, neque enim hæc reddit hominem participem amicitiæ Dei, immo inflat, prima Corinth 8., adeoque reddit hominem Deo odibilem; & exquiſitores prudentię, & intelligentię viam Sapientiæ non inueniſſe dicuntur Baruch. 3. 23., ſed intelligitur cognitio coniuncta cũ rectitudine affectus, ſeu potiùs ipſa virtus. Hæc eſt. n. Sapientia, quæ tot laudibus extollitur Sapientię 7., Pſal. 28., & alibi, cuius initium eſſe timorem Domini dicitur in Pſalm. 110.; planiſſimè autem Iob 28.: *Timor Domini ipſe eſt Sapientia, & recedere a malo intelligentia*. Stultus enim in Scripturis dicitur peccator, & ſapiens, ſiue prudens vir probus; ergo maius bonum eſt probitas, quàm ipſa vita, & adeo maius, vt hæc bonum finitum, illa dicatur infinitum, quia, ſcilicet, ducit ad bonum infinitum, quod eſt Deus, & tribuit gloriam infinitam ſecundùm durationem, & exceden-

Digitized by Google

rem omnia alia bona finita, etiam possibilia.

3. Accedit authoritas Augustini, qui super Psalmum 144. ad versum: *Et iustitia tua exultabunt*, dicit, melius esse homini, quòd iustus est, quàm quòd homo est; vnde infert: *Nemo tribuat Deo, quia est, & sibi tribuat, quia iustus est. Melius est enim, quod tibi vis tribuere, quàm quod illi.* Ad quam doctrinam consequenter 12. de Ciuit. cap. 9. docet, Angelos non a seipsis, sed a Deo per diffusionem Sancti Spiritus habuisse charitatem: aliter meliores se fecissent, quã facti essent a Deo, quo nemo quidquam melius facit. Cuius Argumnõ ea vis est, quòd Angeli fecisient se meliores simpliciter addendo naturę perfectionem non habitam a Deo: nõ enim est inconueniens, hoc sensu aliquem facere se meliorem, quàm sit factus a Deo; nam & nos homines in hac infirmitate vitæ facimus nos meliores, acquirendo varias artes, & peritias, quas per creationẽ non accepimus. Sed vis est, quòd Angeli, habendo a seipsis charitatem, dedissent sibi aliquid melius, quàm sit eorum natura a Deo data; quia præstantior est charitas, quàm natura Angelica. Hic enim sensus consonat doctrinę Augustini, illeque alius reddit eius argumentum nullum. Patet etiam ex forma loquendi Augustini, sic enim ait: *At si non potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo quidquam melius facit.* Addere autem aliquam perfectionem rei a Deo factæ, & hoc sensu meliorare illam, non est facere quidquam melius eo, quod facit Deus, sed tantùm meliorare opus Dei, sicut ars meliorat eo sensu opera naturę, nec tamen facit aliquid melius, quã faciat natura, aut Deus; igitur illud est facere aliquam rem, quę in sui natura sit melior, quàm res facta a Deo; ergo Augustinus vult, vel supponit, charitatem esse præstantiorem, quàm sit natura Angelica. Rursus 2. de Lib. Arb. cap. 19. expressè ait, virtutes, quibus rectè viuitur, magna bona esse; potentias animę, sine quibus rectè viui non potest, mediocria bona esse; species corporum, sine quibus rectè viui potest, minima bona esse. Si autem ideo virtutes sunt maiora bona, quàm potentiæ animæ, quia per virtutes habetur recta vita, per illas potentias autem tantùm habetur possibilitas rectè viuẽdi, virtutes erunt etiã ipsa animæ substantia præstantiores, quia per substantiam animæ non habetur recta vita, sed tantùm possibilitas eius.

Adhuc: idem Augustinus primo de Lib. Arbitr. cap. 8. ait, hominem propter vitia, quæ in brutis esse non possunt, non esse illis meliorem; nam vitia reddunt hominem miserum: *Nemo autem cuiquam miseriæ se præponendum putauit.* Cùm autem potiùs sit fugienda

Digitized by Google

da miſeria, quàm mors (miſeria enim eſt ſupremum malorum, ſicut beatitudo eſt ſupremum bonorum, & mors non reddit miſerum, quia non poteſt eſſe miſer, qui non eſt, vt eleganter diſputat Tullius lib. 1. Tuſculanar. quæſtio, aliter nos, antequam eſſemus, miſeri fuiſſemus) ſequitur, potiùs fugiendum eſſe vitium, quàm non eſſe, ſiue mortem; ergo potiùs amanda eſt virtus, quàm vita. Hæc Conſequentia probata eſt ſupra Argumento primo.

4. Immo Auguſtinus eodem libro cap. 5. dicit, meliorem vitã eſſe, ſcire ſe viuere, quàm ipſum viuere, & 2. Soliloquiorum cap. 1. tom. 1. dicit, non eſſe amandam vitam propter viuere, ſed propter ſcire. Hinc Emmanuel Theſaurus lib. 17. Philoſophiæ Moralis c. 5. cenſet, ſcientiam naturalem, quamuis ſit accidens acquiſitum, eſſe quodammodò præſtantiorem anima rationali, ſicut lux eſt præſtantior corpore opaco. Si autẽ ſcientia naturalis præſtantior eſt vita, quantò magis virtus? Ergo magis amanda eſt virtus, quàm vita; ergo non peccat, immo iuxta rectiſſimum ordinem rationis agit, qui pro actu virtutis, vel conſeruando, vel exercendo permittit propriam mortem. Quæ eſt enim Martyrii laus, niſi quòd pro conſeruanda, vel oſtendenda Fidei virtute mors admitttiur? Eſt quidem hoc in præcepto; ſed niſi præſtantior eſſet virtus, quàm vita corporalis, non poſſet illud præcipi; inordinatum enim eſſet præferre inferiora ſuperioribus; ergo rectè pro virtute contemnitur vita. Hinc, ſi cui diceretur, non poſſe eum viuere, niſi ducendo vxorem, licitè permitteret ſuam mortem pro bono virginitatis ſeruando; quod nemo, vt arbitror, negabit. Certè D. Albanus Martyr 22. Iulii in Roman. Martyrol. pro virtute exercenda, nimirum, fidelitate erga Clericum hoſpitem, ſeipſum tradidit perſequutoribus Fidei, a quibus, & tortus, & occiſus eſt. Sic laudantur ab Ethnicis Scriptoribus Damo, & Pithias, Cælius, & Rutilius, Patroclus, & Achilles, Licinius, & Brutus, aliique, quòd pro virtute amicitiæ parati fuerint alter pro altero mori.

Magis autem laudabile eſt, ex virtute charitatis ſe exponere periculo mortis; vt miniſtrando peſte infectis, & ſimilia. Quamuis ergo liceat, vt oſtendimus, ſe defendere contra aggreſſorem, etiã cum periculo vitæ eius, licet tamen omittere defenſionem, ne inuadens mortis, & damnationis periculum ſubeat; immo hoc heroicum eſt.

Sed eſt inſpiciendum, an verè id deſcendat de charitate. Vir enim, aut Reipublicæ, aut ſuæ familiæ neceſſarius, non ex virtute ſineret, eo caſu ſe occidi; quamuis enim æſtimabilior ſit ſalus æterna ani-

Digitized by Google

animæ, quàm conseruatio temporalis Reipublicæ, vel familiæ, tamen, vt ait D. Thom. 22. qu. 26. ar. 5. ad 3., *vnicuique imminet cura proprij corporis* (adde familiæ, & Reipublicæ) *non autem salutis proximi*; ideo potest permittere eius damnationem, vel peccatum; quare non verè ex charitate ille permitteret, se occidi ad tollendum periculum damnationis proximi, immo ageret contra charitatem debitam Reipublicæ, & suis; sic etiam, si quis in bello iusto contra infideles, eò quia illi eunt in damnationem, nolens eos occidere, sineret, se occidi ab eis. Ex quo magis apparet, quanto errore dixerit Anconitanus, relatus supra cap. 3., esse in præcepto charitatis, vt inuasus sinat se occidi, ne inuadentem immittat in periculum damnationis.

CAPVT V.

An liceat permittere propriam mortem ex morbo pro seruanda abstinentia a carnibus.

1. PLura de hac re disputari solent propter Carthusienses, qui etiam in periculo mortis abstinent a carnibus, etiamsi, inquam, certum esse possit, sine carnium esu infirmum non posse reualescere.

Et Ioannes Medina quidem Cod. de Ieiunio qu. 13. ad 4. cum nonnullis antiquioribus adeo eam abstinentiam improbat, vt dicat, Carthusienses non solùm posse, sed etiam teneri in illo periculo ad manducandas carnes, non obstante quolibet statuto, vel consuetudine.

Sed nimium est damnare generalem consuetudinem grauissimi Ordinis, qui adeo a Sede Apostolica, cum suis vtique obseruantiis, probatus est, vt a quocumq; alio, etiam Mendicantium pateat trãsitus ad illũ ex Extrauag. Martini V. *Viam ambitiosa* de Regularibus, & transeuntibus. Damnari verò prorsus non potest factum D. Nicolai Tolentinatis, qui in grauissimo morbo neque Superioris exhortatione adduci potuit ad manducandas carnes; quam abstinentiam probauit Deus, assam perdicem ei oblatam insigni miraculo ad vitam reuocans. Seraphicus quoque Franciscus, cùm in infirmitate carnem gustasset, eam a se pœnam exegit, vt sine ad col-

Digitized by Google

collum alligato proceſſerit, hominibuſque cateruatim accedentibus dixerit: *Carnem in occulto comedi; non ergo me deinceps ſpiritualem dicite, ſed tamquam carnalem glutonem contemnite;* quamuis nullo regulæ præcepto, aut generali ordinis conſuetudine ad abſtinentiam a carnibus obligaretur, Apophet. 35. Opuſculorum.

Quare dicendum omnino eſt, eam abſtinentiam eſſe licitam, immo & laudabilem. Et quidem Græci Patriarchæ Ieroſolymitano obedientes, non ſolùm a carnibus, ſed & a lacticiniis diebus Mercurij, & Veneris toto anni tempore, & per totam Quadrageſimam abſtinent, etiam ſi grauiſſima infirmitate detineantur, immo, ſi eas comedant, anathemate percelluntur, vt refert Bremõd lib. 3. cap. 8. ſui intineris per Egyptum, & Palæſtinam. Quis autem neſciat, & antiquos Pythagoreos, & modò Brachmanes in Indiis, hæreticos quoque Manichæos, Abelonios, & Tacianos numquam omnino carnes deguſtaſſe, vel deguſtare? Quorum tamen facta in authoritatem exempli non adduco.

Solet autem illud probari 1. Quia, vt ait Raynaudus in Hoplotheca Sect. 2. ſerie 3. cap. 18., defectus carnis ſuppleri poteſt per aromata, præcipuè per lapidem Bezaar cum ouis. Secundò. Quia, ſi permitteretur eſus carnis in periculo mortis, facilè ex amore orga nos ipſos putaretur adeſſe periculum mortis, cùm non adeſt, indeque paulatim vſque ad vulgares morbos ea permiſſio extenderetur, & ſic rueret illa obſeruantia in Ordine: bono autem totius Ordinis poſtponenda eſt ſalus particularis Religioſi. Tertiò. Quia non poteſt conſtare, per eſum carnium ſalutem corporis inſtaurandam.

2. Hæ rationes non ſufficiunt. Non prima. Quia ſaltem incertum eſt illud ſupplementum; immo certum, aromata, & lapides non nutrire, & oua non nutrire ſicut carnes; quorumdam etiam ſtomachos ea non pati. Deinde vrgeri poteſt caſus, immo ipſe eſt, de quo diſputamus, ſi Medici teſtentur, vel aliàs innoteſcat, ægrotum, niſi per eſum carnium conualeſcere non poſſe, an tunc licitum ſit, vel neceſſarium eas comedere. Rurſus. Poteſt & illa inſtitui quæſtio; an abſtinentia etiam ab ouis, & lacticiniis in periculo mortis ſit licita; nam & ab his per triginta annos abſtinuit D. Nicolaus Tolentinas; & de multis Monachorum in Oriente, & Ægypto myriadibus refert Auguſtinus lib. 1. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 31., quòd ad domandam libidinem abſtinerent non ſolùm a carnibus, & vino, ſed etiam ab iis, quæ mundiora nonnullis videntur: *Quo nomine*, inquit, *ſolet turpe deſiderium exquiſitorum ciborum, quod*

Digitized by Google

quod a carnibus alienum est, ridiculè, turpiterque defendi.

Qui cibi non possunt intelligi, nisi ova, & lacticinia, quandoquidem carnes non sunt; vel fortè etiam olera diligentiùs condita, nam & ab his plures abstinuisse legimus, & D. Nicolaus Tolentinas etiam a pomis abstinuit. Si ergo quæratur, an abstinentia, etiam a lacticiniis in periculo mortis sit licita, ruit illa ratio pro abstinentia a carnibus, quia, scilicet, ova possunt supplere defectum carnium.

Non secunda. Quia primò probandum, vel declarandum erat, illam abstinentiam in illo periculo non esse de natura sua illicitam; si enim illicita est, pro nullo bono seruari potest. Illud autem per eam rationem non probatur, sed supponitur. Secundò. Illa ratio valet tantùm de viuente in communitate, quæ seruet eam abstinentiam, non autem de viuente extra communitatem, vel in tali, quæ eam abstinentiam non seruet: & tamen etiam de hoc potest quæri, an ei liceat talis abstinentia. Rursus. Ea fuit licita, immo Deo accepta in D. Nicolao Tolentinate, vt supra retulimus, viuente in meo Ordine Eremitarum D. P. Augustini, in quo ea abstinentia non seruatur. Si autem tantummodò pro bono communi seruando illa esset licita, non licuisset prædicto Sancto. Tertiò. Illa ratio supponit, rectè inter Carthusienses institutam, rectèque seruari eam abstinentiam in morbis, pro qua dicit, licitè permitti mortem particularis Religiosi; at illud ipsum modò quæritur, si nimirum illa abstinentia sit rectè instituta, rectèque seruetur; ergo illa ratio est pura petitio principii.

Non Tertia. Et si enim non constet, vel constare non possit, infirmum per esum carnium instaurandum, adhuc abstinentia a carnibus videtur illicita, si solummodò constare possit, infirmum non nisi per esum carnium instaurari posse, & aliter certò moriturum; ex hoc enim ipso videtur teneri ad eas manducandas pro custodienda sua vita. Et hic est punctus, de quo disputatur, an, scilicet, si Carthusiensis de medicorum sententia conualescere non possit, nisi per esum carnium, possit licitè eas manducare, quidquid sit, an sciat, nec ne, se per carnes de morbo liberandum. Itaque illa ratio non est ad propositum.

3. Probanda est igitur aliter veritas; & probationem tradunt verba D. Nicolai Tolentinatis, qui suo Superiori ad carnes in periculoso morbo vescendas hortanti, respondit: *An ignoras, Pater Optime, corpus hoccé miserrimum, semel degustata ganeæ suauitate, nouis palati irritamentis subinde sollicitari? Parce ergo mihi, quæso: præ-*

stat

Digitized by Google

ſtat enim carni frænos injicere, quàm indomitæ impetu ad voluptates rapi? Ex quibus ſic poteſt argui. Virtutis eſt reſpuere irritamenta gulæ, vel alterius ſenſus, ne vel tunc, vel poſtea ſollicitent, trahantque ad libidinem; ſed pro virtute exercenda, libidiniſque periculo declinando licet contemnere vitam, mortemque permittere; ergo licita eſt abſtinentia a carnibus etiam in periculo vitæ, ne ganeę ſuauitas experta prouocet libidinem. Maior patet; & roboratur exemplo Monachorum (de quibus ſupra Auguſtinus) a vino, & lacticiniis, immo oleribus delicatiùs conditis abſtinentium; plurimorum etiam Sanctorum, maximèque Anachoretarum.

Ne cui autē nimia videatur hęc cautela, attēdantur Eremitę Camaldulenſes, qui pro euitandis periculis libidinis Venereę, ad ſuas Eremos mulieribus, non tantùm ingreſſum, ſed etiam de propinquo acceſſum interdicunt. Item Fratres Minores ſtrictioris obſeruantię, qui ob pręceptum Seraphici Franciſci in prima Regula cap. 8., & Collatione prima cap. 2., ne recipiant, vel colligant pecuniam ad pręcauendum auaritiæ malum, neque contrectant eam; ſicut nec Fratres Excalceati mei Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. Et, quod magis ad propoſitum eſt, ad Monaſterium Montis Virginis in Cāpania non licet deferre nec carnes, nec oua, nec lacticinia; id enim ſępiſſimè Deus per ſigna, & miracula inhibuit. Si ergo aliquis Regularis ibi ægrotet, & propter rationem morbi non poſſit aliò transferri, moriendùm illi potiùs eſt, quàm carnes, aut oua deguſtanda, idque iubente Deo. Similiter apud Minimos, quibus illicitum eſt ſumere carnes, dum ſani ſunt, infirmarium, vbi illę coquuntur pro infirmis, certorum paſſuum interuallo diſtare debet a communi habitatione, ne illarum nidor hauſtus trahat appetitum.

Minor patet ex dictis capite prędecedenti, Cùmque Carthuſienſes ad abſtinentiam a carnibus etiam in eo periculo ex ſtatuto, vel recepta, antiquaque conſuetudine obligentur, patet, non tantùm eos non peccare abſtinendo, (cuius oppoſitum temerè prorsus dicitur), ſed etiam peccare, niſi abſtineant, vt rectè ſtatuunt Victoria, Vaſquez, Salas, Suarez, Raynaudus, & alii. Ad omnem enim actū virtutis poteſt quis, vel ſtatuto, vel conſuetudine, vel ſua voluntate obligari. Et inſulsè dicitur, Carthuſienſes ob id occidere ſe ipſos; nō enim ſe occidunt, ſed tantùm permittunt ſuam mortem ex vi morbi accidentem. Immo nec abſolutè permittunt, ſumunt enim remedia contra morbum; ſed tantùm non adhibent remedium carnium.

4. Sed grauis adeſt difficultas. Inſtante enim morte ex fame,

Digitized by Google

si desint alii cibi, Carthusienses non solùm possunt, sed tenentur comedere carnes, vt docent Vasquez, Salas, & Raynaudus, ipsique Carthusienses fatentur apud Gersonem tract. de Abstinentia a carnibus concluſ. 3.; & tamen etiam tunc videtur militare ratio adducta de euitandis irritamentis gulæ ex experientia voluptatis in esu carnis; ergo, vel non licet illis comedere carnes nec in periculo mortis ex fame, vel licet etiam, cùm periculosè ægrotant.

Respondet Raynaudus in Hoplotheca loc. cit., illam abstinentiam in casu famis fore inhumanam, nec honestari studio communis boni.

Verùm, etiam abstinentia in casu morbi pluribus videtur inhumana; & respectus ille communis boni non militat in eo, qui non viuit in communitate; cui tamen eam abstinentiam licitam esse defendendum est, vt supra diximus.

Dicendum ergo, abstinentiam a carnibus in periculo mortis ex fame non fore actum virtutis, quia esset contra præceptum Dei concedentis escam hominibus, vt viuant Genes. primo, & 8. Illa enim concessio habet vim præcepti, sicut, & concessio copulæ coniugalis Adam, & Euæ, & Noe, filiisque eius per illa verba: *Crescite, & multiplicamini*; peccassent enim isti, si coniugia non exercuissent, quod notauit Abulensis. Noluit enim Deus, hominem perire fame, quia mortem hominis voluit esse in potestate sua, non in arbitrio hominis; & sicut nemini permisit, vt gladio, vel præcipitio se interimat, ita neque vt fame; ideo nullum Sanctorum id legimus feciſſe (quāuis plurimi asperrimè suum corpus tractauerint) etiam si de futura, vel instanti morte per diuinam reuelationem præscii fuerint; quia, scilicet, cognouerunt, non licere ipsis exire de vita, quando ipsi, sed quando Deus volebat.

Iuuat hic referre dictum Magni cuiusdam Ethnici, Pompeii apud Plutharchum in Apophtegmatibus. Cùm enim ægrotaret, & medici suaderent, vt turdo vesceretur, isque non reperiretur nisi apud Lucullum, qui in prouidentia gulæ totus erat, renuit Pompeius ad eum mittere, dicens: *Ergo nisi luxuriaretur Lucullus, non viueret Pompeius*? Id quidem fortè præ superbia, ne videretur alterius beneficio indigere. Sed, si in detestationem luxuriæ dictum est, quantò rectiùs, & sublimiùs Religiosi fideles in periculo mortis ex morbo carnibus non vtuntur, nō, ne aliena luxuria indigeant, vel vtantur, sed ne alliciant suam?

5. Huic affine est illud dubium: An etiam si Carthusiensis sciat, se per esum carnium a morbo liberandum, teneatur, aut licitè valeat

Digitized by Google

leat eas comedere? Aliud eſt enim ſcire, ſe niſi per eſum carnium non poſſe a morte liberari, cum qua ſcientia incertum eſt, an de facto ex earum eſu liberandus ſit: Aliud ſcire, ſe per illum esum liberandum. Et in primo caſu non videtur adeſſe tanta obligatio veſcendi carnibus, quanta in ſecundo: poſſet enim in illo dicere, ſe fortè moriturum, etiam ſi carnibus veſcatur, & propter incertum bonũ vitæ non eſſe deſerendum certum bonum abſtinentiæ. Sic meus D. Fulgentius conſulentibus, vt delicatioribus cibis veſceretur ad vitanda pericula infirmitatis, reſpondebat, *infirmari etiam eos, qui delicatis cibis veſcuntur*: in hoc verò, niſi comedat, videtur omnino deſerere curam, ſiue cuſtodiam ſui corporis, & vitæ, quæ ei de lege naturæ incumbit.

Reſpondeo, neque in hoc caſu teneri, immo peccare, ſi comedat: id enim probat ratio adducta de vitandis illiciis gulę, ad quod Carthuſienſes obligantur.

Amplius dicunt Gerſon tract. de Abſtinentia a carnibus concluſione 3., & Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 3. qu. 14., ſcilicet, homines non teneri ad ſeruandam vitam per quodcumque medium licitum, ſi adſit rationabilis cauſa eo non vtendi; vt fortè eſſet nimius dolor ex ſectione membri, cui tolerando imparem ſe quis ſentiat. Marius Romanus poſt ſectionem vnius membri patientiſſimè toleratã, cùm Medici procedere vellent ad alterum ſecandum, renuit dicens, vitam non eſſe dignam tanto dolore, vt narrat Tullius lib. 1. Tuſculanar. quæſtionum. Communiter quoque noſtri Summiſtæ docent, non teneri hominem pro vita ſeruanda difficillima medicamina tolerare.

Contra determinata poteſt obiici. Quia Monialis, quæ iudicio Medicorum non poſſet conualeſcere, niſi ſepta Monaſterii egrederetur, poteſt, etiam non obtenta licentia, egredi, vt ait Penna leg. 1. C. de Comm. lib. 12.; & videtur approbare Peyrinus in Indice ſui Operis de Priuilegiis ver. *Clauſuræ locus*; ergo etiam Carthuſienſis in caſu, in quo aliàs deſperaretur de vita eius, poteſt comedere carnes.

Reſpondetur, Moniales non intendere obligationem ſui ad clauſuram, niſi quatenùs eis præcipitur ex Conſtitutione Bonifacii VIII. approbata in Tridentino, & Pii V., quæ incipit: *Circa Paſtoralis*; præcepta autem humana regulariter non obligant cum diſpendio vitæ. Carthuſienſes autem intendunt ſe obligare ad eam abſtinentiam etiam cum periculo vitæ, ſic enim eſt vſu receptum;

Digitized by Google

ergo non est eadem ratio. Superest modo inuestigare mentem Augustini in principali quæstione. Sit ergo.

CAPVT VI.

An Augustinus docuerit, illicitam esse defensionem cum periculo occisionis inuadentis?

1. SVpponitur id vt certum a M. Noris, adeo vt in Vindiciis Augustinianis cap. 4. §. 11. discutiendum proponat: *An errauerit Augustinus, docens occisionem graßatoris mortem intentantis non esse licitam.*

Ea autem ratione ducitur; quia Augustini, vt ait, sententia est, vitam corporis, eò quia amitti potest nobis inuitis, non esse amandam, immo contemnendam, proindeque pro ea conseruanda non esse occidendum hominem; nec insuper esse hominis bonum.

Dicendũ est, Augustinum illud non docuisse. Probatur. Quia Augustinus sępissimè docet, vitam corporis esse diligendam, immo id ad charitatem pertinere.

Primò. Homilia 37. ex 50.: *Amores omnes, & dilectiones, priùs sunt in hominibus de se, & sic de alia re, quam diligunt. Si diligis aurum, priùs te diligis, & sic aurum; quia, si tu mortuus fueris, nullus erit, qui aurum possideat; ergo dilectio vnicuique a se incipit, & non potest nisi a se incipere; & nemo monetur, vt se diligat. Hoc enim non solùm inest hominibus, sed pecoribus. Non solùm ingentes bestiæ, sed & muscæ, & vermiculi minimi nolunt mori, & diligunt se; omnia animalia mortem fugiunt, pro vita sua pugnant, mori nolunt, custodire se volunt.* In quibus verbis notandum est.

Primò, de mente Augustini necessariò iuxta ordinem naturę dilectionem cuiusque incipere a seipso; quod verissimum est, nam alia diliguntur propter societatem, vel communicationem, vel ordinem ad nos; ergo supponitur prior amor ad nos. Secundò. Id esse verum etiam quantùm ad dilectionem vitæ corporalis; nam probat hoc exemplo pecudum, quæ non aliam vitam possunt sibi diligere, quàm corporalem, pro qua seruanda pugnant, & fugiunt mortem. Item: eam dilectionem non esse brutalem, vt vult Noris,

sed

Digitized by Google

ſed communem hominibus, & brutis; atque adeo ſecundùm rationem naturæ communis vtriſque. Ex quibus clariſſimè pater, eam dilectionem non eſſe malam, neque vitam corporalem eſſe contemnendam iuxta Auguſtinum.

Secundò. Lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 23. ait, non omnia eſſe ex charitate diligenda, ſed ea ſola, quæ aut nobiſcum ſocietate quadam referuntur in Deum, ſicut eſt homo, vel Angelus; aut ad nos relata beneficio Dei per nos indigent, ſicuti corpus; & ſubdit: *Cùm ergo quatuor ſint diligenda, vnum, quod ſupra nos eſt; alterum, quod nos ſumus: tertium, quod iuxta nos eſt: quartum, quod infra nos eſt, de ſecundo, & quarto nulla præcepta danda erant: quantumlibet enim homo excidat a veritate, manet illi dilectio ſui, & dilectio corporis ſui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, vt ipſe ſibi regnet, & corpori ſuo: & ideo non poteſt niſi, & ſe, & corpus ſuum diligere.* Et cap. 26.: *Præcepto non eſt opus, vt ſe quiſque, & corpus ſuum diligat, quoniam id, quod nos ſumus, & id, quod infra nos eſt, ad nos tamen pertinens, inconcuſſa naturæ lege diligimus, quæ etiam in beſtias promulgata eſt, nam & beſtiæ ſe, atque corpora ſua diligunt.* Tamen poſtea oſtendit dilectionẽ noſtri, & corporis noſtri poſſe intelligi indictam in ſecundo præcepto Charitatis: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: Si enim*, inquit, *te totum intelligis, ideſt, animam, & corpus tuum, & proximum totum, ideſt, animam, & corpus eius, homo enim ex anima conſtat, & corpore, nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermiſſum eſt.* Ex quibus habetur, primò, dilectionem corporis noſtri adeo eſſe naturalem, vt nulla poſſit animi peruerſitate aboleri (ſi autẽ naturalis eſt, non eſt mala) & ideo neq; præcepto indigere. Secundò. Non eſſe brutalem, non enim procedit de lege brutorum, quam imitentur homines, ſed de lege naturæ deriuata etiam ad bruta. Tertiò. Quod corpus diligendum eſt ex præcepto charitatis; ex quo loco Auguſtini D. Thom. 22. qu. 25. ar. 5. probat idipſum.

2. Inſuper eodem lib. cap. 24.: *Qui*, inquit, *diligit iniquitatem, odit animam ſuam, & ideo fit infirmus animus, & de mortali corpore cruciatur. Neceſſe eſt enim, vt illud diligat. Nemo ergo ſe odit. Sed neque corpus ſuum quiſquam odit. Verum eſt enim, quod ait Apoſtolus:* Nemo vmquam carnem ſuam odio habuit. *Et quod nonnulli dicunt, malle ſe omnino eſſe ſine corpore, omnino falluntur; non enim corpus ſuum, ſed corruptiones eius, & pondus oderunt; quòd autem continentia quadam, & laboribus quaſi perſequi videntur corpora ſua,*

qui

Digitized by Google

qui hoc rectè faciunt, non id agunt, vt non habeant corpus, sed vt habeant subiugatum; non enim se interimunt, sed curam suæ valetudinis gerunt. Qui autem peruersè id agunt, quasi naturaliter inimico suo corpori bellum ingerunt. Et paulò post: *Tamen nec isti, qui falsa opinione deprauati corpora sua detestantur, parati essent vnum oculum, vel sine sensu doloris amittere. Istis atque huiusmodi documentis satis ostenditur, quàm sit certa sententia Apostoli, vbi ait:* Nemo vmquam carnem suam odio habuit; *addidit etiam:* sed nutrit, & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam. *Modus ergo diligendi præcipiendus est homini. Præcipiendum etiam, quomodò corpus suum diligat. Nam quòd diligat corpus suum, idque saluum habere, atque integrum velit manifestum est. Aliquid itaque amplius diligere aliquis potest, quàm salutem, atque integritatem corporis sui. Non tamen propterea quisquam dicendus est, non diligere salutem, atque incolumitatem corporis sui, quia amplius aliquod diligit, &c.* Hinc 13. de Ciuit. cap. 20. ait loquens de Animabus Sanctorum: *Si carnem suam non oderant, quando eam suæ menti infirmitate resistentem spirituali iure coercebant, quantò magis eam diligunt, etiam ipsam spiritualem futuram?* Vbi ly, *non oderant* pro eo positum est, ac *diligebant*: aliter non rectè deduceretur: *Quantò magis eam diligunt.* Dictum est autem *non oderant*, vt intelligeretur, quòd oderant quidem animæ Sanctorum resistentiam suæ carnis ad spiritum, cæteraque eius corruptiones, & pondus; non tamen propterea oderant, immo diligebant eiusdem substantiam, & propterea nunc, vt subdit Augustinus: *Resurrectionem corporum desiderabiliter, & patienter expectant.*

Tertio. Lib. 12. de Genesi ad litter. cap. 35. dicit, animas Beatorum ante resurrectiocem ab appetitu corporis administrandi retardari quodammodò, ne tota intentione ferantur in Deum (Certè illas animas appetere reunionem ad corpora habetur Apocalypsis 6.) quod probat D. Thomas in Supplemento qu. 93. ar. 1.: proinde docens, Beatitudinem futuram maiorem post resurrectionem; quamuis eam sententiam tribuat Hieronymo. Adeo validus est appetitus animæ ad corpus, vtpotè innatus, immo essentialis, sicut cuiuslibet formæ ad materiam, ac proinde non potest esse malus, nisi natura ipsa mala sit, quam sequitur: nec potest ferri nisi in sui bonum, bonũ enim est, quod omnia appetunt, primo Ethic. c. 1.; ergo corpus bonum est homini.

Quartò. Serm. 32. de Verbis Apostoli cap. 3. dicit, timorem mortis esse homini naturalem, immo tristitiam de morte amici esse necessariam; nec Apostolum eam inhibuisse, dum ait ad Corinthios

Digitized by Google

thios, vt non contriſtentur ſicut cæteri, qui ſpem non habent: *Non enim*, inquit, *admonuit, vt non contriſtemur, ſed vt non ſicut cæteri, qui ſpem reſurrectionis non habent*, Serm.2. de verbis Apoſtoli cap.1. Plura adduci poſſent, ſed hæc, vt arbitror, ſufficiunt.

Si ergo Auguſtinus docet, corporalem vitam, ſeu corpus, eiuſque integritatem, & incolumitatem neceſſariò, & naturaliter amari, & defendi, immo ea eſſe ex charitate amanda; non ſolùm ſequitur, ea non eſſe, iuxta eius ſententiam contemnenda, vt illi imponit Noris, ſed etiam licitè defendi, etiam cum periculo occiſionis ea inuadentis. Cùmque oppoſita ſententia ſit falſiſſima, & abſurdiſſima, vt patere poteſt ex dictis in præcedentibus Capitibus, non eſt imponenda Auguſtino, maximè a ſtudioſo, & defenſore eius doctrinæ, qualis eſt Magiſter Noris.

2. Verùm ipſe arguit ex dictis Auguſtini primo de Lib. Arbitr. cap.5. quæ Nos ſupra cap.3. retulimus: *Quomodò poſſum arbitrari, carere iſtos libidine, qui pro ijs rebus digladiantur, quas poſſunt amittere inuiti?* Et rursus: *Quomodò apud eam* (legem æternam, ſiue Diuinam) *ſunt ipſi peccato liberi, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?*

Ad hoc reſponderat D.Tho.12. qu.64. ar.7., Auguſtinum vocare libidinoſam, & reprehendere intentionem occidendi, vel occiſionem factam ex illa intentione; non verò, quæ præter intentionē accidit ex ſola defenſione, vel voluntate ſe defendendi.

Sed inſtat Noris; quia Auguſtinus probat, malam eſſe occiſionem aggreſſoris, quia oritur ex cupiditate ſeruandi vitam, quæ vita contemnenda eſt, non amanda, vt patet ex ſuperioribus eius verbis, & ex ſequentibus: *Liberum eſt eis, neminem necare pro ijs rebus, quas inuiti poſſunt amittere, & ob hoc amare non debent*; ergo D. Tho. in eo loco non eſt aſſequutus mentem Auguſtini; & cùm dicit, defenſionem oriri ex inſtinctu naturæ amantis vitam, & proinde de eius conſeruatione ſatagentis, longè diſcedit a ſententia Auguſtini.

Verùm ex illo inſtinctu oriri eam defenſionem docet pluries idem Auguſtinus, vt ſupra oſtenſum eſt. Quare appetitus propriæ defenſionis non debet appellari cupiditas; hæc enim idem ſonat, ac libido, eſtque appetitus non ſeruans ordinem naturæ, vel rationis: appetitus autem ſuæ defenſionis naturalis eſt, atque adeo etiam ſecundùm ordinem rationis; ergo non eſt cupiditas. Cùm ergo Auguſtinus occiſionem, vel pugnā pro vita defendenda dicit procedere ex libidine; hinc etiam colligēdū eſt, ipſum de ea tantùm loqui,

Digitized by Google

loqui, quæ sit cum intentione occidendi, non ex simplici voluntate se defendendi; ideoque dicit, procedere ex libidine, quia voluntas occidendi inuasoris libidinosa est, ideſt, contra ordinem rationis; aliter contradiceret aliis suis dictis.

Colligitur etiam, ipsum non simpliciter velle, vitam corporis non esse amandam, aut esse contemnendam. Quomodo enim hoc loco id dicere posset Augustinus, qui tot aliis locis a nobis productis oppositū apertissimè, & vehementissimè docuit? Sed non amandā, cùm eius amor inducit ad peccatum, quod esset, si pro ea conseruanda intenderemus occisionem aggressoris, immo tunc contemnendam, quia magis fugiendum est peccatum, quàm vita amanda.

Immo nisi ita dicatur, nullum est argumentum eius. Quæ enim consequentia est: Vitam possumus amittere inuiti; ergo non debemus eam amare, sed contemnere? Numquid enim non potest esse bonum, quod est amissibile nobis inuitis? Immo, si inuiti amittimus, volentes retinemus, atque adeo bonum nobis est: omne autem bonum amari potest.

Si autem sola bona inamissibilia nobis inuitis amanda sunt, etiam sola mala inamouibilia ex nostis viribus erunt fugienda, quod planissimè falsum est. Ergo dicendum est, id tantùm velle Augustinum, vt vita corporis non sit amanda, sed contemnenda, si eius amor ducat ad peccatum; quia tunc vitam, quæ est amissibilis nobis inuitis, amore præponimus virtuti, seu diuinæ gratię, quæ non est amissibilis nobis inuitis; præponimus, inquam, in casu præsentis quæstionis propriam vitam dilectioni proximi, si eius mortem intendimus, quod irrationabile, & peccaminosum est.

3. Sed ex aliis Augustini dictis id etiā suadetur. Ita enim proponit Quæstionem: *Vtrum, vel hostis irruens, vel insidiator sicarius, siue pro vita, siue pro libertate, siue pro pudicitia, sine vlla interficiatur libidine*. Et Respondet, quòd non, vt patet ex eius verbis supra relatis. At certum videtur oppositum; potest enim ex libertate arbitrii, & habitu virtutis, multò autem maximè ex adiutorio gratiæ Dei reprimi ira consurgens, vel saltim retineri, ne vsque ad voluntatem cædis prosiliat: quo casu occisio non erit ex libidine, sed ex rationabili voluntate propriæ defensionis. Atque hoc maximè fateri debet Noris, qui longè maiorem mansuetudinem ab huiusmodi inuaso exigit, nempe, vt etiam sui defensionem abiiciat, sinatque se occidi; ex quo patet, quòd inconsultè Ipse supra dixerit, non posse retineri resistentiam in sola voluntate

defen-

Digitized by Google

defenſionem,aut non poſſe retineri iram,immo neceſſariò excurrere vſque ad voluntatem cædis ; ſi enim id non poteſt fieri, multò minùs id , quod ipſe exigit , vt, ſcilicet, quis patienter ſe ſinat occidi ab iniquo aggreſſore. Cùm ergo poſſit ſine dubio accidere illa occiſio ex ſola voluntate defenſionis , ideſt, abſque intentione occidendi , & per conſequens ſine libidine, non eſt credendum de Auguſtino , quòd pro indubitato habuerit oppoſitum. Loquitur igitur ipſe de occiſione per ſe intenta : tunc enim propriè dicitur inuaſus, ſiue quiſquis occidere inuaſorem , vel alium hominem , quando & voluntatem habet, & conatum adhibet ad occidendum ; ſi autē ex ſola voluntate , vel conatu ad ſe defendendum accidit occiſio, non propriè ille dicitur occidere, ſed accidere occiſionem; ergo propriè , & ſtrictè loquitur Auguſtinus , ideoque dicit , inuaſum non occidere ſine libidine.

Rurſus. Illum conatum inuaſi vocat Auguſtinus digladiationem : *Pro ijs*, inquit , *rebus digladiantur*; *quas amittere poſſunt inuiti* . Conatus autem, ſiue pugna gladiatorum non erat ob defenſionem , ſed in occiſionem aduerſarii : nullo enim priùs aggrediente , ſed ad oſtendendam fortitudinem , vel robur in occiſione aduerſarii gladiatores deſcendebant in arenam ; & certè ſimplex voluntas ſe defendendi non congruè dicitur voluntas digladiandi , nec defenſio, digladiatio. Ergo Auguſtinus loquitur de conatu, quem adhibet inuaſus ad occidendum inuadentem , non ad ſimpliciter ſe defendendum, illumque dicit, procedere ex libidine.

Adhuc. Dicit, permiſſionem , ſiue veniam legis humanæ non abſoluere huiuſmodi occiſores a reatu alterius ſecretiſſimæ legis , nempe Diuinæ naturalis. At lex humana dat veniam huiuſmodi occiſionibus etiam ex voluntate occidendi factis ; non enim poteſt de interna voluntate iudicare . Ergo non neceſſe eſt dicere, Auguſtinum etiam eam occiſionem damnare, quæ accidit præter intentionem , ſed tantùm eam , quæ fit ex intentione occidendi, licèt ei per legem humanam venia detur. Immo ideo Auguſtinus hoc adnotauit , ne propter huiuſmodi veniam legis humanæ aliquis putaret, occiſionē ex intentione occidendi factam veniam habere etiam apud legem Diuinam. Ideo etiam memorat, quòd lex non cogit , ſed permittit occidere, ne quis putaret, immunem a culpa voluntatem occidendi tamquam a lege imperatam ; ex quibus omnibus ſequitur ,non D.Tho.ſed ipſum potiùs Noris deceptum in aſſequenda mente Auguſtini.

4. Ipſe Noris animaduertit,principium illud a ſe tributum Au-

Digitized by Google

gustino, nempe, vitam corporis non esse diligendam, sed contemnendam, non esse validum ad statuendum peccatum in occisione præter intentionem sequuta ad sui defensionem.

Ideo aliam viam struxit ad Augustini, vt putat, sententiam defendendam, quòd, scilicet, Augustinus non docuerit, illã occisionem esse propriè peccatum, sed tantùm continere moralem defectum, idest, esse actionem imperfectam, quatenus, scilicet, inuasus *relicto actu longè perfectiori*, idest, permissione suæ occisionis, *ne periculum subeat occidendi, eligit imperfectiorem, vnde ex insipientia operari dicitur. Nam qui*, inquit, *permittit se occidi, nec curat, cùm possit, nece hostis vitam redimere, animum quouis infortunio excellentiorem se habere demonstrat, non reputans in bonis vitam, quam amittere paratus est, & non habere paratior, vnde summa laude commendandus venit, quo pacto Anaxarchus, Stilpo, & alij veterum præconia demeruere. Secus verò agens exilis animi se ostendit, vt quem vilissimi boni possessio impleat, ac tanti vitam faciat, vt omnibus viribus pro illius conseruatione sibi dimicandum putet. Quare apud veram sapientiam stultè agere iudicabitur, vilisque animi pœnas luet. Maior quippe fortitudo exeritur ab eo, qui generosè mala patitur, quàm ab eo, qui infert, ex Philos. 3. Ethic. cap 9. & D. Thom. 22. qu. 123. art. 6. Potestque hæc explicatio colligi ex ijs, quæ Augustinus 1. de Lib. Arbitr. scribit, cùm enim dixisset, occisionem inuasoris nulla lege ciuili plecti, ait cap. 5.:* Illæ verò culpæ alias pœnas habent, a quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia. *At non agit iuxta regulas sapientiæ, qui ob vilissimæ rei, quæ sit in homine, conseruationem ingenti se laude priuat, vnde secundùm easdem sapientiæ regulas defectuosè agit, quod est peccare. Sed fateor, plus aliquid velle Augustinum in illo cap. 5., nam verba eius plusquam dicti defectus moralis citra peccatum reum constituunt occisorem inuasoris. Igitur sententia Augustini ex subtilioris Philosophiæ principijs deducta generosiori, suique æstimatori animo digna, non nisi iniustè reprehendi potest.*

Hucusque Noris: Sed hęc eius dicta multa consideratione, nedicam correctione indigent.

5. Primò. Non noua via panditur ad priorem, quam Augustino imposuit, sententiam defendendam, sed noua sententia priori oppositæ ei imponitur. Contradictoria enim sunt: peccare: non peccare, sed tantùm imperfectè operari. Sed neque principium illud Augustino tributum defenditur. Si enim vita corporis contemnenda est, & non diligenda, qui illam defendit, non tantùm imperfectè operatur, sed etiam peccat, quia facit contra id, quod debet, maxime

Digitized by Google

ximè cùm id facit cum periculo occiſionis inuadentis eam. Quomodò etiam hic aliam ſententiam Auguſtino imponit, ſi prior illa tanto conatu, tamquam Auguſtini, ab eo aſſerta, & defenſa eſt?

Secundò. Ipſe Noris, ni fallor, videtur immediatè ſibi contradicere; cùm enim probare propoſuerit, illum occiſorem non peccare, ſed tantùm imperfectè operari, ait: *Secundùm ſapientiæ regulas defectuosè agit, quod eſt peccare*. Si igitur defectuosè agere id eſt peccare, quomodo nõ peccat ille, ſed tantùm operatur imperfectè? Quo etiam conſilio hanc ſententiam tribuit Auguſtino, de quo immediatè ſubdit, plus velle, & non ſolùm imperfectionem actionis, ſed etiam reatum culpæ tribuere illi interfectori?

Tertiò. Cùm dicit de defendente ſe ipſum, quòd relicto actu longè perfectiori, ideſt, ſinendi, ſe occidi ad euitandum periculum occidendi aggreſſorem, eligit actum imperfectiorem, ſupponit, peccaminoſum eſſe admittere, ſeu non euitare periculum occidendi; ergo iam qui ſe defendit cum illo periculo, non tantùm imperfectè agit, ſed etiam peccat, cuius oppoſitum probare intendit.

Quartò. Eſt quidem excellentis animi, & laudabile adire, vel ſubire patienter mala, ad finem tamen virtutis, vt pro charitate erga proximum, pro ſatisfactione culparum, pro fide aſſerenda, pro frenanda concupiſcentia, pro participãdis doloribus Chriſti & ſimilibus; ſecùs de ſtultitia, & feritate in ſeipſum, aut ſuperbia, ſiue de appetitu inanis gloriæ deſcendit, qui nõ erectionem, ſed potiùs deiectionem, ac vilitatem animi denotat ſeruientis gloriæ mundi; quod vitium in ſęculi Philoſophis regnaſſe notauit Hieronymus, appellans eos mancipia gloriæ.

Quare non erãt hùc auocandi, multò minùs laudandi, vel Anaxarchus, vel Stilpo, vel quiſquis alius ſæculi Philoſopus; & prorſus ſubire mortem, cùm poſſis euitare, ad oſtẽdendam animi erectionem, ſuperbum eſt. Nec Anaxarchus id fecit, eam enim mortem ſubſtinuit, quam effugere non poterat, in ſaxea pila ferreis piſtillis contuſus. Cùmque homo ordinatione Diuina, non dominus, ſed cuſtos ſit vitæ ſuę, eius cuſtodiam pro humana gloria deſerere, etiã infidelitatis eſt. Quare, nec qui ſe defendit, exilis animi eſt iudicandus, niſi eius erectionem, ſiue celſitudinem ſtatuamus in vitio ſuperbiæ. Itaque hic diſcurſus Noris ſęculi faſtum, vel tumorem Stoicum redolet, quo nihil Chriſtianæ humilitati, ideſt, veræ ſapientiæ magis oppoſitum.

Cùm verò vitam corporis appellat bonum viliſſimum, in eo quòd dicit bonum, deſtruit ſuperiora ſua dicta, quibus contende-

Digitized by Google

bat, eam non esse bonum hominis, & ideo non datum a natura instinctum ad defensionem eius; in eo verò quod dicit vilissimum, delicit donum Dei, ipsam quoque, quam extollit, animi celsitudinem in contemptu vitæ: non enim magnum est, vilissimum bonum despicere. Sed nec consequenter loquitur, cùm dicit, defensorem eius vilis animi pœnas luere. Pœna enim non sequitur, nisi culpam; at ipse probat defensorem propriæ vitæ non peccare, sed tantùm imperfectè agere; ergo ille non luit pœnas.

Verùm est autem, maioris fortitudinis esse sufferre mala, quàm inferre; immo in inferente nulla est animi fortitudo, dum iniustè infert, immo potiùs infirmitas, quia ab ira, aliauè passione vincitur; sed non est nulla fortitudo eius, qui se contra armatum aggressorem strenuè, & iustè defendit; nec præsens quæstio est, quis ex duobus sit fortior, sed, an inuasus iustè, & licitè se defendat, etiam si ex sui defensione periculum ingruat occisionis inuadentis.

Contemnere verò propriam vitam, non est fortis, aut generosi animi, sed vilis, & indigni, etiam iuxta Stoicorum placita, de quorum doctrinæ promptuario hæc argumentorum arma protulit Noris. Nam, vt ex Gellio memorat Augustinus 9. de Ciuit. c. 4. Aristippus, alteruè Stoicus in periculo naufragii timore expalluerunt: cùmque a quodam nauigationis socio increpiti fuissent, quòd factis Stoica dogmata rescinderent sapientis decernentia imperturbabilitatem, responderunt, se quidem pro sapientis vitæ periculo rectè timorem concepisse, illi autem pro nebulonis, qualis erat, animam non fuisse timendum. Quò igitur verè generosior, melior, sapientior est animus, eò magis non despicit, sed æstimat vitam sui in corpore suo, nisi pro bono virtutis asserendo, vel vitando peccato ea sit abicienda, vt dictum est.

6. Cùm verò dicit, argumentum suum ex iis, quæ adducit, Augustini verbis colligi posse, respondendum est, ex illis non aliud deduci, nisi quòd occisio aggressoris ex intentione occidendi facta, quamuis non puniatur humanis legibus, punitur tamen lege Diuina, a qua pœna non liberat, nisi vera sapientia; qua quisquis ducitur, non concipit intentionem occidendi, etiam cùm cogitur, se armis ab armato aggressore defendere, atque adeo non contrahit culpam, quæ illi intentioni Diuina lege præscribitur.

Quòd verò Augustini sententia sit ex subtilioris Philosophiæ principiis deducta; equidem nihil fermè ab Augustino est dictum, quod subtilissimum simul non sit, & solidissimum; sed non claret de

qua

Digitized by Google

qua Auguſtini ſententia ipſe loquatur; duas enim illi imponit, quarum neutra eſt Auguſtini, & vtraq; eſt falſa. Nam neque, vt abunde oſtenſum eſt, Auguſtinus docuit, occiſionem aggreſſoris per accidens ſequutam ex ſola voluntate ſe defendendi, eſſe peccaminoſam, (quam ſententiam etiam falſam eſſe probauimus) neque, quod imperfectè moraliter agat, qui ſe defendit cum periculo occiſionis aggreſſoris: nulla enim Auguſtini verba pro ea proferuntur, & falſa eſt; poteſt enim ſubeſſe iuſta, & rationabilis cauſa, qua potiùs ſit defendenda vita, quàm toleranda mors; itaque vtraq; illa ſententia iuſtè reprehenditur, ſalua remanente ea, quæ verè Auguſtini eſt, quòd propria defenſio cum intentione occidendi aggreſſorem, ex libidine deſcendat, adeoque peccatum ſit.

Vltra autem hæc omnia illud admirationem ingerit, quòd, cùm Noris ipſe affirmet, ſententiam illā de peccato in ſui defenſione propter periculum occiſionis fuiſſe ab Auguſtino ex authoritate Diuinarum litterarum retractatam, tamen adhuc eam, vt veram, & de mente Auguſtini defendit; neque reſpondet authoritatibus Scripturæ, quibus Auguſtinum inductum ait ad retractandū; quaſi ea contra Diuinas litteras defendi poſſit, et quaſi Auguſtinus benè affirmauerit, malè retractauerit, eiuſque poſteriores cogitationes, non, ſicut in cæteris, ſapientiores fuerint, neque ſtudendo profecerit, ſed defecerit. Sed de M. Noris ſententia hactenus dictum ſit.

7. Superſunt duo loca Auguſtini, quæ obiici poſſint. Primus ex Epiſtola 154., vbi reſpondens quæſtioni propoſitæ a Publicola, Epiſtola 253. versùs finem: *Si Chriſtianus videat, ſe a barbaro, vel a Romano velle interfici, debet eos ipſe Chriſtianus interficere, ne ab illis interficiatur, vel, ſi licet ſine interfectione eos repellere, quia dictum eſt: Noli reſiſtere malo*, ſic loquitur, (& refertur cap. *de occidendis* 23. qu. 5.) *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro ciuitate, vbi etiam ipſe eſt, accepta legitima poteſtate, ſi eius congruit perſonæ.*

Reſpondetur, hæc Auguſtini dicta non nocere, immo in fauorem eſſe noſtræ ſententiæ. Cùm enim Auguſtinus concedat militi, vel poteſtatem publicam, ac legitimam habenti interficere eos, a quibus vident aliis parari necem, argumento eſt, quòd loquatur de interfectione cum intentione interficiendi: hæc enim propriè eſt occiſio, aliàs dicitur tantùm defenſio; et hæc conceditur

Digitized by Google

tur illis, qui propterea dicuntur habere potestatem occidendi, quod dici nō potest de se defendente, habet enim hic tantùm potestatem se defendendi; ergo eam facultatem negat aliis, non verò facultatem se defendendi, etiam cum periculo occisionis inuadentis in actuali discrimine vitæ ex aggressione inimici. Fortiùs autem: negat illis vsum potestatis pro seipso, & tantùm admittit pro aliis, vel pro ciuitate: at, si facultas aliqua adest defensionis cum periculo occisionis, maximè adest in defensione sui ipsius, magis, inquam, quàm in defensione cæterorum, magis enim seipsum debet quisque amare, atque adeo defendere potest, quàm cæteros. Aliàs absurdum est, vt ait Glosa, *aliquem aliis, & non sibi*, supple, ferre posse auxilium. Ergo dum Augustinus negat illam potestatem pro se, & admittit pro aliis, non loquitur de potestate se defendendi cum periculo occisionis; sed de facultate occidendi. Hanc enim licèt habeant milites, vel publica potestate fungentes pro defensione aliorum, non habent pro seipsis, quia nemo potest esse Iudex in propria causa, vt dicit Glosa supra hunc locum. Sic igitur nihil Augustinus hic habet contra nostram sententiam.

Sed insuper ei fauet in iis, quæ subdit: Ait enim, præceptum illud: Ne resistamus malo Matth. 5. id prohibere, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit: ergo tantùm occisionem ex ardore vindictæ ipse damnat, non verò, quæ accidit ex defensione. Apertissimè autem: *Absit, vt quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur*; sed bona, & licita est defensio propriæ vitæ; ergo si ex eius defensione mors præter se defendentis intentionem acciderit aggressori, non est illi imputanda.

Hinc Glosa ea his verbis Augustini rectè colligit, quòd, si quis dat operam re...itæ, & exinde sequitur aliquod malum, non est ei imputandum; & quòd non semper prohibetur bonum propter malum, quod sequi potest.

8. Alius locus Augustini est ex Epistola 127. ad Donatum; vbi eum rogat, ne occidat persequutores Christianorum, immo ita eorum delicta compescat, vt sint, quos peccasse pæniteat, & subdit: *Si occidendos in his sceleribus homines putaueritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perueniat. Quo comperto illi in nostram perniciem licentiori audacia grassabuntur; necessitate nobis impacta, vt etiam occidi abeis eligamus potiùs, quàm*

eos

Digitized by Google

eos occidendos veſtris iudicijs deferamus. Quæ ſententia refertur cap. *Vnum ſolum* 23.q.5. Ergo Auguſtinus neceſſarium putat (*neceſſitate*, inquit, *nobis impacta*) potiùs permittere propriam mortem, quàm malefactorem ad illud iudiciũ deferre, vbi ſit morte damnandus; ergo a fortiori neceſſarium erit, potiùs eam ſubire, quàm inuaſorem pro ſui defenſione propria manu occidere. Hinc Gloſa in ſupradictum caput putat, ex his Auguſtini verbis foueri ſententiam Hugonis opinantis, potiùs a Clerico permittendam ſui mortem, quàm inuaſorem occidendum: de Clericis enim etiam ipſa Gloſa interpretatur hæc verba Auguſtini.

Reſpondetur, non id intendere Auguſtinum, vt ipſi inuaſo neceſſe ſit potiùs permittere ſui necem, quàm inuaſorem ad iudicẽ accuſare. Sed loquitur in communi, et totam Chriſtianam communitatem uocat, *nos*. Dicit ergo, quòd communitas Chriſtiana conſtituta erit in neceſſitate, vt potiùs patiatur Chriſtianos occidi, quàm perſequutores deferat ad iudicia puniendos, ſi pœna mortis puniendi ſunt; & idipſum ad magnã Auguſtini manſuetudinem pertinet, & ad perfectionem virtutis, quæ in præcepto non eſt, ſed in conſilio. Non enim peccaminoſa eſt huiuſmodi delatio ad iudicem, etiam ſi reus pœna ſanguinis ſit plectendus; nec propter eam Clericus incurrit irregularitatem, dummodo proteſtetur, ſe eam pœnam non exquirere, cap. *Poſtulaſti*, & cap. *Prælatis* de Homicidio in 6. Atq; id propter ipſam rationem, quam affert Auguſtinus, ne detur occaſio cædium, & direptionum liberè in Clericos exercendarum. Ex quo patet ly *neceſſitate nobis impacta* non de abſoluta neceſſitate intelligendum, quę eſt ad euitandum peccatum, ſed de neceſitate pro manutenendo ſtatu perfectionis in oſtendenda maſuetudine Eccleſiaſtica, pro cuius oſtenſione neq; fores templi aduersùs ſatellites occludi permiſit D. Thomas Cantuarienſis, quod ei indubiè abſque culpa permittere licebat. Atq; hanc perfectionem in Eccleſia vel ſupponit, vel expetit Auguſtinus in eo dicto.

Quod intelligi de ſolis Clericis non poteſt. Nam Auguſtinus eam occiſionem ſolis permittit militibus, aut publica poteſtate pollentibus; non autem omnes, qui milites non ſunt, aut publica poteſtate non funguntur, Clerici ſunt; nec Clerici, aut milites ſunt, aut publicam illam poteſtatem exercent.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXVIII.

Contra Propositionem XXXI.

Regulariter possum occidere furem pro conseruatione vnius aurei.

Ostenditur falsitas Propositionis.



IST contra sensum humanitatis, & opposita legibus Iustitiæ, & Charitatis. Iustitię quidem, quia bona inferioris ordinis non sunt compensanda cum bonis superioris; non enim tunc seruatur æqualitas, atque adeo non est iusta, immo nec propriè compensatio; compenso enim, vt legitur apud Calepinum, idem est, ac *rependo, exequo, pari pondere pendo*; at superiora non exequant, sed excedunt inferiora, vt patet ex terminis; ergo tunc non est propriè compensatio; sed bonum vitæ est superioris ordinis, quàm bonum pecuniæ quantumuis magnæ; ergo contra iustitiam est pro vno aureo eripere vitam.

Charitatis verò. Quia ex eius præcepto tenemur magis diligere vitam proximi, quàm externa nostra bona; aliter non diligimus proximum, sicut nos ipsos: inde tenemur ea erogare pro illa conseruanda, vt patet ex præcepto eleemosynæ; sed qui occidit furem pro vno aureo magis diligit bonum externum auri, quàm vitã proximi, & non proximum, sed aurum, eiusque vnicum nummum diligit, sicut seipsum; ergo, &c.

Tertiò. Neque erga inuasorem vitæ licet habere intentionem occidendi, sed tantùm se defendendi, vt ostensum est Propositione præcedenti; ergo multò minùs licet pro vno aureo habere intentionem occidendi furem. Quòd si fur armis nos impetat eo fine præcisè, ne ipsum impediamus a furto, *præstat post tunicam relinquere pallium, & bonorum substinere iacturam, quàm pro conseruandis vili.*

Digitized by Google

vilibus rebus, & tranſitorijs, tam acriter in alios exardeſcere, vt dicitur cap. *Suſcepimus* de Homicidio voluntario. Quod Caput licèt Diana, & nonnullus alius intelligant tantùm de Clericis, tamen ex ratione, quam adducit, apparet intelligendum de omnibus; quod etiam apparet ex cap. *Si Perfodiens*, & cap. *Interfeciſti* eodem titulo; & etiam ex rationibus, quas adduximus.

2. Sed hic obiicitur. Solent fures diſpoſitione legum, & ſententia iudicum morte puniri, immo Deus Exodi 22. permiſit etiam priuatis perſonis occiſionem furis nocte domum effringentis, vel ſuffodientis; ergo hoc non eſt nec contra iuſtitiam, nec contra charitatem. Nec dicendum eſt, poſſe quidem illos occidi pro conſeruatione omnium bonorum, vel magnæ eorum partis, non autem pro vnius aurei tantùm. Nam, ſi pro bonis externis poteſt licitè occidi fur, ruunt fundamenta ſupra poſita: deinde, quælibet bona externa ſunt eiuſdem conditionis, atque comparationis ad bonum vitæ; nam magis, & minùs, vt dici ſolet, non variant ſpeciem; ergo pro qualibet quantitate notabili bonorum externorum licebit occidere furem; vnus autem aureus quantitas notabilis eſt, cùm eius furtum ſecundùm omnes ſit peccatum mortale; ergo, &c.

Ludouicus Viues in Commentariis ſuper Auguſtinum de Ciuitate Dei, damnat leges, & tribunalia morti addicentia fures, innixus fundamento ſupra iacto, quòd, ſcilicet, bona ſuperiora nõ iuſtè compenſantur cum inferioribus. Additque, errorem in hac re ortum ex ignorantia linguæ Latinę, vt, ſcilicet, fures appellentur latrones, cùm tamen latrones propriè ſint graſſatores viarum, qui occidunt, vt rapiant, & illi meritò damnantur ad mortem: fures verò, inquit, non ſunt latrones.

Conſentit quadamtenus Scotus in 4. diſt. 15. qu. 3.; æſtimans enim præcepto illo decalogi: *Non occides*, inhiberi omnem occiſionem; nullamque propterea adeſſe authoritatem ad occidendum, dicit, numquam licitè occidi hominem, niſi in caſibus, in quibus habetur diſpenſatio Diuina, vt Blaſphemię, Homicidii, Idololatrię, alteriuſue'.

Dicendum: Legibus, & iudiciis non ſolere damnari ad mortem fures, niſi vltra furtum, vincula, verbera, vulnera, ſuffoſſionem, vel deiectionem parietum (vt in illa lege Exodi) aut aliquam vim adhibuerint; vel niſi res ſacras ſurripuerint; tunc enim non ſimpliciter fures ſunt. Neque in quocumque caſu, vel ipſos, vel monetę publicæ corruptores, aut falſatores, aut tonſores ideo damnari ad mortem, vt vita eorum compenſentur damna bonorum,

Digitized by Google

(quod falsò supponit Viues) sed tamquam turbatores publicę pacis, cuius tranquillitas magis æstimanda est, quàm vita hominis iniqui, qui veluti putridum membrum resecandum est ad totum corpus seruandum. Quare temerè Viues reprehendit leges (qui tamen adeo remotus est a sententia Propositionis, vt neque authoritate publica censeat licitè occidi furem, nedum vnius aurei, sed etiam quantorumcumque bonorum) & riduculam causam reddit erroris legum, & iudicum; & si enim tanta sit ignorantia verborum, vt simplex fur dicatur latro, non potest tanta esse rerum, vt non distinguatur simpliciter auferens ab auferente, & occidente.

Præceptum: *Non occides*, inhibet tantùm occisionem authoritate priuata; at potestas, cui boni publici imminet cura, licitè, & rectè tollit e viuis scelestos Rempublicam turbantes; neque ad hoc indiget dispensatione, aut Bulla de Cęlo descendente, quam exigit Scotus, sed iure naturæ ei id licet; sicut iure naturæ licet amputare partem, ex qua malum prodire possit ad totum corpus; neque per hoc offenditur in illud præceptum, quo non solùm occisio, sed quælibet lęsio, aut mutilatio vitæ prohibetur. Quare non necesse est dicere, nec facilè est dicendum, Deum in illo præcepto dispensasse, & gratis id asserit Scotus. Lex illa Exodi sic habet: *Si effringens fur domum, siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur.* Supra quam Augustinus qu. 84. in Exodum 1. *Intelligitur ergo, tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, pertinere: Hoc est enim, quod ait: Si orietur super eum Sol: poterat quippe discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, inuenitur, impunè occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se cum telo defenderit; iam enim plùs est, quàm fur.* ff. ad legem Aquiliam leg. 4. Ex quibus patet, permissionem occidendi illum furem non esse ad conseruanda bona temporalia, sed ad defensionem vitæ.

3. Obicitur secundò. Dauid pronuntiauit reum mortis virum, qui tulerat ouem pauperis: *Vinit*, inquit, *Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc*, 2. Regum 12. 5. Ergo licitè occiditur fur pro conseruatione vnius aurei; non enim plus, immo minùs æstimatur ouis.

Respondetur, Dauid ex nimia indignatione excessisse: refert enim

Digitized by Google

enim Scriptura: *Iratus autem indignatione Dauid aduersùs hominem illum nimis, dixit.* Secundò. Non dixiſſe, illum occidendum priuata authoritate, ſed ad ſummum Regia, ideſt, publica poteſtate. Tertiò. Neque dixiſſe, illud faciendum pro recompenſatione ouis. Cæterùm ipſe Dauid illicò retractauit dictum, ſubdens: *Quem reddet in quadruplum*; quæ erat pena ſtatuta a lege Exodi 22. 1.

Obiicitur tertiò. Licitè pro conſeruanda vita occiditur inuaſor; ergo etiam fur pro conſeruatione vnius aurei. Probatur Conſequentia; quia per bona externa conſeruatur vita: ergo aureum eripere, eſt inuadere vitam. Et hoc eſt fundamentum Aduerſariorum.

Reſpondetur, ſententiam eſſe Chriſti Domini Matth. 6. 25. *Nonnè anima plùs eſt, quàm eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?* Peruersè ergo comparatur pecunia vitæ; quæ comparatio, ſi recta eſſet, liceret pro quolibet nummulo occidere furem, quia quolibet conſeruatur vita.

Secundò. Magis pertinent ad conſeruandam vitam membra, & facultates corporis, quàm bona externa; ſed non licet occidere pro ſimplici mutilatione, vel læſione corporis; lex enim Diuina ita habet Exodi 21. 24: *Reddet oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Quod repetitur Leuit. 24. 20. & Deuteronomii 19. 21. Lex etiam Talionis in 12. tabulis, ſiue legibus ſic ſtatuit: *Si membrum tulit meum, e pacto talio eſt.* Quæ lex etiam vocatur Contrapaſſi, quia, ſcilicet, quale quis fecerit, tale paſſurus eſſet; & Rhadamanti (qui Inferorum Iudex a Poetis ſtatuitur, & a Tullio lib. 1. Tuſculan. quæſt.) eò quòd primus eam legem tuliſſe referatur; de cuius æquitate diſputatur a Philoſopho 5. Ethic. c. 5., & a D. Thom. 22. qu. 61. ar. vlt., & etiam a Gellio lib. 20., & Emmanuele Theſauro lib. 26. Philoſ. Moralis a cap. 8.; videtur enim fundata in lege naturæ: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; & *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ergo nimis iniuſtè pro vno aureo ablato, vel auferendo eripitur alteri vita.

Cùm autem dicitur, quòd per bona externa, maximè per pecuniam conſeruatur vita.

Reſpondetur; Non ita per ipſa eam conſeruari, quaſi ſint vita, vel pars vitæ: neque enim Philoſophi, qui ſua bona dimiſerunt pro ſapientia comparanda, ſeipſos occiderunt, aut mutilarunt; nec SS. PP., qui idem fecerunt, præuaricati ſunt præceptum: *Non occides*, immo obedierunt voci Chriſti dicentis: *Si vis perfectus eſſe, vade, & ven-*

Digitized by Google

vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et rursus: *Qui non renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Per quæ verba certè Christus non præcepit, aut consuluit, vt nos vita priuemus. Conseruatur ergo vita per ea, quatenus per ea comparantur necessaria vitæ, quæ modico eget, vt conseruetur, & idipsum cõparari potest variis laboribus, seu artibus, & exercitiis, vel eleemosinis. Numquam ergo iustè proximus occiditur pro vno aureo, immo id de magna auaritia, & inhumanitate procedit.

In cap. *Si perfodiens*, de Homicidio volunt. inhibetur, occidi furem diurnum, & in cap. *Interfeciſti*, eodem titulo prescribitur pœna interficientis furem, qui poterat absq; occisione comprehendi. Ex quo patet, malè contra sacrorum Canonum authoritatem inductam doctrinam Propositionis.

✠



DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXIX.

Contra Propoſit. XXXII.

Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, qua actu poſſidemus, ſed etiam, ad qua ius inchoatum habemus, & quę nos poſſeſſuros ſperamus.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 HÆC Propoſitio eſt abſurdior antecedente, vt potè addens ad illam: etenim ius ad rem ininùs valet, quàm ipſa res, maximè cùm intercedunt pericula, difficultates, impedimenta, & labores, vt a iure perueniatur ad rem, ſeu ad poſſeſſionem rei Sic minùs eſtimatur terra ſata, quàm frugibus iam plena; quia fructus ſeminis impediri poteſt multis cauſis, tum naturalibus, tum etiam voluntariis; multuſque labor, & impendium ſupereſt, vt a ſemine perueniatur ad fructum; ergo, ſi neque pro bonis, quę actu poſſidemus, licet occidere, quantò minùs prò ſolo iure ad ea, eoque non pleno, aut integro, ſed inchoato? Si enim plùs æſtimatur plenum, ſiue perfectum, ſiue integrum, quàm inchoatum, quantò magis plus æſtimari debet res ipſa, ſeu poſſeſſio rei, quàm ius, idque tantùm inchoatum ad ipſam? Similiter: plus eſt poſſidere rem, quàm eam poſſidendam ſperare, aliter equè eſſet beatus viator ſperans beatitudinem, quàm comprehenſor eam poſſidens; ergo, &c.

Sed, cùm dicitur: *Licitum eſt defendere defenſione occiſiua*, aduertendum eſt, defenſionem licitam non eſſe per ſe occiſiuam, ſed per accidens tantùm, vt, cùm contra armis nos inuadentem pariter nos ar-

Digitized by Google

armis defendimus, & contingit, vt inuasor præter nostram intentionem, quæ solam defensionem respiciebat, occidatur; at qui nititur impedire possessionem rerum, ad quæ nos ius inchoatum habemus, & quæ possessuros speramus, non inuadit nos armis, aut nostram vitam; ergo non potest in hoc casu contingere per accidens ex nostra defensione occisio taliter impedientis; cùm neque necesse sit, nos armis contra taliter impedientem defendere; ergo, si ille occiditur, omnino per se occiditur, idest, ex ardore vindictæ, & quia magis amantur bona externa, immo spes, & ius ad ea, quàm vita proximi; quod peruersissimum est, & contra charitatem, & iustitiam.

Ex illa insuper Propositione latissima via sternitur ad homicidia innocenter, & legitimè, si Diis placet, perpetranda: etenim non solùm directè, & primariò impedientes, sed etiam indirectè, & cooperatores, & consultores, notarios etiam, si causa in foro agatur, ipsumque iudicem occidere ex ratione licebit: immo, & Principem, si in distribuendis honoribus, ac officiis prætermittat dignũ, qui proinde ad ea ius habeat. Collegia etiam integra extinguere, si in conferendo aliquo gradu prætereant dignum. Sed absit, vt vllo gradu, vel honore dignus sit, qui tali intellectus iudicio, animique proposito ducitur. Ipsæ leges non iudicant morte dignum taliter impedientem, quomodò ergo priuata persona legitimè poterit eum occidere?

Atque hæc, quæ dicta sunt, militant etiam.



Con-

Digitized by Google

Contra Propoſit. XXXIII.

Licitum eſt tam haredi, quàm Legatario contra iniuſtè impedientem, ne, vel hareditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Prabendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

CONtra quam non opus eſt, vt aliud dicatur.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXX.

Contra Propositionem XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa grauida occidatur, aut infametur.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 ET contra caput *Si aliquis* de Homicidio voluntar. &c., vbi dicitur, tenendum tamquam homicidam, qui mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles. Est etiam contra Bullam Sixti V. de Abortu §.5. et Gregor.XIII.excommunicantis procurantem abortum ante animationem fœtus, etiam effectu non sequuto. Hoc ipsum etiam homicidii damnat Tertullianus in Apolog. cap.9 sic loquens: *Homicidij festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui futurus est, & fructus omnis in semine est.* Vbi quamuis vtatur terminis, *nasci, nascentem, natam*, tamen intelligendi sunt de natiuitate in vtero, quæ est ipsa conceptio (sic in Officio Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ Antiphona 3. in Laudibus dicitur: *Regali ex progenie Maria exorta refulget*, nec mutata est vox *Exorta*, in *Concepta*, vt nonnullis placebat, quia concipi est oriri, seu nasci in vtero, vt ait Gauantus de festis Sanctorum sect.7. cap.2.) idque patet ex iis, quæ subdit: *Homo est, & qui futurus est, & fructus omnis in semine est.* Nam massa illa carnis in vtero, licèt nondum animata, futurus est homo, & in ea est seminaliter homo sicut fructus; ergo procurationem abortus etiam ante animationem fœtus homicidii damnat Tertullianus.

Similiter Augustinus serm.244. de Tempore: *Mulier quæcumq; fece-*

Digitized by Google

fecerit hoc, per quod iam non poſſit concipere, quantoſcumque parere poterat, tantorum homicidiorum ream ſe eſſe cognoſcat. Quia, ſcilicet, vt Tertullianus dixit, hominem prohibet naſci, & animam diſturbat naſcentem. Damnat etiam Octauius apud Minutium obiiciens hoc crimen mulieribus Ethnicis: *Sunt quæ in ipſis viſceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant* Ita etiam Athenagoras ferè in fine legationis pro Chriſtianis ex communi Chriſtianorum ſenſu loquens: *Mulieres medicamentis abortiuis vtentes, homines occidere dicimus.* Idem probatur ex Scriptura Geneſis 38., vbi dicitur de Onan filio Iudæ, quòd: *Sciens non naſci ſibi filios* (ideſt, non computari in ſua ſucceſſione) *introiens ad vxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Et idcircò percuſſit eum Dominus, eò quòd rem deteſtabilem faceret.* Quamuis autem Onan ea etiam ratione peccaret, quia non licet coniugi effundere ſemen extra vas; non enim tunc effuſio illa pertinet ad copulam tamquam terminus eius, ſed eſt veluti mollities, hæc autem non permittitur coniugibus, ſed tantùm copula: tamen a Scriptura non fit mentio huius deordinationis, ſeu prauitatis in illo actu, ſed tantùm de impedimento, ne proles ex copula naſceretur. Maioris autem criminis eſt impedire vitam fœtus iam concepti, quàm impedire conceptionem eius, quia propinquior eſt vitæ fœtus iam conceptus, quàm purum ſemen nondum in matrice receptum; ergo, ſi grauiſſimè, & deteſtabiliter peccabat ille Onan ſemen fundens in terra, deteſtabiliùs peccat, quicumque abortum procurat fœtus etiam nondum animati.

2. Probatur quoque ratione inſinuata a Tertulliano vbi ſupra. Quia non ſolùm decerpere fructus alienos, ſed etiam impedire, ne ſemina fructificent, aut ne ſerantur, peccatum eſt; immo obnoxiũ debito reſtitutionis propter damnũ illatũ, vel in re, vel in ſpe ſeminis; ergo non ſolùm occidere hominem iam natũ, aut conceptũ, ſed et iã impedire hominis conceptionem peccatũ eſt. Et ſicut impedire tritici, vel aliorum ſeminum fructus, vel ipſam ſeminationem ad idem genus peccati pertinet, ad quod ablatio fructuum iam natorũm, ideſt, ad furtum; ita ad genus homicidii pertinet impedimentum prolis concipiendæ, vel conceptæ, ne animetur, ſicut occiſio prolis iam animatæ, vel natæ. Ex quo patet, quàm verè dixerit Auguſtinus vbi ſupra, mulierem impedientem ſe ipſam, ne concipere poſſit, tot homicidiorum eſſe ream, quot homines parere poterat; nam auferens arborem fructiferam alienam, tantum damnum in-

Digitized by Google

fert eius domino, & tantum compensare tenetur, quantum bonum, seu lucrum poterat illi prouenire ex fructibes, quos illa processu temporis parere poterat; ita procurans sterilitatem mulieri tot hominibus impedit vitam, & veluti eos interficit antequam viuant, quot ex sua fecunditate mulier parere poterat. Hinc praxis Neapolitanorum Tribunalium morte punit procurantes abortum fœtus, etiam si non constet, fœtum fuisse animatum.

Fortè ad Argumentum negabitur Consequentia: eò quia impediens fructus seminis tritici, vel alterius, vel ipsam seminationé, infert damnum domino seminis; at puella procurans in se abortum ante fœtus animationem, non infert damnum sibi; supponitur enim, id facere in bonum sui, ne deprehensa grauida infametur, aut occidatur; neque genitori fœtus, qui supponitur id permittere, vel etiam desiderare: sed neque fœtui rationalem animam non habenti, immo nullam habenti animam: sicut enim non dicitur inferri damnum semini tritici, dum impeditur, ne fructificet, aut seratur, sed tantùm domino eius, ita non debet dici, inferri damnum massæ illi carneæ conceptæ, dum impeditur, ne formetur in vitam; ergo non est æqua ratio de vno, ac de altero.

Respondetur, inferri damnum naturæ, cuius multiplicatio impeditur, & iniuriam Deo eius Authori, qui statuit, naturam per generationem propagari. Inferri etiam re vera damnum ipsi fœtui, dum corrumpitur, & dissoluitur; id enim proculdubio malum illi est, sicuti bonum est peruenire ad vitam. Quare falsò dicitur, non inferri damnum semini tritici, dum obruitur, vel laditur, ne fructificet; potest quidem dominus eius de eo facere quidquid vult, quia dominus est; sed non potest homo sic facere de semine humano, maximè in vulua recepto; non enim est dominus vitæ alterius, & sic nec seminis formandi in vitam.

Nec finis seruandi, vel honoris, vel vitæ puellæ potest talem abortum iustificare, cùm sit iure naturæ, ideft, ex se malus; non sunt autem facienda mala, vt inde eueniant bona; neque vnum peccatum cooperiendum est alio; timorq; vitæ amittendæ, seu incurrendæ infamiæ motiuum debent esse cauendi peccati, non alterius committendi: aliter liceret occidere accusatores, testes, notarios, & iudices, quia eorum opera eripitur honor, & vita reo meritò damnato, vel damnando.

3. Potest hic quæri. An eiusdem grauitatis sit procuratio abortus nondum animato fœtu, ac iam animato; minùs enim videtur esse inchoatio rei, quàm integra res, minùs semen, quám fructus, minùs

Digitized by Google

minùs ius ad rem, quàm poſſeſſio, & minùs ſpes de re, quàm rei conſequutio, quod nos etiam ſupra Propoſitione 32. diximus.

Reſpondetur, vtramque procurationem eſſe mortalem, & pertinere ad peccatum homicidii, vt conſtat ex Auguſtino, Tertulliano, & rationibus adductis: ſicut ad furtum pertinent, ſiue ablatio fructuum, qui iam exorti ſunt, ſiue diſſipatio ſeminis, aut impedimentum, ne fructificet. Poſſe autem concedi, minoris quadamtenus grauitatis eſſe procurationem abortus fœtu non animato, quàm animato propter rationes allatas; & quia etiam concepto fœtu ſubeſt incertitudini periculorum animatio eius; res autem incerta minùs valet, quàm certa. In ſimili D. Thom. 22. qu. 62. ar. 2. ad 4. dicit, quòd iniuſtè impediens, ne detur præbenda alicui digno, ſi id faciat poſtquam firmatum eſt, dandam illi prębendam, tenetur ad reſtitutionem æqualis, quia perinde eſt, ac ſi habitam auferret; ſi id verò faciat antequam firmatum ſit, tenetur ad aliquam recompenſationem ſecundùm arbitrium ſapientis, non tamen ad æqualem, quia ille nondum fuerat præbendam adeptus, & poterat adeptio multipliciter impediri.

Fortè dicetur. Licet in infirmitate periculoſa prægnantis adhibere medicamina ad ſalutem illius, etiam cum periculo fœtus, etiam animati; ergo licebit prouidere periculo occiſionis, vel infamiæ eiuſdem per procurationem abortus fœtus nondum animati. Sicut enim excuſatur peccatum in primo caſu, quia non intenditur mors fœtus, ſed ſalus prægnantis, ita dicetur in ſecundo, non intendi per ſe abortum, ſed honorem, vitamque prægnantis.

Reſpondetur primò, per Argumentum probari, licitum abortum fœtus etiam animati, vt conſideranti patet; quod nullo modo eſt dicendum. Secundò: quòd noſter Pontius lib. 10. cap. 3. num. 2. negat Antecedens Argumenti; quod tamen videtur durum. Neque enim prægnans debet amare magis ſuum fœtum, quàm ſeipſam; ergo non debet omittere curam ſuæ vitæ, ne perdatur vita fœtus. Et, ſi inuaſo licet ſe defendere, etiam cum periculo vitæ inuadentis, vt pluribus ſupra Propoſitione 30. probatum eſt, videtur etiam licitum prægnanti ſuam vitam defendere medicaminibus, quamuis inde periculum immineat vitæ fœtus. Igitur admiſſo Antecedente, neganda eſt Conſequentia; vnuſquiſq; n. habet ius, naturalibus medicaminibus tuendi ſuam vitam ex naturali infirmitate periclitantem, etiam ſi inde ſequatur damnum, vel etiam mors alterius: at nullus habet ius tuendi ſuam vitam, vel honorem ex propria cul-

Digitized by Google

pa periclitantem cum procuratione mortis alterius, sed tantùm cum periculo mortis inuasoris, qualis censeri potest fœtus respectu mulieris prægnantis.

Sicut posset igitur talis mulier aduersùs consanguineos, affines, vel quoslibet alios pro macula admissa eam occidere tentantes defendere se, etiam cum periculo mortis eorum, ita potest se defendere aduersùs fœtum, quamuis non sit eius iniustus inuasor, sed conceptus, nulla fœtus iniquitate, sed propria libidine exortus.

4. Ad illam veluti paritatem, quæ adducitur, respondetur, posse quidem in primo casu abortum esse tantummodò permissum, & nullo modo volitum, idest, nec tamquam finem, nec tamquam medium, quia finis est conseruatio propriæ vitæ, medium autem medicamina ad eum finem tendentia, quamuis ex eis sequi possit abortus. At in secundo casu nō posse: eligitur enim tūc abortus tamquam medium ad tuendam vitam, vel honorem puellæ; quamuis autem liceat ex bono fine permittere mortem alterius, numquam tamen licet velle, aut procurare eā; sicut nec quodcūq; malum, quia hoc est contra charitatem; ergo quamuis liceat in infirmitate sumere medicamina periculosa vitæ fœtus, non tamen licet procurare abortum fœtus, etiam inanimati pro tuenda vita, vel honore prægnantis, quia hoc esset velle mortem fœtus, illud autem est tantùm permittere eam.

Fortè obijcietur Caput *Sicuti* de Homicidio volunt, &c., vbi dicitur, non repellendum ab altari Monachum, qui trahens per zonam mulierem, dedit causam abortui, si fœtus nondum erat viuificatus; ergo talis non est homicida, siquidem homicida repellitur ab altari. Vnde Summarium illius capitis sic habet: *Qui dat causam abortioni, homicida est, si conceptum erat viuificatum anima rationali, aliàs secùs*. Hinc etiam Exodi 21., & refertur cap. *Moyses* 21. qu. 2. (quod caput refertur tamquam desumptum ex Augustino in qu. Veteris, & noui testamenti, cùm tamen liber ille non sit Augustini) *Si quis percutiens mulierem causa est abortionis fœtus formati, morte punitur, si fœtus non formati, multatur pecunia.*

Respondetur, in illo capite non dici, illum non esse homicidam, sed posse ministrare in altari; quòd, si, vt modum loquendi Summarij sequamur, concedere velimus, illum non esse appellandum homicidam, dicendum est, id verificari quantùm ad pœnam irregularitatis non subeundam; & quantùm ad strictam, & rigorosam rationem homicidii; nam aliàs procurantes venena sterilitatis

Digitized by Google

rilitatis dicuntur homicidæ cap. *Si aliquis* de Homicidio, vt habet Gloſa ibi, & in cap. *Conſuluiſti* 2. qu. 1., cùm tamen nedum non animatio, ſed nulla tunc ſit conceptio fętus; ergo non ea ratione ille non dicitur homicida, quia fętus nondum erat animatus, ſed quia non incurrit irregularitatem, ſicut communiter dictus homicida. Et ſicut Gloſa in illo cap. *Si aliquis* dicit, procurantem illa venena appellandum homicidam quantùm ad pœnam legalem, & ſpiritualem, non tamen quantùm ad irregularitatem, quam non contrahit, ita nos dicimus illum, de quo ſupra, eo ſenſu non appellari homicidam, quia non repellitur ab Altari. In lege Exodi mitiori pœna punitur cauſans abortum fętus nondum animati, quia facto externo non peruenit ad plenam, perfectamque homicidii rationem, cùm non occiderit animam viuentem.



Digitized by Google

DISPVTATIO XXXI.

Contra Propoſitionem XXXV.

Videtur probabile, omnem fatum, quamdiù in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

IVM prædicta Propoſitio, vt probabile tantùm aſſerat, fœtum in vtero carere anima rationali, eaque damnetur in terminis, ſequitur, quòd non tantùm, non vt vera, ſed neque vt probabilis defendi poſſit.

Quòd igitur illa adeo falſa ſit, vt neque probabilitatem habeat, probatur primò ratione naturali. Nam ordo naturæ eſt, vt poſitis in materia ſufficientibus diſpoſitionibus, forma inducatur in eam. Id patet experientia, & etiam ratione: nam ſicut forma non poteſt induci ante diſpoſitiones, quia ſine illis non poteſt eſſe, ita non ſequi ad diſpoſitiones: quid enim tunc impedit, ne forma inducatur, cùm præcipuè ipſæ diſpoſitiones, vt nonnullis placet, cauſent formam etiam efficienter, et tunc ſint in actu completo virtutis, nec maiorem eius gradum ſint ſuſcepturæ? Immo, cùm ex diſpoſitionibus ſufficientibus ad vnam formã corrumpatur forma contraria, niſi in eodem inſtanti inducatur forma noua, remane-

Digitized by Google

manebit materia abſque vlla forma ſubſtantiali: vel, ſi forma contraria non corrumpitur, remanebit illa cum diſpoſitionibus ſibi repugnantibus. Sed fœtus humanus adhuc in vtero habet diſpoſitiones ſufficientes, & membrorum, & organorum, & facultatum, & qualitatum ad recipiendam animam rationalem; quis enim dicat, hæc generari, dum paritur? Certè obſtreticantibus apparet, illas haberi ab infante, dum ex vtero extrahitur, non tunc recipi; ergo adhuc in vtero habet animam rationalem. Cùmque nullum appareat fundamentum aſſerendi oppoſitum, niſi cupido liberandi ab homicidio procurantes abortum, iure meritò non ſolùm, vt falſa, ſed etiam, vt omnino improbabilis damnatur illa ſententia.

Sed quia Sedes Apoſtolica non iudicat de merè naturalibus, ſed de iis tantùm, quæ aliquo modo pertinent ad Fidem, rationibus ex Fidei doctrina deſumptis oſtendenda eſt improbabilitas Propoſitionis.

2. Primò igitur oſtenditur ex Ieremiæ 1., vbi dicitur: *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Sed non poteſt ſanctificari non habens animam rationalem; ergo Ieremias in matris vulua habebat animam rationalem.

Fortè dicetur: ly *Sanctificaui te* intelligendum eſſe quantùm ad prædeſtinationem Diuinam ſuo tempore complendam, non quantùm ad effectum præſentem: ſicut & illud: *Prophetam in gentibus dedi te*; non enim Ieremias in matris vtero prophetauit; frequentiſſimum eſt enim in Scripturis, vt quæ Deus facienda deſtinauit, feciſſe dicatur, ad oſtendendum, ſcilicet, infallibilitatem euentus ex immutabili, ac efficaciſſimo eius propoſito, vt ait Auguſtinus de Ciuitate lib.17. capit.18.; ex eo enim fit, vt tam certò futurus ſit effectus a Deo volitus, & tam impoſſibile, eum non fore, quàm certa eſt præteritio rei, quæ præteriit, & impoſſibile, eam non preteriiſſe. Hinc etiam dicitur, Deum feciſſe, quę futura ſunt.

Sed huic expoſitioni obſtat communis ſenſus Patrum, & Eccleſiæ, & cap. *Niſi cùm pridem* de Renunciatione, vbi illa verba intelliguntur nō de pura prædeſtinatione, ſed de effectu ſanctificationis Ieremiæ antequam egrederetur de ventre; idem habetur ex Hieronymo in Prologo ad Ieremiam.

Probatur ſecundò ex Lucæ primo, vbi ab Angelo de Ioanne

Digitized by Google

ne filio Zachariæ dicitur ad patrem: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*, ac de eodem narratur, quòd exultauerit in vtero matris; vbi communiter Patres, & Interpretes dicunt, acceleratum tunc ei fuisse vsum rationis; & ita repletum Spiritu Sancto, vt eodem Spiritu repleuerit matrem, ait Ambrosius lib.2. in Lucam cap.1. De Christo etiam Saluatore nostro Fide certum est, quòd repletus fuerit gratia, & gloria in vtero Beatissimę Virginis, cùm primò conceptus est.

Nec dicendum, fuisse speciale in Christo, & Ioanne, vt eorum corporibus infunderetur anima rationalis adhuc existentibus in vtero; nam gratis, & sine fundamento authoritatis, & rationis diceretur hæc naturalis ordinis in illis mutatio; cur enim non potius mutatus est, vt ante nouem mensium tempus ederentur? Si ergo in iis seruatus est ordo naturalis temporis in natiuitate, etiam in infusione animæ.

3. Potest id quoque probari ex 2. Machab. cap.7., vbi Machabęorum Martyrum mater significare videtur, filiis suis adhuc in vtero existentibus infusam a Deo animam rationalem. Sic enim loquitur: *Neque enim Ego Spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non Ego ipsa compegi; sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & Spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam.* Spiritus enim, & vita, quam a Domino filiis suis reddendam dicit, certè est anima rationalis; ergo de hac eadem anima dicit, non fuisse a se datam filiis, sed a Deo; sed dicit datam in vtero; ergo anima rationalis habetur in vtero. Minor probatur; tum, quia dicit: *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis*; tum, quia eodem modo dicit, non a se datum filiis spiritum, sicut nec compacta membra; sed membra non poterat ipsa compegere, nec compacta sunt, nisi in vtero; ergo sicut a Deo compacta filiorum suorum membra in vtero, ita, & in vtero infusam illis animam docet. Idem potest colligi ex Iob 31. 15., vbi dicit: *Numquid non in vtero fecit me, qui & illum* (idest, seruum meum) *operatus est, & formauit me in vulua vnus?* Item ex Geneſis 25., vbi dicitur, quòd collidebantur paruuli in vtero Rebeccę, & quòd Iacob egrediens plãtam fratris tenebat manu. Ergo adhuc in vtero anima præditi erant rationali.

Probatur tertiò ex illo Psalmi 50.: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Egressus autem ex vtero non

Digitized by Google

non dicitur conceptio; quamuis enim conceptio in vtero dicatur natiuitas, numquam tamen egreſſus ex vtero dicitur conceptio: hæc enim ſignificat receptionem, aut captionem; & conceptus dicitur quaſi captus intra vterum, vel mentis, vel corporis, & generaliter nihil poteſt intelligi captum, ſiue apprehenſum, niſi intra aliquid, vel ab aliquo contineatur, puta, manu, vel carcere; ergo cõceptio ſignificat exiſtentiã fœtus in vtero; vnde, & conceptus mentalis dicitur notitia exiſtens in mente, quæ qudammodo paritur, dum extra mentem per verba in aliorum cognitionem deducitur, vt patet per Auguſtinum de Trinitate. Ergo dum Dauid dicit, ſe in iniquitatibus conceptũ a matre, proculdubio ſignificat, ſe habuiſſe in vtero animam rationalem, nam ſine ea non poteſt adeſſe iniquitas. Et certè inauditum eſt in Eccleſia Chriſti, hominem trahere peccatum originale, cùm paritur, non cùm concipitur: immo contrarium dictis Scripturæ Patrum, & Theologorum.

4. Hinc plurium Thelogorum eſt ſententia, poſſe baptizari in vtero infantem, ſi poſſit in ipſum aqua immitti; cùm, ſcilicet, adeſt periculum, ne moriatur ante egreſſùm ex vtero. Et quamuis in cap. *Qui in maternis* de Conſecratione diſt. 4. dicatur: *Qui in maternis vteris ſunt, ideo cum matre baptizari non poſſunt, quia qui natus adhuc ſecundùm Adam non eſt, renaſci ſecundùm Chriſtum non poteſt; neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præceſſit.* Tamen per hoc non negatur, adeſſe peccatum originale in infantibus nondum exortis, atque adeo animam rationalem, de quo eſt præſens Diſputatio; ſed ex alio, eoque longè diuerſo capite infertur, non eſſe tales infantes baptizandos. Reuera autem in eo Capite non dicitur abſolutè, non poſſe baptizari infantem in vtero matris, ſi poſſit ad ipſum aqua peruenire, ſed non poſſe baptizari ſimul cum matre, eodem, ſcilicet, baptiſmo, quo mater, itaut baptizata matre, baptizatus intelligatur & filius. Nam infans, & ſi adhuc exiſtens in vtero matris, ſi peruenit ad vitam, dicitur genitus; patres enim dicuntur generare filios ex ſuabus coniugibus; vnde Matth. cap. 1. 2. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, &c.* nec eos generant niſi in vtero vxorum; ergo non rectè diceretur, infantem exiſtentem in vtero matris non eſſe genitum, vel natum ſecundùm Adam. Igitur id intelligendũm eſt de infantibus nondum vitam adeptis; hi enim reuera nondum geniti, ſiue nati ſunt, cùm generatio, ſiue natiuitas ſit origo viuentis a viuente. Atque hi baptizari cum matre non poſſunt, vt, ſcilicet, baptiſmus maternus, dum ipſi veluti partes ſunt carnis maternæ, eis ſufficiat; & multò minus dum

Digitized by Google

virtualiter tantùm continentur in matre; sed debent baptizari peculiari baptismo, dum vitam in seipsis habent, quia, qui non est genitus, non potest regenerari, vt ait Augustinus Epist. 57. qu. 2. Ex quo patet, non rectè hoc Caput intellectum ab Ochograuia, dum ex eo infert, non esse licitum baptizare infantem in vtero matris; eo, scilicet modo, quo Nos diximus; sed neque a Diana, dum, & ipsum Caput non recipit; & ad rationē in eo adductam respondet, quòd infans adhuc existens in vtero, est sufficienter natus, ex nihilo eductus, distinctus a matre, & contrhaxit peccatum originale. Hæc enim, licèt vera sint, non tamen opponuntur dicto illius Capitis.



Digitized by Google

DISPVTATIO XXXII.

Contra Propoſit. XXXVI.

Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 HIC non ita diſtinguendæ ſunt neceſſitas extrema, grauis, & communis, vt extrema dicatur, quæ eſt de neceſſariis ad ſubſtentationem naturæ, ſeu vitæ, grauis de neceſſariis ad ſubſtentationem perſonæ, ſeu ſtatus, communis, quam patiuntur communiter mendicantes, ſicut aliàs diſtingui ſolent; ſed extrema, & grauis debent intelligi per ordinem ad ſubſtentationem vitæ; non enim propter indigentiam ad ſubſtentationem perſonæ quis dicet, eſſe permiſſum accipere alienum; & aliàs reſpectu eiuſdem boni, ſeu rei poteſt adeſſe neceſſitas extrema, & grauis, nec oportet hæc diſtingui ex ordine ad diuerſas res. In hoc igitur ſenſu ſumpta neceſſitate extrema, & graui.

De Propoſitione ſic cenſet ſchola Louanienſis in cenſura ad Epiſcopum Gandauenſem Propoſitione 8. apud Fagnanum de Opinione Probabili num. 336.

Furari nullo caſu permiſſum eſt, quia intrinſecè malum: furripere autem alienum permiſſum quidem eſt in extrema neceſſitate, quando aliter haberi non poteſt, ſed illud extendere indefinitè ad neceſſitatem grauem, eſt dare anſam pauperibus ad paſſim furandum.

Et rectè quidem, quantùm ad primam partem; nam furari non eſt præciſè furripere alienum; nec enim furati ſunt Hæbræi aſportates ſecum aurum, argentumque Ægyptiorum commodatum, ab illis, non dono datum; aut furantur milites, cùm hoſtium de-

Digitized by Google

deuictorum diuidunt spolia, quod est de iure militari, vt patet ex cap. *Ius militare* dist. 1.; sed est surripere alienũ domino rationabiliter inuito, seu nullo iure ad ipsum accipiendum, & id est ex natura sua malum. Quare nec furatur, qui in extrema necessitate constitutus accipit alienum, nec furaretur, qui idem facere in graui, si hoc ei liceret, licèt vterque acciperet alienum.


2. Quantùm verò ad secundam partem, non exactè: si enim pauperes acciperent alienum in graui tantùm necessitate, id non haberetur pro malo, seu inconuenienti ab Assertoribus illius Propositionis, qui id licere in ea necessitate expresè docent. Si verò transilirent ad accipiendum etiam in leui, hoc certè malum esset; sed descendêret ex malitia pauperum, non ex doctrina illius Propositionis: aliter neque in necessitate extrema liceret accipere alienum, quia hæc licentia posset esse ansa ad accipiendum etiam in graui. Ad summũ sequeretur, doctrinam illius Propositionis esse periculosam, non verò falsam. Sed multa legibus permittuntur, ex quibus mala oriri possunt Et generaliter ex licitis solet fieri transitus ad illicita, nec tamen nihil dicendum est licitum. Illud insuper malum vitari posset ex rectitudine conscientiæ pauperum, & ex pœna in furto deprehensorum, sicut innumera mala ea ratione euitantur, quæ libertate legibus permissa oriri possunt. Tamdem ex illa ratione sequitur fortè, doctrinam Propositionis non esse publicandam, aut passim exponendam; sed non sequitur, quòd, si pauper semel in necessitate non extrema, sed graui acceperit alienum, hocque suum factum sit occultum, adstrictus teneatur reatu peccati, (quod tamen fatendum est) nam ex hoc vnico, ac occulto facto non sequitur illud inconueniens. Tamdem: opera, quæ non sunt mala ex obiecto, sed tantùm periculosa ex euentu, cùm prouidetur, ne succedat ille euentus, non sunt illicita, vt patet in iactu lapidis, & cæsura lignorum, quę periculum afferunt lęsionis pertranseuntis, & tamen, si adhibeatur cautio, non sunt illicita. Igitur non ex periculo consequente, sed ratione propria probandum est, non licere pauperi accipere alienum in necessitate graui, sed tantùm in extrema.

Id autem inde probari potest. Quia in necessitate extrema cessat diuisio rerum, siue meum, & tuum, quę non naturæ, sed gentium iure inducta est, vt patet ex cap. *Ius gentium* dist. 1. Ius enim naturæ est communis omnium possessio, & omnium vna libertas, vt dicitur cap. *Ius naturale* eadem dist.; Deus enim creauit omnia propter hominem generaliter, non propter aliquos tantùm; ergo nullo iure induci poterat, vt homo deberet potiùs mori, quàm iis vti, quę Deus pro-

Digitized by Google

propter ipſum creauit, & hoc, eò quia ab alio præoccupata ſunt, qui non ita indiget. Quis enim non videat hoc directè eſſe contra ordinem inſtitutum a Deo, finemque ab eo intentum, vt, ſcilicet, vita hominis conſeruetur? Bona etiam externa minoris habenda ſũt, quàm hominis vita; nec propter ea retinenda vita perdenda hominis, ſed propter vitam hominis ea omnia profundenda; etenim peruerſum eſt pluris facere medium, quàm finem; bona autem externa omnia ex Diuina inſtitutione media ſunt pro homine conſeruando. Igitur pauper in extrema neceſſitate alienũ accipiens, nec contra charitatem peccat, nec contra iuſtitiam; non contra charitatem, quia non tenetur magis diligere bona externa proximi, quàm propriam vitam, immo ex oppoſito in hoc maximè reus eſſet contra charitatem proximus, qui, ne perderet externa bona, deperdi ſineret vitam alterius. Non contra iuſtitiam; quia tunc ceſſat diuiſio rerum, ex qua fit, vt iniuſtum ſit accipere alienum, ſeu, quia tunc nihil eſt alienum; & iuſtum eſt, pro conſeruanda vita hominis externa bona conſumi, quę incomparabiliter vita minora ſunt.

3. At in neceſſitate tantummodò graui non ceſſat diuiſio rerũ; non enim tunc periculo ſubeſt hominis vita, aut ſtatus, ne pereat, ſed tantùm imminet maior labor, & difficultas ad eam ſubſtentandam; qui labor, & difficultas non tanti habenda ſunt, vt propterea ceſſare debeat diuiſio rerum, qua maximè pax, & tranquillitas in hominibus ſeruatur: rariſſimus enim quiſque eſt, qui non ſine dolore, & labore ſuam vitam, ſtatumque tranſigat; & ſi non pro emẽdicandis eleemoſynis, attamen pro ſubeundis oneribus, miniſteriis, aut operibus artis ſuę: quare diuerſo laboris genere omnes in hac vita laboramus, quia omnibus in Adam dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane*. Igitur, quamuis vnuſquiſque teneatur ex charitate ſubuenire proximo grauiter indigenti, non tamen ſic indigens poteſt ſurripere bona alterius, quia ſurripere alienum ex natura ſua malum eſt; ex illa autem neceſſitate non tollitur meum, & tuũ, proprium, & alienum; peccaret igitur contra iuſtitiam ille ſurripiens.



Digitized by Google

DISPVTATIO XXXIII.

Contra Propositionem XXXVII.

Famuli, & famula domestica possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 DE ea ita censet Schola Louanienſis in Cens. ſupra cit. Propoſitione 9.: *Hæc assertio falsa est; & naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta, ac domesticam pacem perturbans, eò vel potissimùm, quòd ista compensatio ipsorum famulorum, & famularum iudicio permittitur.*

Primum dictum de præcipitatione hominis in furta, oſtendit potiùs periculoſam, quàm peccaminoſam eſſe occultam illam ſurreptionem, vereſſe malam ratione effectus conſequentis, non ex natura ſua, ſiue ex obiecto: ſæpe enim homines propter prauitatem naturæ ex licitis prolabuntur ad illicita, nec tamen omnia cenſenda ſunt illicita. Si igitur famuli progrederentur ad ſurripiendum pluſquam exiſtimant iuſtum, ſiue ſufficiens ad recompenſandam operam ſuam, id deſcenderet ex propria auaritia; ſicuti, ſi pauper, cui permiſſum eſt accipere alienum in extrema neceſſitate, procederet ad accipiendum etiam in graui; ſed non ob-

Digitized by Google

obſtante hoc periculo, adhuc dicitur legitima acceptio rei alienæ in extrema neceſſitate; ergo etiam in caſu Propoſitionis.

Eadem ratio militat contra 2. dictum de perturbatione domeſticæ pacis; ex eo enim non plus ſequitur, niſi, quòd illa ſumptio eſſet mala ratione effectus conſequentis, ſeu, quòd eſſet periculoſa; at illi effectus in aliquo caſu propter magnam occultationem, vel cautelam, vel circumſtantias fortè poſſent prudenter non timori, & tunc ſequeretur, quòd in illo caſu licitum eſſet ſurripere. Ipſi, qui docent, illam ſurreptionem eſſe licitam, dicunt, quòd ſic ſurripiens, vt liber ſit a peccato, teneatur dare operam, ne ſequatur ſcandalum, vel, vt ſedetur, ſi exortum fuerit; vt in ſimili ait D. Thomas de eo, qui furtim accipit rem ſuam apud alium depoſitam 22. qu. 66. art. 5. ad 3., Toletus lib. 5. cap. 25:, & alij; ſic etiam tenetur præſtare, ne dominus denuo ſoluat, immo, vt ſciat, ſe immunem eſſe ab onere ſoluendi, vt inſinuat D. Thomas ibidem.

Vltimum verò dictum, quòd illa permutatio non debet permitti iudicio ipſorum famulorum, validum eſt: nemo enim poteſt ſibi vſurpare ſuæ rei indicium, iuris ordine prætermiſſo, vt ait D. Thom. ibidem, ſeu dicere, ſibi ius in re ſua.

Hoc autem Confirmatur. Quia famuli, dum ad inſeruiendum ducuntur, pactum ineunt cum domino de mercede ſibi retribuenda. Si ergo eam accipiunt, nec conqueri poſſunt, multò minùs aliud ſurripere, etiamſi poſtea iudicent ſeruitutem ſuam maiore mercede dignam; tunc enim iudicium protulerunt de iuſta recompenſatione ſuæ ſeruitutis: &, *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt*, ex Regula 21. iuris in 6., etiam ſi merces conuenta reuera non ſit ſufficiens, dummodò liberè tale pactum inierint. Si autem, nulla conuentione facta, ſeruitio ſe dederunt, tunc talis ſeruitus menſurari debet iuxta ſummam, quę ordinariè ſolet ab aliis pro tali famulatu exigi.

2. Sed hinc exoritur Quæſtio. Si dominus non retribuat famulo pactam mercedem, ſed minorem, vel nullam, aut cogat famulũ ad alia onera, ad quæ non eſt conductus, nullamque pro iis mercedem retribuat; an tunc poſſit famulus occultè ſurripere ad recompenſandam operam ſuam.

In hac quæſtione illud exiſtimo verum, famulum in tali caſu ſurripientem non teneri ad reſtitutionem: ſi enim dominus tenetur dare, certè non tenetur famulus reſtituere, quod ſibi dandum

Digitized by Google

dum erat; sed, an peccet sic surripiendo, in eo est difficultas; quæ maximè vrget, cùm famulus ob potentiam, vel nequitiam domini, vel suam inopiam, vel etiam propter iudicis iniustitiam, vel propter defectum probationum non sperat, vel non potest ius suum obtinere, vel grauia timet damna; non enim videtur teneri ad patiendas hasce iacturas. Immo videtur, posse occultè surripere, quod sibi debetur, etiam ex charitate erga dominum, ne infametur, aut grauius damnum patiatur, coactus soluere non tantùm mercedem famulo, sed etiam iura debita curiæ.

Augustinus quidem videtur talem surreptionem culpæ damnare. Loquens enim lib. 22. contra Faustum cap. 27. de Moyse præcipiente, & de Hebræis retinentibus apud se vasa aurea, & argentea Ægyptiorum, qui mercedem Hebræis debebant pro operibus luti, & lateris, iustificat quidem eos a peccato, quia Deo iubente id fecerunt, subdit tamen: *Quòd si Moyses sua sponte iussisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profectò peccarent; quamquam illi non quidem hoc faciendo; quod vel iusserat, vel permiserat Deus, sed tamen talia fortasse cupiendo, peccauerunt.* Vbi habes, non solùm in priuata surreptione rei alienæ, quamuis pro mercede debitæ, sed etiam in eius cupiditate adesse peccatum.

3. Nihilominus Caiet. 22. quæst. 66. art. 5. excusat a peccato talem surreptionem; Toletus etiam lib. 5. cap. 15., qui affert Innocentium III. in cap. *Olim* de Restitut. Spoliorũ, vbi dici refert, non malè dici, *posse quemquam sua authoritate accipere furtiuè, dummodo ex tali furto, nec malum, nec scandalum valeat generari; quia si inde oritur, vel contra vxorem, vel contra familiam, vel contra quemcumque alium, hic debet rem in pristinum statum restituere.* Verùm Ego tria Capita *Olim* Innocentii III. reperio in illo Titulo, in nullo quorum dicuntur, quæ referuntur a Toleto. Excusant etiam passim Recentiores Summistæ.

Et reuera videtur excusanda, dummodò fiat adhibitis illis cautelis, de quibus supra. Nam taliter surripiens non peccat contra iustitiam erga dominum; nam accipit, quod sibi debetur: vnde restituere non tenetur; nec contra charitatem, quia non tenetur pati iacturam mercedis sibi debitæ, vt dominus fiat ditior: hoc enim esset magis diligere dominum, quàm seipsum; nec contra iustitiam communem (quod ait D. Thom. 22 qu. 66. art. 5. ad 3. de eo, qui accipit furtim rem suam apud alium iniustè detentam, quia, scilicet, sibi vsurpat suæ rei iudicium iuris ordine præ-

Digitized by Google

prætermiſſo) Nam, ait Caiet. ibidem, in tali caſus articulo non agit contra iuris ordinem, cùm iuris ordo ad reddendum vnicuique ſuum, & pacem communem ordinetur, & taliter accipiens non dicat ſibi ius, ſed potiùs exequatur ius ſuum, non aliqua authoritate, ſed ſola occulta acceptione. Sed tamen hęc ratio nimis probat; nam ex ea ſequitur, quòd ſimpliciter, & abſolutè poſſint famuli a ſeipſis accipere ſtipendia ſibi debita; & vnuſquiſque poſſit ſibi dare, & a ſe obtinere, quod ſibi debetur, & quidquid ex iuſtitia debet fieri; & ſic ordo, & pax Politiæ euertitur, & munia Magiſtratuum tolluntur. Tamen ſententia videtur tenenda; non .n.coincidit cũ Propoſit.damnata, quæ ſimpliciter licitam aſſerit acceptionem bonorum domini a famulis ex eorumdem iudicio, eò quòd merces data non ſit iuſta: hic .n. adeſt vlteriùs, quòd merces pacta non ſoluitur, nec aliter poteſt famulus ſine detrimento ſui, & domini habere, quod ſibi debetur; &, quòd reuera merces data non ſit iuſta.

4 Ad authoritatem Auguſtini dicendum eſt, ipſum loquutum eſſe de ſpoliatione Ægyptiorum abſolutè, & ſimpliciter, ideſt, non quatenus fiebat ad accipiendam mercedem Hebræis debitam, & ab Ægyptiis non datam, ſed ſimpliciter, prout erat ſurreptio rei alienæ. Id enim obiecerat Fauſtus, quòd, ſcilicet, Hebręi ſpoliaſſent Ægyptum; cui reſpondet, id iuſſu, vel permiſſione Dei licuiſſe, etiam ſi nulla merces Hebræis debita fuiſſet; quod tamen, ſi Moyſes, & Hebræi ſua ſponte feciſſent, peccaſſent; & fortaſſe Hebręi id cupierunt, atque adeo peccarunt. Quamuis autem memoret, Ægyptios fuiſſe debitores mercedis pro iniuſtis, & duris laboribus, ad quos coegerant Hebræos, tamen id non inducit ad explicandam iuſtitiam, qua Hebræi Dei iuſſu per ſe illa acceperint, & ſibi retinuerint, ſed ad reddendam cauſam, qua a Deo illi meruerunt ſuis bonis priuari; nam, & ibidem commemorat iniquam Ægyptiorum dominationem, & quòd illis bonis in iniuriam creatoris ritu ſacrilego vtebantur: conſtat autem, quòd ſuperbia, & iniquitas hominis, vel etiam Idolorum cultus non preſtat, vt ab alio bona eius accipi poſſint. Igitur tantùm ibi memorat cauſas, quibus iuſto Dei opere meruerint Ægyptii ſpoliari propriis bonis. Quo ad Hebræos verò licitam eis dicit fuiſſe ſpoliationem Ægypti, quia iuſſu, vel permiſſione Dei facta eſt; quod iuſtum eſſet, etiam ſi nullius rei Hebræis Ægyptii debitores fuiſſent; proindeque meritò dicit, quòd peccaſſent Hebręi, ſi eam ſponte ſua, vel feciſſent, vel cupiiſſent; ſed ex hoc non

Digitized by Google

sequitur, quòd in casu nostro peccatum sit surripere occultè domino. Potest fortè etiam dici, non singulos Ægyptiorum, quos spoliarunt Hebræi, sed Regem debitorem mercedis illis fuisse: hic enim sua vi, & imperio ad labores eos subegerat. Quare non poterant Hebræi ab Ægyptiis exigere, quod a Rege sibi debebatur, nisi iussu, vel permissione Diuina; ideoque rectè dicitur, quòd, si illud sua sponte fecissent, vel cupiissent, peccassent. Deus autem spoliatione Ægyptiorum indirectè puniuit Regem, quia opes, & inopia subditorum redundant in Principem.



Digitized by Google

DISPVTATIO XXXIV.

Contra Propoſit. XXXVIII.

Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumuis ſit magna ſumma totalis.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PAVCA poſſunt eſſe, vel eidem perſonæ ſurrepta, vel diuerſis; & ſumma collecta poteſt extare apud furem, vel eſſe conſumpta. Propoſitio damnata videtur liberare furem ab onere reſtituendi, ſiue furta facta ſint eidem perſonæ, ſiue diuerſis, dum abſolutè, & ſine diſtinctione loquitur. An autem liberet ab eo onere, etiam dum ſumma totalis extat apud furem, non explicat; & poteſt videri diuerſa ratio, cùm ſumma extat apud furem, & cùm conſũpta eſt. Nihilominus argumenta, quę ab aſſertoribus Propoſitionis afferuntur, probant, non adeſſe illud debitum, etiam cùm ſumma totalis permanet apud furem. Igitur falſam eſſe in hoc ſenſu Propoſitionem, & omnino adeſſe debitum ſub mortali reſtituendi magnam ſummam, etiam paruis furtis collectam, quando ea extat apud furem, facilè probatur. Si enim lethale eſt, notabilem ſummam alienam ſurripere, etiam eamdem retinere: quippe, quantùm ad malitiam, eiuſdem rationis ſunt ſurripere, & retinere, ſicut in naturalibus producere, & conſeruare; neque po-

Digitized by Google

test assignari ratio, cur furripere magnam summam sit lethale, non verò retinere, cùm furreptio ita ordinetur ad retentionem, vt sine voluntate retinendi non videatur esse vera, sed ludicra. Nec quidquam confert, quòd ea non tota simul, sed successiuè paruulis furtis sit collecta. Primò. Quia id per se videtur absurdum, vt fur sub mortali teneatur summam magnam totam simul sublatam restituere, venialiter autem paruis furtis surreptam; cùm hoc, nec de quantitate summæ, nec de lucro furis quidquã demat. Secundò. Quia ex oppositò ansa datur hominibus, qna ex alieno diteſcant, absque onere restituendi sub mortali; quod Reipublicæ perniciosissimum esset: Tertiò. Quia absolutè, & simpliciter vetatur retinere magnam summam de alieno; ergo æquè peccatum est illam retinere, siue tota simul, siue paulatim collecta sit. Sicut, quia absolutè, & simpliciter vetatur comedere pluſquam semel in die ieiunii, tam peccat mortaliter, qui totam simul, quàm qui paulatim magnam comestionem præter vnam facit in illo die, vt definit Alex. VII. in posteriori suo Decreto Propositione prima. Et sicut, quia absolutè interdictum est, hominem occidere, tam peccat mortaliter, qui vno magno vulnere hominem occidit, quàm qui pluribus paruulis, quorum .s. nullũ per se solùm sufficiat ad occidendũ: ita tam peccat mortaliter, qui vnico magno furto expilat hominem, quàm qui pluribus paruis. Quartò. Quia nullus datur iustus titulus furti; sed retinere magnam summam alienam absque iusto titulo, peccatum lethale est, & nihil ad hoc confert, quòd summa illa vno, vel pluribus furtis collecta sit; ergo, &c. Quintò. Quia, cùm tota illa summa, licèt paulatim, vni tantùm surrepta est, graue damnum illatum est proximo, & eiusdem grauitatis, ac si tota simul surrepta esset; non enim ex distinctione, aut successione furtorum minuitur valor rei furto sublatæ, & per consequens neque damnum eius; cui surreptum est; sed graue damnum iniustè illatum est sub mortali resarciendum; ergo sub mortali restituenda est illa summa.

Verùm, etiam si tota summa paruis furtis surrepta ampliùs non extet apud furem, vel quia ipse totam, postquam collegerat, consumpsit, vel quia successiuè, sicut surripuit, ita & consumpsit, neque est dubitandum, quin sub mortali restituenda sit; aliter etiã si summa magna tota simul surrepta esset, & postea consumpta, non esset sub mortali restituenda; & si summa per pauca furta collecta, esset consumpta, non esset, neque sub veniali restituenda, immo in vtroque casu nullum videretur adesse debitum restituendi;

quod

Digitized by Google

quod nec ipſi Authores damnatæ Propoſitionis aſſerere audent. Non eſt igitur dubitandum de onere reſtituendi, ſicut nec quòd Propoſitio etiam in hoc ſenſu damnata ſit.

2. Igitur, vt probetur onus reſtituendi ſub mortali, neceſſe eſt oſtendere, quantitates illas paruas ſucceſſiuè ſurreptas continuari ſaltem moraliter ad faciendam vnam magnam. Neceſſe, inquam, hoc eſt: cùm enim in furto paruitas materiæ excuſet a mortali, nō poteſt euinci, aliquod furtum, ideſt, acceptionem, vel retentionem rei alienæ eſſe mortale, & per conſequens, neque debitum ſub mortali reſtitutionis, niſi materia ſit grauis. Rursus. Voluntates, & actus externi ſucceſſiuè furandi, qui ſingillatim ſupponuntur venialiter tantùm mali ex paruitate materiæ, non poſſunt vniri, aut continuari ad faciendum vnum actum totalem magnum, & peccaminoſum mortaliter; ſunt enim actus diſcreti, & ſeparati, quorum vnuſquiſque terminatus eſt, & completus in malitia ſua veniali: aliter centum voluntates dicendi idem, vel diuerſa mendacia ſucceſſiua de eadem re, vel diuerſa continuarentur ad faciendum vnum peccatum mortale mendacii, quod omnino eſt falſum. Non ergo poteſt hic accipi continuatio ex parte voluntatum, vel actuum exteriorum furti, ſed omnino accipienda eſt ex parte quãtitatum furtis ſublatarum; ergo oſtendendum eſt, quantitates illas paruas paulatim ſublatas aliquo modo continuari ad faciendam vnam quantitatem magnam. Hæc autem continuatio oſtendi poteſt, tum in damno eius, cui ſurreptum eſt; faciunt enim ei notabile damnum furta illa multiplicata, licèt parua, & æquale, ac ſi omnia ſimul facta eſſent, vt ſupra etiam dictum eſt; tum ex parte rapientis, qui notabiliter etiam acquirit per furta illa parua, & æqualiter, ac ſi omnia vno furto rapuiſſet; ergo continuantur quodammodo moraliter illæ paruæ quantitates, faciuntque vnam magnam in damno expoliati, & in lucro expoliantis, tamquam in effectibus ſuis. Quod quidem planiſſimum eſt, cùm vni, & eidem facta ſunt furta, & cùm ea extat apud furem.

Sed, ſi pluribus illa parua furta facta ſunt, adhuc continuantur moraliter in lucro rapientis, ſicut paruæ comeſtiones factæ in die ieiunii continuantur in refectione, vel ſatietate comedentis, tamquam in effectu. Si autem fur eas conſumpſerit, adhuc continuantur in bonis propriis furis, quibus pepercit, dum aliena conſumpſit: non enim illa retineret, niſi iſta conſumpſiſſet; quare iſta continuantur, & conſeruantur quaſi virtualiter, ſeu æquiualenter in illis.

3. For-

Digitized by Google

3. Fortè mouebitur difficultas de fure nihil prorsus proprium habente, cui consequenter nil remanet, in quo æquiualenter conseruentur bona, quæ consumpsit, furto sublata.

Sed Respondetur, furem consumentem aliena peccare; sicut enim tenetur non rapere, ita tenetur non consumere, sed restituere; si ergo, quia illa consumpta sunt, non continuantur apud furem, sua culpa est; quare non propterea excusatur ab onere restituendi, aliter reportaret commodum ex iniquitate. Et sicut, qui per ignorantiam culpabilem omittit facere, quod debet, non excusatur a culpa omissionis; ita neque ab onere restituendi fur, qui culpabiliter consumpsit aliena, quæ restituere tenebatur. Semper igitur in pluralitate furtorum de paruis singillatim rebus, vel adest continuitas moralis, modo explicato, quantitatum furto sublatarum, quæ proinde faciunt vnam quantitatem notabilem, atque adeo sub mortali restituendam; vel etiam si non adest, vel dici possit, non adesse moralis illa continuitas, ex culpa furis accidit, quæ non excusat a mortali, nec consequenter ab onere restituendi sub mortali.

Sed in oppositum potest argui. Quia potest accidere, vt fur post duo parua furta, committens tertium, cuius materia, licèt etiam parua, tamen simul cum præcedentibus constituat materiam notabilem, oblitus sit antecedentium furtorum, credatque tunc se primùm furari. Ille tunc non peccabit mortaliter; non enim intendit furari magnam quantitatem, neque ex continuatione ad præcedentia furta, quorum non recordatur, sed tantùm paruam excusantem a mortali; & tamen illæ plures materiæ continuantur moraliter, siue in damno patientis, siue in lucro furantis; hoc enim dependet ex natura rei, non ex voluntate, aut memoria furis; ergo etiam si statuatur continuatio moralis paruarum materierum ad constituendam vnam sumam notabilem furto sublatam, adhuc non euincitur peccatum mortale furti, atque adeo, neque debitum sub mortali restituendi.

4 Respondetur, admisso casu, committi secundùm rem ipsam tunc peccatum mortale ob grauitatem materiæ coalescentis ex præsenti cum præcedentibus furtis; quod exinde patet, quia, si fur postea recordetur præcedentium furtorum, tenetur sub mortali restituere; quæ obligatio non nascitur ex præsenti memoria, ex cuius potiùs aduertit, se tunc commisisse mortale, cùm habuit, seu retinuit magnam summam alienam, & ex tunc se obnoxium fuisse restitutioni; sicut nec ex ea nascitur, quòd grauis sit illa summa,

Digitized by Google

ma, ſed ex antecedentibus furtis ſimul collectis; non poteſt autem mortale eſſe retinere, aut ſub mortali adeſſe debitum reſtituendi, niſi mortale fuerit rapere; ergo in illo vltimo furto, quo primùm cum quantitatibus præcedentibus conflata eſt quantitas magna aliena, reuera adfuit peccatum mortale; non imputatur tamen tunc ad mortalem culpam rapienti propter ignorantiam, ex qua factum eſt, vt non eſſet illi voluntarium furtum rei magnæ, quatenus magnæ; ergo ex hoc argumento confirmatur potiùs doctrina tradita. Immo ex eo etiam apparet regulariter, & extra illum caſum obliuionis, furem, cum rapit quantitatem, quæ ſimul cum præcedentibus facit notabilem ſummam, ferri ſimul voluntate ſua in omnes illas paruas quantitates quantùm ad retinendum eas, ac proinde ita ſe habere, ac ſi omnes ſimul, atque adeo notabilem quantitatem raperet: velle autem rapere, vel retinere notabilem quantitatem, ſine dubio peccatum mortale eſt; ergo falsò dicunt Authores damnatæ Propoſitionis, non teneri ſub mortali ad reſtituendum, qui magnam ſummam retinet alienam paruis furtis collectam; ſi enim peccat mortaliter, certè ad reſtitùtionem tenetur ſub mortali, quia eſt peccatum contra iuſtitiam, quod obligat ad reſtitutionem; ſi autem ad reſtitutionem non tenetur, non peccat mortaliter retinendo; at peccat mortaliter, quia vltimo furto vult retinere quantitatem præſentem cum omnibus antecedentibus, quæ ſimul collectæ conſtituunt notabilem quantitatem, atque adeo vult ſimul quantitatem magnam alienam; ergo tenetur ſub mortali ad reſtituendum. Atque hæc ratio poteſt etiam deſeruire directè, & principaliter ad oſtendendam falſitatem Propoſitionis damnatæ. Eſt igitur omnino in culpa lethali fur, cùm primò rapit quantitatem, quæ cum precedentibus facit notabilem ſummam, ſi memor eſt præcedentium furtorum; ſi autē non recordetur, eſt in peccato mortali, quantùm eſt ex re ipſa, licèt tunc non imputetur ei ad culpam lethalem; atq; adeo tenetur ſub mortali ad reſtituendum.

* * * * *
* * * *

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propositione damnata.

1. PRo damnata Propositione solet argui. Primò. Ex pluribus venialibus non conflatur mortale; sunt enim peccata diuersi ordinis; sed singula parua furta sunt singula peccata venialia; ergo ex ipsis non conflatur peccatum mortale; ergo neque consurgit debitum restituendi sub mortali, quod per omnia illa sublatum est; non enim potest esse peccatum mortale in retinendo, si non fuit in rapiendo, vt Nos etiam diximus.

Respondetur, ostensum esse in præcedentibus, ex continuatione quantitatum, non ex collectione furtorum, quæ singillatim fuerint venialia, fieri, vt peccet mortaliter fur, cùm rapit vltimam quantitatem, quæ simul cum præcedentibus constituit summam notabilem; itaque illud vltimum furtum mortale est, non veniale.

Arguitur 2. Non videtur, cui facienda sit restitutio, cùm plura parua furta pluribus facta sunt singula singulis: non enim vni tantùm, vt patet, sed neque singulis; nam singulum, quod a singulo surreptum est, paruum est, paruum autem non est sub mortali restituendum; neque crescit damnum singuli, eò quia non ipsi tantũ, sed aliis quoque surreptum sit, aut crescit in malitia ille actus furti, qui iam præteriit; sed, si vni tantùm paruum aliquod surreptum esset, non adesset sub mortali debitum restituendi; ergo neque adest, eò quia non vni tantùm, sed aliis quoque paruum quid singulis sublatum est. Præterea. Si fur pluribus ex singulis ablata restituerit, itaut parua summa apud ipsum remaneat, vni, vel duobus restituenda; quæritur, an teneatur sub mortali istis restituere; si enim affirmabitur, definietur generaliter, paruum quid sublatum esse sub mortali restituendum, quod nullus dicit: si autem negabitur, non adest ratio, cur aliis sub mortali debuerit restituere, istis autem sub veniali tantùm; cùm istis, sicut illis paruum quid singillatim surripuerit; ergo generaliter dicendum est, non restituendum sub mor-

Digitized by Google

mortali pluribus ſurreptum, cùm paruum ſingulis ſurreptum eſt, quantumcumque magna ſit ſumma totalis.

Reſpondetur, reſtitutionem ſub mortali faciendam eis, a quibus ſublatum eſt, etiam ſi ſingula ſingulis ſublata parua ſint, cùm ſumma totalis eſt magna; ex hoc enim naſcitur debitum reſtituendi ſub mortali. Ad primam impugnationem dicitur, non creſcere quidem detrimentum ſingulorum, neque creſcere in malitia actum furti præteritum, ſed vltimum furtum, quo primò conflata eſt notabilis ſumma aliena, fuiſſe peccatum mortale, & ideo adeſſe ſub mortali debitum reſtituendi.

Ad ſecundam impugnationem dicitur, non teneri furem ſub mortali in eo caſu reſtituere paruam illam ſummam apud ſe reſiduam, ſicuti nec debitor tenetur ſub mortali reſtituere paruam pecuniã mutuã, vel aliàs debitã; non quia vni teneatur reſtituere ſub mortali, alteri ſub veniali, quaſi non omnes ſint æqualis conditionis; ſed quia tenetur ſub mortali reſtituere magnam ſummam, ſub veniali paruam. Illi igitur poſtremi, quibus propter dictam rationem non tenetur ſub mortali reſtituere, ita ſe habent, ac ſi illis tantùm fur rapuiſſet; talibus autem propter paruitatem materiæ non tenetur ſub mortali reſtituere. Videtur autem a fure reſtituendum priùs illis, quibus priùs furatus eſt, vel magis indigentibus.

2. Piſani ſuper hanc Propoſitionem notat, furem teneri ad reſtituendum ſub mortali, non tantùm illam quantitatem, ex qua cum præcedentibus facta eſt ſumma notabilis furti, ſed totum, quod furatus eſt. Quod probat primò. Quia aliter in aliquo caſu fur retineret apud ſe abſque mortali maiorem partem furti, & exiguã reſtitueret; puta, ſi ſupponamus, tres carolinos furto ſublatos non eſſe ſub mortali reſtituendos, quatuor autem ſic; tunc qui furatus eſt quatuor, reſtituendo vnum tantùm carolinum, & retinendo tres, ſatisfaceret obligationi mortali de reſtitutione. Id autem videtur prorſus abſurdum.

Secundò. Quia obligatio mortalis reſtituendi non oritur præciſè ex ea quantitate furti, ex qua primò reddita eſt grauis tota ſumma, ſed ex tota ſumma in vnum collecta; ergo totam ſummam tenetur reſtituere.

Tertiò. Quia aliter fur poſſet ditari ex alieno pluries id faciens cum pluribus, nimirum, reſtituens ſolùm id, quod reddit, ſeu complet notabilem quantitatem, & retinens ſibi reliquum. Id autem

Digitized by Google

tem inconueniens est. Quæ sententia vera est, & a nobis suppositæ: primumque argumentum pro ea est validum. Secundùm verò sic confirmari potest, vel etiam debet. Quia ex quo summa furto sublata reddita est notabilis, orta est obligatio sub mortali eam restituendi; eam, inquam, non præcisè vltimam quantitatem (quæ sanè potest esse parua secundùm se) nam de illa præcisè restituenda eadem est ratio, cùm parua est, ac de aliis paruis quantitatibus, quas supponimus, non esse sub mortali restituendas. Igitur peruentio in furto ad quantitatem notabilem eam obligationem parit, vt tota quantitas sit sub mortali restituenda, nihilque de ea possit retineri, nisi fortè quid modicum respectu illius summæ, vt pauca grana in restitutione quatuor carolinorum, quæ si retineantur, veniale est. Et tamen, si hac ratione confletur notabilis summa, propter frequentes, scilicet, retentiones similes in restitutionibus, ea quoque sub mortali restituenda est. Aliter, quæ species restitutionis, aut quæ satisfactio iustitiæ, cùm fur plus sibi retinet, quàm restituat? Id certè potiùs est retinere, quàm restituere, vtque ita loquar, plus satis tenere, quàm satisfacere. Quod maximè apparet, cùm tota summa vni, & eidem paulatim surrepta est. Quæ enim compensatio, siue satisfactio, cùm illi parum quid restituitur ex omnibus ei ablatis? Quę etiam detestatio peccati, cùm maior pars furti ex auaritia remanet apud furem? Id est illudere, non detestari peccatum. Tertium Pisani Argumentum etiam validum est.

3. Argui potest tertiò. Plura parua vulnera leuiter lædentia distantibus temporibus ab eodem alteri inflicta, non continuantur moraliter ad constituendum magnum vnum vulnus, nec percussorem reum reddunt magni vulneris inflicti; nec etiam si illi simul inflicta mortem intulissent, nec faciunt percussorem homicidii reum; ergo parua furta diuersis temporibus etiam eidem facta, non continuantur moraliter ad reddendam magnam quantitatem, nec constituunt furem authorem magni furti; atque adeo hic non obligatur sub mortali ad restituendum.

Respondetur, parua furta continuari, vel in damno eius, cui surreptum est, vel in lucro surripientis, vt dictum est; quare, si fur post primum leue furtum restituat, quod surripuit, posteaque denuo eidem rapiat, non continuatur primum furtum, seu quantitas primò surrepta cum secunda quantitate, quia primum

Digitized by Google

mum illud furtum non permanet, nec in lucro furis, nec in damno eius, qui furtum paſſus eſt. Sic igitur, ſi primum paruum vulnus inflictum adeo integrè ſanatum eſt, vt ex nulla leſione ab eo derelicta reddatur grauius vulnus ſecundum, quod de ſe etiam ſupponitur paruum, non continuatur primum damnum cum ſecundo ad conſtituendum vnum magnum damnum, & ſic de cæteris.

Si autem ex prioribus vulneribus paruis grauiora reddantur ſequentia, continuatur damnum; & ſi cauſatur mors, percuſſor erit homicidii reus.



Digitized by Google

DISPVTATIO XXXV.

Contra Propoſitionem XXXIX.

Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 EST contra vulgatam regulam, eamque antiquam, vtpotè extantem tempore D. Thomæ, qui eam affert 22. qu.62. art.7., de obligatis ad reſtituendum, his verſibus contentam.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

In qua primo loco nominatur inducens, aut mouens alium ad inferendum damnum tertio per iuſſionem, aut conſilium. Cùmque etiam non impediens, & non manifeſtans obligetur ad reſtitutionem, multò magis inducens, & mouens.

Probatur tamen falſitas Propoſitionis ratione a priori. Mouenti alium ad inferendum damnum tertio iuſtè imputatur damnum illatum, tamquam cauſæ efficienti morali; ſed quicumque eſt cauſa efficiens etiam purè moralis damni iniuſtè illati tenetur ad recompenſationem; ergo, &c. Maior patet ex communi hominum ſenſu; ille enim æſtimatur cauſa efficiens moralis contra diſtincta a phyſica, qui operatur effectum, non immediatè tangendo, ſed aliis

Digitized by Google

aliis præcipiendo, vel conſulendo. Hinc Philoſophus 2. Phyſicor. text. 29. inter cauſas efficientes numerat conſiliarium. Sic mors Chriſti tribuitur Pilato, Sacerdotibus, & Scribis, cùm tamen Pilatus tantùm præceperit, illi verò petierint. Sic paſſiones Martyrum tribuuntur Imperatoribus, Præfectis, aut Iudicibus, qui eas tantùm legibus, vel præceptis iuſſerunt; vtque obſeruat Auguſt. 12. de Ciuit. cap. 25., Vrbes Romam, & Alexandriam non ab architectis, & fabris, ſed a Regibus, quorum imperio illi operati ſunt, dicimus ædificatas. Ex quo patet, cauſalitatem efficientem moralem plùs etiam æſtimari, quàm phyſicam. Hic D. Dionyſius 22. cæleſtis Hierarchiæ cap. 3. (& probat D. Thomas 22. quæſt. 64. art. 3.) *Ille aliquid facit, cuius auctoritate fit*; & Tertullianus lib. de Baptiſmo: *Imperator proponit edictum, aut Præfectus fuſtibus cædit. Numquid ipſe proponit, aut numquid ipſe cædit? Is dicitur facere, cui præministratur*. Hinc etiam 3. & 4. Regum pluries imputatur Ieroboam peccatum Iſrael per idololatriam; qui tamen tantùm occaſione data induxit ad illam, erigendo vitulos aureos, & inhibendo acceſſum ad Templum in Ieruſalem. Sic præbentes praua exempla dicuntur inferre ſcandalum, & cauſare ruinam proximi, etiam ſi, nec iubeant, nec expreſsè ſuadeant, quia .s. exemplum eſt veluti tacita ſuaſio. Ita etiam ſalus, vel mors ægrotantis tribuitur medico rectè, vel ineptè medicamina conſulenti: tranquillitas, vel turbatio Reipublicæ Gubernatori æqua, vel iniqua iurà dicenti: beneficium acceptum a Principe tribuitur deprecanti, ſuadenti, aut conſulenti.

2. Immo Exodi 21. 29. iubetur occidi homo veluti homicida, qui admonitus de ſuo boue cornupeta, illum domi non recluſerit, ſi bos aliquem occiderit. Et num. 36., ſi bos cornupeta alium bouem occiderit, tenetur dominus eius reddere bouem pro boue occiſo, ſi, ſciens vitium ſui bouis, eum non cuſtodierit. In quibus tamen caſibus dominus bouis omittit tantùm, non committit, ideſt, non inducit bouem ad occidendum, ſed tantùm non impedit; & tamen ita reputatur cauſa efficiens moralis damni illati, vt pœna mortis, vel recompenſatione damni adſtringatur.

Ita Ezechielis 33. ſpeculator videns gladium venientem, & nō inſonans buccina, reus dicitur ſanguinis effuſi. Et ca. 17. Prophetæ loquentes falſa, & diuinantes mendacia, dicentes, ſcilicet, pax, cùm non eſſet pax, propter quod populus, nec pœnitentiam de peccatis agebat, nec a peccando abſtinebat, ſentient manum Domini ſuprà capita ſua.

Omnes

Digitized by Google

Omnes isti reputantur causa efficiens mali subsequentis, & in eorum capita retorquetur vltio, etiam si non positiuè mouerint, vel induxerint ad malum, ideſt, etiam si non iusserint, aut consuluerint, sed tantùm ab eo auertere, cùm tenerentur, non curauerint. Quantò magis ergo causa est efficiens damni illati, qui alium mouet, aut inducit ad illud inferendum tertio, & quantò fortiùs tenetur ad restitutionem?

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propositione damnata.

1. PRimum fundamentum eius est. Inducens alium ad inferendum damnum tertio, non determinat, aut necessitat illum, sed relinquit in sua libertate; ergo damnum illatum non est tribuendum inducenti; nam tantùm motus sequentes necessariò, & determinatè formam impressam tribuuntur datori formæ, non verò motus liberi, vt patet ex physicis: motus enim deorsum per grauitatem tribuitur generanti graue, actiones verò liberæ hominum non tribuuntur parentibus.

Ex hoc inferunt, eum, qui precibus, vel pollicitationibus apud Collatorem impedit, ne detur præbenda, aut beneficium ei, cui de iure debetur, non teneri ad recompensationem; teneri autem, si impediat vi, fraude, mendaciis, dolo; quia primis modis, seu mediis non determinat libertatē Collatoris, determinat autem postremis; in qua libertate situm esse ius conditionale alterius, ait Diana in Summa, verbo *Restituere quis*.

Respondetur, hoc Argumento destrui omnem causalitatem mediante iussione, consilio, aut suasione; quod non tantùm est cōtra lumen naturale, sed etiam Diuinum, vt patet ex Scripturis cap. precedenti adductis. Non enim iussio, aut consilium, aut suasio determinant physicè libertatem, quæ nec ab vlla creatura ita determinari potest; moraliter autem etiam iussu, consilio, suasione flectitur, & quodammodo determinatur, non secus ac vi, mendaciis, fraude, dolo: vis autem propriè inferri non potest voluntati; & a mendaciis fraudibus, doliſque potest cauere homo non facilè credendo, & diligentiùs veritatem vestigando.

2. Si-

Digitized by Google

2. Siue autem iuſſione, conſilio, ſuaſione, precibus, pollicitatione determinetur voluntas, ſiue non, quòd tæmen iubens, conſulens, ſuadens, rogans, promittens ſit cauſa operis ſubſequentis, patet. Sicut enim Princeps iubens, vt conferatur honor, vel gradus, vel pecunia alicui, cenſetur cauſa collationis honoris illius, ſiue gradus, ſiue pecuniæ: & ita Iudex iubẽs, vt infligatur aliqua pœna, ita conſulens, vel ſuadens, vel rogans, vel aliquid promittens, vt conferatur beneficium alicui, cenſetur cauſa beneficii, adeo vt, qui illud recipit, teneatur debito gratitudinis ad ipſum; nullusque, vt arbitror, tam abſurdi cordis reperietur, qui putet, non naſci hoc gratitudinis debitum, niſi ille vi fraude, dolo, mendaciis beneficium ipſi procurauerit.

Patet etiam ex Diuinis litteris: nam Lucæ 19. ei, qui ex vna mna decem acquiſierat, dicitur: *Eris poteſtatem habens ſupra decem ciuitates*; & ſimiliter ei, qui ex quinque acquiſierat quinque. Ciuitates autem illę, vt explicat Beda, & communiter Interpretes, homines ſunt, quos negotiator Euangelicus verbo, & exemplo ad rectam fidem, conuerſationemque traduxit; illaque traductio, ſiue lucrum imputatur negotiatori, & de eo, tamquam de opere ſuo præmium accipit, quamuis non fraudem, dolum, vim, aut mendacia adhibuerit. Abſit enim, vt ille, meritum reportet de lucro per dolos, fraudes, & mendacia acquiſito. Ita Apoſt. prima Theſſalonic. 2. 19.: *Quæ eſt*, inquit, *ſpes noſtra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum?* Gloriam ſperabat tamquam de opere ſuo pro inductione eorum ad fidem, & vtique non vi fraude, & dolo, ſed verbo veritatis. Immo ipſe Chriſtus Matth. 12.: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, hic meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Quod explicans Gregorius hom. 3. in Euang. ait, prædicatorem verbi Diuini appellari matrem Domini, quia quaſi parit Dominum, quem cordi audientis infundit. Et vtique in hoc opere non interuenit vis, aut fraus, aut dolus.

Rursus. Omnia noſtra opera bona Deus operatur in nobis; & tamen Deus non determinat voluntatem, ſed flectit, ſeu allicit per illuminationes, & inſpirationes. Dæmon etiam plurimorum peccatorum cauſa eſt hominibus, qui tamen *non cogit, ſed ſuadet, nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit*, vt loquitur Auguſt. ſer. 197. de Tempore.

Quod ſubdit Diana, falſum eſt: non enim in libertate collatoris, ſed in proprio merito fundatur ius alicuius ad præbendam, ſiue bene-

Digitized by Google

beneficium; quo meritò, siue iure etiam ipsius Collatoris libertas adstringitur, & limitatur.

3. Secundum fundamentum est. Sola peccata contra iustitiam trahunt secum debitum restitutionis; ergo inducens alium ad inferendum damnum tertio, non tenebitur ad restitutionem, nisi id fecerit per media contra iustitiam, vt vi, mendaciis, dolo, detegendo crimen occultum, &c., non verò, si id fecerit precibus, aut pollicitationibus, etiam ex odio interpositis.

Respondetur, etiamsi verum concludat Argumentum, tamen euerti Propositionem, quæ generaliter ab onere restitutionis absoluit inducentem alium ad inferendum damnum tertio; nam inducens per media contra iustitiam, tenebitur.

Tamen Consequentia Argumenti nulla est, immo eius oppositum deducitur ex Antecedenti; nam etiam, qui per media non contra iustitiam inducit alium ad inferendum contra ius damnum tertio, peccat contra iustitiam; sed omnis peccans contra iustitiã, tenetur ad restitutionem, vt assumit Antecedens; ergo tenetur etiã ille, quod in Consequenti negatur. Tantùm enim abest, vt, quia media ab illo assumpta non sunt secundùm se contra iustitiam, ille immunis sit a peccato iniustitiæ, vt ipsa assumptio mediorum, quæ secundùm se non sunt contra iustitiam, contrahat malitiam iniustitiæ ex ordinatione ad finem contra iustitiam; generaliter enim assumptio medii contrahit malitiam ex fine malo, ad quem ordinatur, vt communiter docent Theologi, cum quibus & Nos lib. 3. de Actibus Humanis cap. 26. Quod verum est, etiam si medium secundùm se non sit prauum, sed indifferens, immo etiam si secundùm se bonum sit; nam erogatio eleemosynæ ad finem fornicandi induit malitiam fornicationis, quia ordinatur ad fornicationem.

4. Et certè, cùm ex eo, quòd medium secundùm se non sit cõtra iustitiam, nec tollatur, nec minuatur damnum, quod per ipsum alteri infertur, immo per ipsum inferatur, nescio, quomodo asseratur, ex ea ratione medii tolli ab inferente, vel ab inducente ad illationem damni onus restituendi; cùm, quidquid sit de malitia, aut specie malitiæ medii, proximo læso debeat restitui, quod ablatum est.

Quia autem inter media contra iustitiam numerant mendaciũ, ideoque dicunt, quòd inducens per mendacia alium ad inferendum damnum tertio teneatur ad restitutionem: aduertere debent, quòd, quamuis veritas, siue veracitas, cui opponitur mendacium, adnectatur virtuti iustitiæ, non tamen respicit debitum legale, sed

mo-

Digitized by Google

morale, vt docet D. Thom.22. qu.109. ar.3., vnde ex mendacio nõ oritur obligatio recompenſandi, puta, aperiendi veritatem; niſi cùm ex illo damnum, aut illatum ſit, aut inferendum; quare obligatio reſtituendi, vel recompenſandi damnum illatum per mendacium non naſcitur ex eo, quòd illum damnum illatum eſt per mendacium, ſed abſolutè, & præcisè, quia damnum illatum eſt; ergo, etiam ſi damnum non ſit illatum per mendacium, aut per aliud medium ſecundùm ſe contra iuſtitiam, eſt recompenſandum.

Notandum autem, quòd etiam inductio alterius ad inferendum leue damnum tertio trahit ſecum onus reſtitutionis, licèt non ſub mortali; propter quod Nos non tantùm de illatione grauis damni, ſed præcisè de illatione damni loquuti ſumus.

✠

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXVI.

Contra Propositionem XL.

Contractus Mohatra licitus est etiam respectu eiusdem personæ, & cum contractu retrouenditionis prauiè inito cum intentione lucri.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 CONTRACTVS hic, quem Hispanicè *Mohatra* appellat noster Salon 2.2. q. 26. ar. 2. Italicè autem *Allo stocco*, vel *Porro*, vel *Palizza*, vel *Baratto*, dici asserunt Bonacina, Diana, Pisani, est, cùm quis indigens non mercibus, sed pecunia paciscitur cum mercatore, vt emat ab eo pretio summo, siue rigoroso, intra tamen terminos iustitię pecunia non numerata, sed credita, aliquas merces, quas statim eidem reuendat pecunia numerata pro pretio infimo intra etiam iustitiæ terminos, sicque remaneat debitor mercatori in ea pecuniæ quantitate, in qua pretium infimum excedit a summo. Atque hûc contractum exerceri solere inter Turcas testatur Bremond lib. 3. Itineris Ægypti, & Terræ Sanctæ cap. 4. Causa ineundi ex parte ementis est indigentia pecuniæ, ex parte verò mercatoris est cupido lucri, & declinatio a specie vsuræ: ideo enim non dat mutuò pecunias ad plus forte recipiendum, quia id est euidenter vsurarium; sed init illum contractum, quo merces rigorosè venditas pecunia credita vili pretio statim reemit pecunia numerata, vt lucrum acquirat, & lucrari videatur non ex pecu-

niæ

Digitized by Google

niæ mutuatione, ſed ex contractu emptionis, & venditionis.

Hunc igitur contractum illicitum eſſe probatur. Quia eſt vſura palliata. Etenim emere pecunia numerata ad infimum pretium merces, quas ipſemet pecunia credita ad pretium rigoroſum vendiderat, eſt lucrari ex numeratione pecuniæ. Cùm enim merces illę non remaneant apud primum emptorem, qui non eas, ſed pecuniam quærit, ideoque ad habendam pecuniam numeratam ſtatim reuendit mercatori, patet, quòd contractus ille ex parte mercatoris initur ex fine captandi lucrum ex pecunia numerata; lucrum autem ex pecunia numerata eſt lucrum ex mutuo; lucrum autem ex mutuo ipſa vſura eſt; ergo ea eſt vſura palliata, & emptio, & retrouenditio ſimulantur ad eam palliandam.

2. Hic dicitur (& eſt fundamentum Propoſitionis) Si emptor, poſtquam ſummo pretio pecunia credita emit a mercatore merces, exorta indigentia pecuniæ numeratæ ſpontè eas infimo pretio reuendat eidem mercatori ad habendam eam pecuniam, nulla vſura committitur a mercatore emente, etiam ſi ex illa emptione lucretur, nec peccat contra iuſtitiam, immo charitatem exercet, & beneficium præſtat retrouendenti, liberans eum ab onere quærendi alium, cui vendat, adeo vt, ſi nollet emere, videretur immiſericors, & durus; ergo, etiam ſi a principio ineat pactum de vendendo ſummo pretio pecunia credita, & ſtatim reemendi infimo pretio pecunia numerata, non peccat peccato vſuræ. Probatur Conſequentia. Quia idem eſt lucrum ex parte mercatoris, & damnum ex parte emptoris, & ſi lucrum illud abſque pacto eſt licitum, etiam erit licitum cum pacto; nam, quæ licent, poſſunt in pactum deduci; non enim ex pacto redduntur illicita, quæ ex ſe ipſis licita ſunt.

Reſpondetur negando Conſequentiam; in caſu enim propoſito ſunt duo contractus, quorum etiam ſecundus per accidens, & fortitutò coniungitur primo, alter venditionis, alter emptionis; & vterque iuſtus, dum non exceditur latitudo pretii iuſti, quæ per infimum, mediocre, & rigoroſum extenditur. Per hos autem contractus licitè lucratur mercator, immo in eo propriè conſiſtit lucrum mercatorum, viliùs emere, & cariùs vendere. At contractus Mohatra vnicus eſt, includens emptionem, & retrouenditionem ex intentione

Digitized by Google

tione lucrandi per pecuniam numeratam ; ergo vsurarius est :

Ad probationem dicitur : quòd licet sit idem lucrum mercatoris, non tamen est idem modus, seu titulus lucrandi, sicut nec idem contractus ; idem autem lucrum vna via potest esse licitum, altera illicitum.



Digitized by Google

DISPVTATIO XXXVII.

Contra Propoſit. XLI.

Cùm numerata pecunia pretioſior ſit, quàm numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid vltra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

HÆC Propoſitio habet vim Argumenti, quaſi dicat: Pecunia numerata, ſiue præſens pretioſior eſt, magiſque fit, quàm futura; ergo licet creditori pro pecunia de præſenti numerata, exigere a mutuatario aliquid vltra ſortem.

Poterant tamen eius authores facilè aduertere, quòd, ſi illud Antecedens eſt verum, mutuans decem, & plus exigens, nihil exigit vltra ſortem, ſed præcisè valorem decem de preſenti mutuatorum; immo nec mutuat decem, ſed plus iuxta valorem pecuniæ preſentis ſupra futuram; valor enim non numerus pecuniæ attenditur in huiuſmodi; ergo Propoſitio repugnat ſibi ipſi. Vel enim tantus valor exigitur, quantus mutuò datus eſt, & nunc nihil exigitur vltra ſortem; vel plus valoris exigitur, & tunc falſum eſt, quòd pecunia præſens plus valeat, quàm futura,

Sed videndum eſt hoc ipſum, an, ſcilicet, pecunia præſens plus valeat, quàm futura. Et quidem hoc videtur in hac ipſa Propoſi-

tione

Digitized by Google

tione damnatum. Si enim pecunia præsens plùs valet, quàm futura, nulla iniustitia, nullum peccatum committitur, cùm, qui mutuauit decem de præsenti exigit plusquam decem; & hoc est euidens; sed id damnatum est in hac Propositione; ergo & illud principium est damnatum.

2. Sed rationibus agamus. Primò. Si pecunia præsens plùs valet, quàm futura, sequitur, non dari peccatum vsuræ, quod est eludere omnem doctrinam, omniaque iura eam prohibentia, ipsam quoque sententiam Christi Domini Lucæ 6. 35.: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Vsura enim est lucrum ex mutuo; per mutuum autem traditur pecunia præsens restituenda in futurum; & in eo consistit peccatum vsuræ, si plùs exigatur, quàm mutuatum sit; ergo, si decem præsentia plùs valeut, quàm decem futura, non erit peccatum exigere plusquam decem mutuata, quia non exigitur supra valorem pecuniæ mutuatæ; illud plùs enim, quod est in numero exacto, continebatur in valore pecuniæ de præsenti mutuatæ; itaque reuera tantùm exigitur, quantùm mutuatum est; valor enim pecuniæ, vt dictum est, attenditur in huiusmodi, non numerus, & si numerus, propter valorem; ergo non dabitur peccatum vsuræ.

Hic non aliud dici potest, nisi, posse accidere peccatum vsuræ, si exigatur plusquam valor decem præsentium excedit valorem decem de futuro.

Sed, si sic dicatur, oportet, vt noua iura condantur de vsura. Quæ enim habemus, quidquid accedit forti damnant, vt vsurarium, & Christus iussit, vt omnino nihil speremus ex mutuo. Oportet etiam definire, quantùm valor pecuniæ præsentis excedat valorem futuræ, vt sciat mutuans, quantùm absque vsura possit supra sortem exigere a mutuatario. Quod nullus hucusque definiuit; & si hoc permittatur arbitrio mutuantium, vel dicatur, iudicandum ex opportunitate negotiorum, ad quę apta est pecunia præsens, res abibit in infinitum. Etiam aliud est, pecuniam præsentem aptam esse ad negotia, siue lucra, non futuram; aliud pecuniam præsentem plùs valere, quàm futuram.

3. Secundò. Si pecunia præsens plùs valet, quàm futura, sequitur, mutuatarium ex iustitia teneri addendum pro decem acceptis plusquam decem. Patet sequela, quia in valore accepit plusquàm decem; valor autem attenditur in recompensatione pecuniæ. Sic igitur peccabit mutuatarius, si pro decem non restituat plusquam decem, non peccabit mutuans, si exigat. Quare Propositio his

termi-

Digitized by Google

terminis componenda erat. *Cùm pecunia numerata pretioſior ſit, quàm numeranda, tenetur mutuatarius aliquid vltra ſortem dare mutuanti.* Sed hoc eius Authores, vt arbitror, proferre auſi non ſunt. Sequeretur enim abſurdiſſimum illud, & hactenus inauditum, quòd peccatum vſuræ committatur a mutuatario non dante pluſquam accepit, non a mutuante accipiente pluſquam dedit; & quòd vſura malè non ſoluatur, rectè accipiatur. Sed, cùm in pecunia attendatur valor, ſi decem præſentes plùs valent, quàm decem futuri, non deberet dici, quod mutuatarius accipiat decem, ſed plùs, iuxta valorem, quem habet pecunia præſens ſupra futuram; quia & cùm dicitur, mutuatarium accipere decem, intelligendum eſt de valore pecuniæ, non de numero, ideſt, quòd accipiat valorem decem; ergo nec deberet dici, quòd reddat pluſquam decem, vel pluſquam recepit, ſed, quòd reddat quantùm recepit. Itaque Propoſitio ſuis terminis implicatur.

4. Tertiò. Si pecunia præſens plùs valet, quàm futura, plùs etiam valebit, quàm præterita, immo longè plùs; quia futuræ eſt ſpes, & aliquando erit poſſeſſio, & vſus, de præterito autem dicitur: *Quod fuit, & non eſt, pro nihilo reputatur*: quod non dicitur de futuro. Sed ex hoc ſequitur Conſequens maximè oppoſitum Propoſitioni, ſcilicet, quòd mutuans non ſolùm non poſſit exigere vltra decem, quæ mutuauit, ſed neque quòd æquale, immo debeat exigere multò minùs. Probatur. Quia, cùm mutuatarius reddit, quod accepit, iam pecunia mutuata eſt præterita, ea verò, quæ redditur, præſens; ſed pecunia præſens longè plùs valet, quàm præterita; ergo mutuatarius non tenetur reſtituere quantùm accepit, ſed longè minùs, ideſt, etiam minùs, quàm ſit valor pecuniæ futuræ reſpectu præſentis; & mutuans non poterit exigere quantùm mutuauit, ſed longè minùs. Ecce quomodo ex ipſo ſuo principio deſtruitur doctrina Propoſitionis.

Quartò. Etiam ſi pecunia præſens plùs valeat, quàm futura, non ſequitur, quòd mutuatarius pro decem acceptis debeat reddere plùs, quàm decem; nam, cùm reddit, vtique pecunia, quam reddit non eſt futura, ſed præſens, & numeratur; ergo habet eumdem valorem, ac decem ſuo tempore dati a mutuante; ergo reddit æquale reddendo decem. Oſcitanter ergo ab Authoribus Propoſitionis conſiderata eſt futuritio pecuniæ reſtituendæ, cùm a mutuatario præſens accipitur, & non conſiderata eſt præſentia pecuniæ, quàm mutuans accipit, cùm ei a mutuatario reſtituitur, & præteritio pecuniæ traditæ iam a mutuante. Et inſulsè dicitur, licere mu-

Digitized by Google

mutuanti, vt plùs recipiat, quã tradidit, quia pecunia præsens plûs valet, quàm futura, quasi pecunia, quæ recipitur, cùm recipitur non sit præsens, sit verò præsens illa, quæ iam mutuata fuit.

5. Reuera igitur non rectè, siue propriè dicitur, pecuniam præsentẽ plùs valere, quàm futuram; nam per hoc indicatur, adesse de præsenti aliquem valorem pecunię futuræ, quod falsum est; quòd enim non est, nihil valet; nisi dicamus, pecuniam nondum cusam, sed cudendam, valorem de præsenti habere pecuniæ. Attenditur igitur solùm in pecunia futura valor, quem habebit, dum erit præsens: sicut enim omnia tempora reducuntur ad præsens, ideſt, propter illud veritatem habent (ideo enim verum est, Adam fuisse, vel Antichristum fore, quia aliquando verum fuit, Adam est, & verum erit, Antichristus est) ita & valor cuiusq; rei attenditur secundũ tẽpus, quo illa erit præsẽs. Quod exinde etiam patet; quia idem valor pecuniæ præsens antea erat futurus, postea erit præteritus; si autem per differentiùs præsentis, præteriti, & futuri, ille variaretur, non esset idem valor pro omni tempore. Igitur futuritio valoris non dicit aliquem valorem de præsenti rei futuræ, sed prædicit valorem rei, dum erit præsens: sic valor præteritus non significat valorem de præsenti rei præteritæ, sed memorat valorem, quem, dum fuit præsens, habuit res, quæ præteriit; aliter non præteriret, nec posset præterire valor rei, etiã ipsa re præterita, sed tantùm diminueretur, quod prorsus chymericum est. Igitur & futuritio valoris non aliquem dicit valorẽ de præsenti rei futuræ, licèt minorem; sed totum illũ dicit, qui erit pro suo tempore præsens, de facto autem, siue de præsenti, nullus est.

Atque is etiam est communis hominum sensus, vt patet ex modo loquendi. Si quis enim initio anni interrogetur, quot aureos habeat in annuos redditus, respondet iuxta valorem pecuniæ ei obuenturę, cùm erit præsens, non iuxta valorem futuritionis eius. Respondet, inquam, ex. gr. se habere mille aureos, quia, scilicet, tantus erit valor pecuniæ, cùm erit tota præsens (valor enim attenditur pecuniæ in huiusmodi, non numerus) futuritio autem mille aureorum, siue mille futura non valet mille aureis, sed ad summum multò minùs, reuera autem nihil; ergo ille falsò respoderet, se habere mille, dum interrogatur initio anni, quia non erunt tot, nisi in fine eius, cùm erunt omnes præsentes; ergo communi hominum sensu non adest valor in pecunia, nisi dum præsens est. Ergo mutuans decem non potest exigere vel expectare plusquam decem, quia in decem, quę expectat, attendendus est valor eorum,

Digitized by Google

rum, dum erunt præſentia, qui penitus æquat valorem decem de præſentium ab ipſo mutuatorum.

6. Aliter deſtruitur quodammodo ratio mutui, & transfertur ad contractum commutationis; ſi enim futuritio peccuniæ, ſeu pecunia futura aliquem habet valorem, qui mutuat decem, ſtatim recipiet valorem decem futurorum (ille enim valor erit mutuantis, cui pro ſuo tempore debetur pecunia præſens) Atqui hæc commutatio eſt, eaque inæqualis: nam valor decem futurorum minor eſt, vt dicunt, valore decem præſentium, quæ traduntur a mutuante: valor autem futurorum, & ſimul valor eorundem præſentium, cùm reſtituetur a mutuatario, maior eſt, quàm ſit tantùm valor decem præſentium, qui traditur a mutuante; ergo non ſeruatur iuſtitia, ſiue æqualitas; & oporteret, mutuantem pro decem mutuatis minùs recipere ſuo tempore, quàm decem: aliter plùs recipiet, quàm mutuauit, quia & decem præſentia reſtituta, & adhuc valorem decem futurorum, quem ab initio recepit.

Ecce quanta perturbatio ordinis, & rerum, ſi admittitur valor præſens pecuniæ futuræ. Sed bene eſt, quòd ex eo non tantùm non deducitur Propoſitio, quam impugnamus, ideſt, poſſe creditorem exigere plùs ſorte principali, ſed ſequitur, neque poſſe exigere æquale, vt oſtenſum eſt.

Reuera igitur mutuans non recipit, neque reſpicit in præſenti valorem aliquē pecuniæ futuræ (futurum non poteſt recipi, ſicut nec præteritum retineri) ſed illum reſpicit, quem habebit pecunia, dum de præſenti ſibi numerabitur; qui valor ſi erit æqualis, ſatisfactum ei erit iuxta regùlas iuſtitiæ.

Cùm autem dicitur, quòd quilibet magis æſtimat pecuniam præſentem, quàm futuram. dicitur, id non eo ſenſu intelligendum, quaſi etiam æſtimetur aliquis de præſenti valor, licèt minor, pecuniæ futuræ, talis enim æſtimatio falſa eſt; ſed quia futura pecunia nullum habet valorem, præſens autem habet; proinde idem eſt, ac ſi diceretur, magis æſtimari ens, quàm nihil; vel quia magis æſtimatur poſſeſſio rei, quàm ſpes de illa habenda, vel ius ad exigendam; quæ tamen ſpes, aut ius nullum habent de præſenti valorem pecunia æſtimabilem, ſed æſtimantur præcisè ex valore pecuniæ, de qua habentur.

Scio pro Propoſitione illud maximè afferri, quòd plus ſit habere rem ipſam, quàm ius ad illam leg. *Minùs* ff. de Regulis iuris; ſed mutuans tradit mutuatario ipſam pecuniam, ipſe

Digitized by Google

verò solùm retinet ius ad illam exigendam; ergo plus est, quod tradit, quàm quod retinet; ergo potest recipere plus eo, quod tradidit.

Reuera autem Argumentum nullius roboris est, immo absurdissimum. Vel enim volunt, ius ad exigendum habere de præsenti aliquem valorem pecuniæstimabilem, licèt minorem valore pecuniæ exigendæ; & tunc primò contractum mutui transferunt ad contractum quodammodo commutationis, quia tunc simul traderetur valor pecuniæ, & reciperetur valor iuris, & sic valor pecuniæ mutuatæ non expectaretur, saltem totaliter recipiendus in futurum, sed ex quadam parte reciperetur de præsenti, quod est contra rationem mutui. Secundò. Tunc mutuans semper, & ex natura mutui reciperet plusquam tradidit, quia, & in ipsa mutuatione reciperet valorem iuris ad exigendum, & postea totum valorem pecuniæ mutuatæ, puta, decem integra, quæ mutuauit, vt supra dicebamus. Ex quo maximè, vt etiam supra diximus, infringitur Propositio: ex eo enim sequitur, mutuantem, vt seruetur æqualitas inter datum, & receptum, non solùm pro decem traditis non posse recipere plusquam decem, sed neque ipsa decem, quia recepit valorem iuris ad exigendum, qui computandus est, atque adeo, si decem integra reciperet, plus reciperet, quàm tradidit. Quare insulsa prorsus argumentatio est: Mutuans, dum mutuat decem, recipit de præsenti valorem iuris ad exigendam suo tempore decem mutuata; ergo potest exigere plusquàm decem; cùm ex eo inferatur plusquam oppositum, idest, quod neque possit exigere integra decem; potior etiam ratio esset ad exigendum plusquam decem, si, cùm ea tradidit, nihil valoris recepisset. Si autem nolunt, ipsum ius habere de præsenti aliquem valorem pecunia æstimabilem; quæ argumentatio est: Mutuans decem nullum valorem pecunia æstimabilem recipit, dum mutuat; ergo potest exigere plusquam decem? Etenim in hoc ipso consistit ratio mutui, vt tradatur pecunia præsens expectanda in futurum nullo valore accepto de præsenti, & propter hoc mutuans dicitur charitatem exercere, & beneficium conferre mutuatario. Quòd, si propter hoc ipsum dicatur, mutuantem posse recipere plusquam dedit, iam mutuum reducetur ad mercaturam, idest, ad contractum emptionis propter lucrum, minori, scilicet, valore pecuniæ emendo maiorem; adeoque destruetur in sui natura, & nulla charitas erit in mutuante, nullum beneficium præstabitur mutuatario, & per consequens nul-

Digitized by Google

nullum in hoc reſultabit debitum gratitudinis erga mutuantem. Quamuis ergo plus ſit habere rem ipſam, quàm ius ad illam, non tamen ſequitur, quòd mutuans decem poſſit exigere pluſquam decem, quia æqualitas dati, & accepti in mutuo non eſt attendenda ſecundùm valorem pecuniæ traditæ, & valorem iuris ad eam exigendam, qui recipitur, vel habetur, cùm pecunia mutuatur, qui valor nullus eſt, vel, ſi eſt, debet computari in reſtitutione ſortis, atque adeo hęc non debet integra reſtitui; ſed attenda eſt in valore pecuniæ traditæ, & reſtituendæ, atque adeo, cùm reſtituitur æqualis, ſatisfactum eſt mutuo, & mutuanti.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXVIII.

Contra Propositionem XLII.

Vsura non est, dum vltra sortem aliquid exigitur tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 HÆC Propositio in eo falsa est, quòd admittit, posse exigi, quod ex beneuolentia tantùm, & gratitudine debetur: exactio enim supponit obligationem ciuilem, quæ est ex iustitia; quare potest quidem recipi, quod debetur ex beneuolentia, & gratitudine, minimè verò exigi; iam enim esset debitum ex iustitia.

Totum hoc breuiter, & dilucidè docuit D. Thom. 22. qu. 78. art. 2. ad secundum: *Recompensatio*, inquit, *alicuius beneficij dupliciter fieri potest; vno quidem modo ex debito iustitiæ, ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest; & hoc debitum attenditur secundùm quantitatem beneficij, quod quis accepit. Et ideo ille, qui accepit mutuum pecuniæ, vel cuiuscumque similis rei, cuius vsus est eius consumptio, non tenetur ad plus recompensandum, quàm mutuò accepit: vnde contra iustitiam est, si ad plùs reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompensandum beneficium ex debito amicitiæ, in quo magis consideratur affectus, ex quo aliquis beneficium contulit, quàm quantitas eius, quod fecit; & tali debito non competit ciuilis obligatio, per quã inducitur quædam necessitas, vt non spontanea recompẽsatio fiat.*

2. Ex

Digitized by Google

2. Ex qua doctrina responderi potest Argumento, quod sit pro Propositione. Non est illicitum obligari quemquam ciuiliter ad id, ad quod naturali iure tenetur, sed mutuatarius naturali iure tenetur ad gratitudinem erga mutuantem; ergo potest ad eam obligari ciuiliter.

Respondetur, inquam, quòd Maior est falsa, quando debitum naturale est debitum beneuolentiæ; ad hoc enim extendi non potest obligatio ciuilis, quę respicit debitum ex iustitia, tollitque gratuitam recompensationem imponendo necessitatem. Addendum est, quòd debitum gratitudinis non est ad dandum vltra sortem, sed ad exhibendam beneuolentiam, & beneficentiam mutuanti in suis necessitatibus, præcipuè ad mutuò erogandam pecuniam, si ille indiguerit; quare non potest mutuatarius obligari ciuiliter ad dandum vltra sortem. Tertiò; quòd amor non est pecunia æstimabilis, sed solo amore recompensabilis; quare non potest mutuatarius obligari ciuiliter ad recompensandam pecunia, vel alio bono externo beneuolentiam mutuantis erga se.

Cęterùm etiam recipere vltra sortem tamquàm ex gratitudine, si vsuræ speciem, vel suspicionem referat, mala est, & vitanda tamquam scandalosa.



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXIX.

Contra Propoſit. XLIII. & XLIV.

Quidni non niſi veniale ſit, detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falso crimine elidere?

Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam defendat; & ſic hoc non ſit probabile, vix vlla erit Opinio probabilis in Theologia.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 HÆ Propoſitiones contendunt, peccatum, aliàs mortale euadere veniale, ſi fiat ob ſui defenſionem; admittunt enim, immo ſupponunt, eſſe mortalem impoſitionem falſi criminis; ſed dicunt euadere venialem, quando fit ad elidendam magnam authoritatem detrahentis ſibi noxiam, ſeu, ad defendendam ſuam iuſtitiam. Et hoc non tamquam certum, ſed tantùm, vt probabile efferunt.

Quòd igitur illa impoſitio mortalis ſit, etiam cùm ex illo fine fit, Probatur primò. Quia leſio grauis famę proximi mortalis eſt ex natura ſua, vt pote graviter oppoſita præcepto charitatis: ſed impoſitio falſi criminis eſt leſio grauis famę proximi; crimen enim deno-

Digitized by Google

denotat peccatum, ſeu delictum graue, non leue; dicitur enim Titi 1. 9.: *Oportet Epſcopum ſine crimine eſſe*, & tamen nullius vita ſine leuibus peccatis traduci poteſt, vt oſtendit Auguſtinus de Perfectione Iuſtitiæ, præcipuè cap. 17., neq; elideretur authoritas magna detrahentis ad propriam iuſtitiam defendendam, ſi leue peccatum ei imponatur; ergo ea impoſitio mortalis eſt ex natura ſua; ſed malitia ex natura ſua inhęrens actui non poetſt abeo auferri per relationem ad bonum finem, immo nullo modo, niſi auferatur ab eo ſui natura; ergo &c.

2. Fortè dicetur, quòd licèt ex relatione ad bonum finem non poſſit tolli ab actu malitia, quæ ei ineſt ex ſui natura, poteſt tamen diminui, vt de mortali euadat venialis.

Sed hoc abſurdè dicitur: ſi enim minui poteſt, quare non etiam tolli? Et ſi non poteſt tolli, quomodo poteſt minui? Naturæ enim rerum, nec tolli poſſunt, nec minui. Ideo non poteſt tolli, quia actus natura ſua opponitur legi; ideo autē grauis, ſeu mortalis eſt, quia actus grauis eſt; ſed relatio ad bonū finē, nec tollit oppoſitionē illā, nec minuit grauitatē actus; ergo, &c. Quod ergo dicit Apoſtolus Rom. 6. non eſſe facienda mala, vt inde eueniant bona, etiam eo ſenſu intelligendum eſt, quòd neque ex fine bono minuatur grauitas mali, ſaltim quando tale eſt ex ſui natura.

Fortè adhuc dicetur: Minui grauitatem malitiæ nō quidem precisè ex bonitate finis, ad quem actus refertur, ſed ex neceſſitate finis, ideſt, propriæ defenſionis, ad quam ille aſſumitur, vt medium.

3. Sed hoc eſt abſurdius. Primò enim non ſoluitur ratio, quòd bonitas, vel neceſſitas finis non tollit, neque malitiam, neque grauitatem naturalem actus. Secundò. Si actus natura ſua malus eſt, nulla eſt neceſſitas illum faciendi, quia nulla eſt neceſſitas peccandi: cùm omnia toleranda ſint, ne fiat peccatū. Tertiò. Mendacium non amittit malitiam, etiam ſi dicatur ad ſeruandam vitam propriam, vel alterius, vt docet Auguſtinus lib. contra Mendacium, eò quia natura ſua malum eſt; ergo impoſitio falſi criminis non amittit malitiam ſuam mortalem, etiam ſi aſſumatur vt medium ad defendendam propriam iuſtitiam, quia natura ſua mortalis eſt. Quartò. Defenſio quamuis licita, non tamen eſt neceſſaria; quia poteſt quiſque renuntiare iuri ſuo, & pati iniuriam, vel in pœnam culparum ſuarum, vel in imitationem patientiæ Chriſti, vel ob charitatem proximi; ergo nulla eſt neceſſitas defen-

den-

Digitized by Google

dendi propriam iustitiam per impositionem falsi criminis in offensorem.

Probatur secundò. Mortalis est occisio inuadentis, quando non euenit ex accidentibus pugnæ præter intentionem se defendentis, sed ex immoderata defensione, seu ex ardore vindictæ, cap. *Si verò* de sententia Excommunicationis, & cap. *Significasti* il 2. de Homicidio. Sed impositio falsi criminis in detrahentem, vel nostram iustitiam oppugnantem, non est necessaria ad defensionem; sufficit enim negare, quod opponitur, & per testes, vel alia documenta probare innocentiam, tuerique iustitiam; ergo ea est immoderata defensio ortum habens ex ardore vindictæ, & cum graui proximi damno; ergo est mortalis.

4. Probatur tertiò. Ius, quo in aliquo casu licet nobis, vel facere, vel non facere aliquid, ad quod aliàs tenemur sub mortali, non tantùm præstat, vt non peccemus mortaliter, sed etiam, vt simus omnino immunes a peccato. Patet; quia ius tuendæ valetudinis præstat, vt sine vllo peccato comedamus carnes in iis diebus, quibus aliàs sine mortali eas edere non possumus, & innumera similia adsunt; ergo, si ius tuendæ famæ, vel iustitiæ præstat, vt possimus impositione falsi criminis ea defendere, immunes nos reddet etiam a culpa veniali: at hoc est falsum etiam iuxta Authores Propositionis, ergo non datur tale ius. Et certè quale ius est, quo sine peccato vti non possumus? Sed de hac re, quòd, scilicet, numquam actus mortalis possit euadere venialis ex concursu vllius præcepti, vel iuris, vel circumstantiæ, sed quòd, vel omnino ille absoluitur a peccato, vel relinquitur in sui malitia, plura dicemus infra Propositione 51. & diximus supra Propositione 5.

Illud superest notandum, quòd Propositio 43. adeo grauem putat detractionis malitiam, vt pro ea elidenda asserat, sub culpa veniali tantùm imponi falsum crimen detrahenti. At impositio falsi criminis sine dubio detractio est; quomodo ergo in vno est grauis, in alio leuis? An quia ille ingerit hic regerit? At detractio in re graui ex natura sua mortalis est, atque adeo a quocumque, & quocumque fine fiat. Ergo Authores Propositionis ad illud Terentii respexerunt in Eunucho: *Par pari referto, quòd eam mordeat*, non ad illud 1. Petri. 3. 9.: *Non reddentes malum pro malo*, nec ad illud Pauli Rom. 12. 17.: *Nulli malum pro malo reddentes*, & 1. Thessalon. 5. 15. *Videte, ne quis malum pro malo reddat*.

Pro-

Digitized by Google

Propoſitio 44. nec vt probabilis defendi poteſt; quia, vt probabilis tantùm aſſeritur, & tamen damnatur. Ad illud vero, quòd ſi ipſa non ſit probabilis, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia, reponit Schola Louanienſis in Cenſura: *Nec vmbram quidem præfert probabilitatis, ſed cumulum complet temeritatis.* Et certè non poteſt eſſe probabile, quod opponitur certo, nam, quod certo opponitur, eo ipſo improbabile eſt; ſed certum eſt, impoſitionem falſi criminis eſſe peccatum mortale, etiam ſi fiat ob ſui defenſionem, vt patere poteſt per Argumenta adducta; ergo oppoſitum non eſt probabile, cum opponatur non alteri probabili, ſed certo.

Digitized by Google

DISPVTATIO XL.

Contra Propoſit. XLV. & XLVI.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita recompenſatio pro ſpirituali, aut e contra.

Et id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immo, etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 QVIA duę iſtę Propoſitiones conueniunt in principali aſſerto, licèt ſecunda aliquid addat ſupra primam, contra ambas vna inſtituitur Diſputatio.

De eis ita cenſet Schola Louanienſis in Cenſura 4. Maii anno 1657.: *Varię iſtæ formalitates, vt plurimùm pallia ſunt latentis ſimoniæ; & quamuis fieri ſubinde poſſit, vt nulla propriè dicta ſimoniæ labes ſubſit, tamen ſubſunt ſordes ſimoniæ affines.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc Cenſura, nec eſt ſufficiens, nec exacta. Non ſufficiens: quia dum Propoſitiones illæ damnantur in ſuis terminis, conſequenter definitur, contradictorium earum eſſe verum; ſed illæ dicunt, non eſſe ſimoniacum dare temporale tamquam motiuum cõferendi, vel efficiendi ſpirituale; ergo definitur, quòd illud ſit ſimoniacum. Sed Cenſura dicit, poſſe fieri, vt nulla in eo ſit propriè dicta ſimoniæ labes; ergo non ſufficienter oſtendit falſitatem Propoſitionum, nec ſatisfacit Decreto Pontificis. Non exacta; quia non explicat, quomodo ſubinde fieri poſſit, vt nulla in eo adſit propriè dicta ſimoniæ labes; nec quæ ſordes Simoniæ affines, aut qua ratione ſubſint. Itaque iuxta hanc Cenſuram Propoſitiones illę potiùs inſimulantur tamquam captioſæ, vel periculoſę, quàm iudicentur falſę. Pro oſtendenda igitur falſitate earum, & ſcandalo, ac pernicie, quam inferunt animabus (quo titulo damnatę ſunt) primò demonſtrandum eſt, quàm inaniter producatur diſtinctio illa motiui, & pretii, in qua fundantur.

2. Motiuum, & pretium non diſtinguuntur vniuerſaliter; nam ipſum pretium poteſt eſſe motiuum, vt patet in vendentibus, vel locantibus res, aut opera ſua. Ipſe quoque, qui ſecundùm Propoſitionem eſt ſimoniacus, ideſt, qui dat, vel accipit temporale tamquam pretium rei ſpiritualis, habet pretium pro motiuo conferendi, vel efficiendi ſpirituale. Diſtinguitur igitur motiuum a pretio, tamquam magis vniuerſale a minùs, quia non omne motiuum eſt pretium, vt, cùm aliquid fit ad obtinendam gloriam apud Deum, vel homines, vel ad promerendam gratiam, & honorem: omne autem pretium eſt motiuum. Igitur pretium addit ſupra purum motiuum proportionem in valore ad eam rem, pro qua datur; etenim diſtinguitur pretium in iuſtum, & iniuſtum, ſecundùm quòd, vel aſſequitur, vel non valorem rei, vel illum excedit, vt patet ex Philoſopho 5. Ethic. cap. 7., & ex communi hominum ſenſu. Qui ibidem cap. 8. dicit, pecuniam, quę eſt pretium, eſſe menſuram omnium rerum, quia, ſcilicet, valore ſuo adequare poteſt valorem omnium rerum: nec eſt alia ratio diſtinguendi motiuum a pretio, quę tamen Propoſitio ipſa diſtinguit.

Ergo, ſi ad Simoniam requiritur, vt temporale detur tamquam pretium rei ſpiritualis, requiritur, vt temporale, & ſpirituale æſtimentur tamquam proportionabilia in valore, & conſequenter, quòd aliquod tẽporale æſtimetur equale in valore rei ſpirituali, aliquod etiam ſuperiùs.

3. Hęc autem eſtimatio in nullum fidelem, aut ſanę mitis ca-

Digitized by Google

dere potest. Nam in ipsis naturalibus, nec amor, nec sapientia, nec vita corporis pretio æstimari potest: sed ille solo amore compensatur, vt dici solet; sapientia verò nec auro pretiosissimo, nec gemmis comparatur, vt dicitur Sapientiæ 7., & Iob 28., & alibi pluries in Diuinis litteris; & quamuis Sapientiæ Doctoribus stipendia dentur, non tamen dantur pro pretio doctrinę, sed pro substentatione vitę, vel mercede laborum, vt ait D. Thom. 22. qu. 100. art. 3. ad 3. Quòd verò vita hominis nullo pretio sit comparabilis, facilè patet considerantibus, quòd amissa vita, nil prosunt quæcumque bona. Si ergo nec ista bona naturalia pretio æstimari possunt, quantò minùs supernaturalia bona a Christo donata, Sacramenta, Charismata, potestates spirituales in ordine ad æternæ gloriæ consequutionem? Ipse Simon non videtur iudicasse, potestatem dandi Spiritum Sanctum esse pecunia æstimabilem, licèt pro ea habenda pecuniam obtulerit Apostolis. Erat enim fidelis, vt dicitur Actuum 8., & stupebat de ea potestate, cæterisque prodigiis, quæ fiebant per Apostolos; non fuisset autem obiectum stuporis res, seu facultas, quæ æstimata fuisset pecunia compensabilis. Quare obtulit pecuniam, non tamquam pretium illius potestatis, sed ad illiciendos Apostolos, vt eam sibi communicarent, atque adeo tamquam motiuum. Similiter, & Giezi non tamquam pretium curationis a lepra accepit pecuniam a Naaman Syro, quia nec pro illa curatione petiit, immo tamquam pro necessitate Elisęi, qui hospites exceperat. Itaque illa curatio tantùm spem accipiendi, vel motiuum petendi tribuit. Et tamen illi Simoniacorum sunt Authores, in quos, vel nomen transmiserunt, vel prauitatem. Ergo non requiritur ad Simoniam, vt temporale detur tamquam pretium rei spiritualis, sed sufficit, si detur tamquam motiuum ad alliciendum collatorem, vel effectorem: aliter nullus posset esse simoniacus, nisi vel hęreticus, vel stultus.

4. Fortiùs autem. Id detestatus est in Simone Apostolus Petrus, quòd æstimasset, donum Dei pecunia possideri; vt patet Actuum 8. Sed hęc æstimatio adest, etiam cùm temporale datur pro simplici motiuo collationis, vel efficientię rei spiritualis, quia etiam tunc intenditur acquisitio, & possessio rei spiritualis per temporale; ergo idipsum damnandum est, vt simoniacum. Aliter per iura inhibentia Simoniam tantùm doceremur, spiritualia non esse æstimanda proportionabilia secundùm valorem cum temporalibus, vel ad summum inhiberetur talis æstimatio, non vero inhiberetur acquisitio spiritualium per temporalia, vel eorum collatio, siue efficien-

Digitized by Google

cientia propter temporalia, neque voluntas his modis, ſeu viis acquirendi ſpiritualia, & per conſequens non euitarentur mala, quæ ex huiuſmodi prauitate voluntatis, & operum oriri poſſunt, & ſolent. Perinde enim illa mala oriuntur, ſiue temporale detur pro pretio rei ſpiritualis, ſiue pro motiuo, & perinde vigent ambitio, queſtus, & auaritia, quę in Simone exhorruit Petrus, vt Vrbanus Papa dicit; id quod de ſe patet. At iura illam voluntatem, ſiue affectum maximè deteſtantur, & illa mala auertere ſatagunt; ergo damnant vt ſimoniacum etiam dare temporale prò ſimplici motiuo conferendæ, vel efficiendæ rei ſpiritualis.

Hic dicitur: Simonia definitur: voluntas emendi, vel vendendi ſpirituale, toto Titulo de Simonia, tota inſuper cauſa prima, & ex D. Thom. 22. qu. 100.; immo per Simoniam dicitur vendi Spiritum Sanctũ, ideoque Simoniacos peiores eſſe Macedonianis hęreticis, nam illi Spiritum Sanctum creaturam dicebant, hi verò vendunt, cap. *Eos* 1. q. 1.; ſed venditio, & emptio non eſt, niſi cùm pecunia traditur, & accipitur tamquam pretium rei; ergo neque ſimonia.

Reſpondetur, ly *Vendi, & emi,* in Simonia non eſſe accipienda ſtrictè, & propriè, ſed ęquiualenter, ſeu virtualiter: quis enim neſciat, Spiritum Sanctum nec emi, nec vendi poſſe? Hinc Vrbanus Secundus cap. *Saluator* 1. q. 3. ait, Apoſtolum Petrum in Simone non emptionẽ Spiritus Sancti, quam benè fieri non poſſe nouerat, ſed ambitionem quæſtus, & auaritiam exhorruiſſe, & maledictionis iaculo perfodiſſe. Dicitur ergo, per ſimoniam vendi Spiritum Sanctum, quia tractatur tamquam vendibilis eò ipſo, quò pro eo habendo, vel dando pecunia datur, vel accipitur, etiam ſi non adſit error in intellectu, quo putetur vendibilis, qui error impoſſibilis eſt in cognoſcente, vel tenuiſſimè, quid ſit Spiritus Sanctus: commutatur enim tunc pro pecunia, ſicut commutantur res vendibiles; ergo ęquiualenter venditur, & emitur; & ita res ſpiritualis, quæ eſt donum eius. Iudas dicitur vendidiſſe Chriſtum Iudęis; nec tamen ad hoc verificandum neceſſe eſt, vt Iudas falſam, ſtultamque opinionem habuerit, vitam Chriſti eſſe æſtimabilem pretio; eamque fortè ipſe non habuit, cùm nullius vita hominis ſit pretio ęſtimabilis: ſimiliter nec de Sacerdotibus, qui pecuniam illi tradiderunt, neceſſe eſt credere, quòd illum errorem habuerint; ſed eo ipſo, quo Iudas pecuniam popoſcit, & accepit, vt Chriſtum traderet, & illi dederunt, vt haberent, dicitur ille Chriſtum vendidiſſe, hi verò emiſſe; & ſic diceretur de quocumque homine, qui propter

Digitized by Google

pter pecuniam proderet amicum; quia eo ipso commutatur homo pro pecunia, adeoque tractatur, vt vendibilis. Augustinus, quia Rhetoricam sub mercede docuit, dicit, se victoriosam loquacitatem victum cupiditate vendidisse 4. Conf. cap. 2. nec tamen putandum est, Augustinum nescisse, artes liberales non esse pretio æstimabiles, quod stultum esset opinari; sed ita loquutus est, quia intuitu mercedis eam docuit, quasi commutans artem cum pecunia, ac per hoc facto ipso eam tamquam vendibilem tractans. Ergo, vt indignum, & sacrilegum sit dare, vel accipere pecuniam pro spirituali non est necesse, vt spirituale æstimetur pecunia compensabile, adeoq; nec vt pecunia detur, vel accipiatur tamquam propriè, & stricte pretium; sed sufficit, vt commutetur pecunia: hoc enim ex se indignissimum est, & æquiualenter, seu virtualiter illud emere, & vendere; & in hoc sensu simonia dicitur voluntas emendi, vel vendendi spirituale.

Quandocumque igitur datur, vel accipitur temporale pro spirituali, & non ob substentationem ministri, aut titulo eleemosyne, vel oblationis, vel liberalitatis, vel gratitudinis, sed pro ipsa collatione, vel efficientia rei spiritualis, tunc rectè dicitur, emi, & vendi spirituale, vel Spiritum Sanctum, quia donum eius tractatur tamquam pecunia, siue alia re temporali æstimabile, & compensabile, siquidem commutatur vnum pro alio, quod fit in venditione, & emptione, tuncq; spirituale non datur gratis, vt præcipit Christus Matth. 10. 8.; atque id dicitur cap. *Res Ecclesiæ* 1. q. 3. & cap. *Saluator* ibidem, & alibi. Atq; hęc sit prima ratiocinatio contra Propositionem.

5. Secunda sit. Etiam cùm accipitur temporale, vt purum motiuum collationis, vel efficientię rei spiritualis, hæc res ordinatur ad temporale tamquam medium ad finem adęquatum, vel principalem, ac proinde minùs æstimatur, quàm temporale; nam finis adæquatus, vel principalis semper magis æstimatur, quã media ad ipsum 2. Physic. text. 21., & 30.; sed peruersum est præferre temporalia spiritualibus; ergo, &c. Maior patet. Nam motiuum, & finis idem sunt; ad id quippe terminatur actio, quod mouet ad agendum; inde dicitur, quòd omnis actio est inter finem, & finem, scilicet, finem in intentione, & finem in exequutione; finis autem in intentione mouet ad agendum. Satis insuper patet, quòd efficiens, vel conferens spirituale, vt accipiat temporale, habet pro fine adæquato, vel principali illius efficientiæ, vel collationis ipsum temporale; finis enim est, cuius gratia aliquid fit.

Ter-

Digitized by Google

Tertia ſit. Quia dare, immo conſentire, vt detur temporale, ad remouenda impedimenta pro conſequutione rei ſpiritualis, ſimoniacum eſt; ergo a fortiori dare illud directè, & immediatè, vt conferatur, vel efficiatur ſpirituale. Antecedens probatur ex cap. *Matthæus* de Simonia, vbi dicitur, dimittendum eſſe regimen Eccleſiæ, pro cuius acquiſitione quis conſenſit, dari per amicos munera contradicentibus, vt a contradictione deſiſterent. Si ergo, cùm munera data non ſunt, vt pretium rei ſpiritualis, immo neque vt motiuum collationis eius, ſed tantùm ad retinendos contradictores, conſenſus in eam donationem, non ſolùm ipſa donatio ſimoniaca ſunt, adeo vt dimittendum iudicetur regimen Eccleſiæ tamquam Simoniacè acquiſitum; quantò magis, cùm data ſunt pro motiuo conferendi, vel efficiendi ſpirituale?

5. Quarta ratio ſit ex capit. *Tua nos* eodem titulo, vbi Clericus offerens bona ſua Eccleſiæ, cum conditione, vt recipiatur in Canonicum, eademque pro ſua præbenda retineat, decernitur ſimoniacus, & ipſe, & ipſum recipientes; Nec poteſt ſupponi, illa bona oblata eſſe tamquam pretium Canonicatus; quia de illa oblatione, et receptione conſultus fuit Summus Pontifex, an eſſet ſimoniaca; non fuiſſet autem conſulendus, ſi illa bona oblata eſſent, ac recepta pro pretio Canonicatus; quis enim ignorare, aut dubitare potuiſſet, illud eſſe ſimoniacum? Patet magis id ex iis, quæ Pontifex ſubdit: ait enim, quòd ſi Clericus talia bona offerat ſine vllo pacto, & conditione humiliter rogans, recipi in Canonicum, & Clerici eiuſdem Eccleſiæ purè conſentiant, huiuſmodi receptio fieri poterit abſque ſimoniaca prauitate. *Quòd, ſi is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, vt per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci; & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri, ſine dubio tam ille, quàm iſti apud diſtrictum iudicem culpabiles reperiuntur.*

Ecce hic clariſſimè definitur, ad Simoniam ſufficere, vt habeatur intentio acquirendi ſpirituale per temporale; ac proinde ſufficit, habere temporale tamquam motiuum efficiendi, vel conferendi ſpirituale; ſed voluntas ſimoniaca eſt voluntas emendi, vel vendendi ſpirituale; ergo ſufficit ad emptionem, vel venditionem eius dare temporale, vt motiuum collationis, vel efficientiæ rei ſpiritualis, quod ſupra dicebamus.

Verùm, quia ſecunda Propoſitio ex ſuprapoſitis dicit, non eſſe ſimoniacum dare temporale pro collatione, ſiue efficientia rei ſpi-

Digitized by Google

spiritualis, etiam si temporale sit principale motiuum conferendi spirituale, fert necessitatem disputandi: An sit simoniacum illud habere pro motiuo, siue fine non quidem principali, sed secundario; nam, quòd simoniacum sit habere illud pro fine, siue motiuo principali, iam probatum est.

CAPVT II.

An sit simoniacum habere temporale pro fine secundario rei spiritualis.

1. IN qua difficultate sententia est plurium, maximè Recentiorum, illud non esse simoniacum; quia licet, inquiunt, flectere oculum siniſtrum ad terram, ideſt, temporalia emolumenta, modò oculus dexter, ideſt, principalis intentio sit directus ad Cælum. Sic dicunt de Concionatore intendente secundariò ex suis cõcionibus bona temporalia: sic de Sacerdote intendente pro celebratione eleemosynam: sic de coniuge intendente secundariò in copula voluptatem, quòd, scilicet, non peccent.

2. Hic censeo distinguendum: vel enim illud motiuum, siue finis ita respicitur, licèt secundariò, vt sine ipso non efficeretur, vel conferretur spirituale; vel ita, vt sine ipso adhuc efficeretur. In primo casu puto committi Simoniam; in secundo minimè.

Primum patet ex cap. *Tua nos* de Simonia supra relato; vbi Pontifex declarat simoniacũ esse, ea intentione recipere bona temporalia pro acceptatione alterius in Canonicum, vt non acceptaretur, si illa bona non reciperentur.

Probatur etiam ratione: Quia tunc ille finis, licèt dicatur secundarius, tamen virtute sua tamquam causa principalis partialis mouet voluntatem, completque virtutem alterius motiui, quod solum non mouebat; ergo existimatione, & affectu voluntatis locatur in eodẽ ordine cum motiuo, seu fine spirituali; ergo tũc fit iniuria rei spirituali,, & quodammodo venditur, quia commutatur cũ temporali. Nec sufficit, si dicatur, finem spiritualem magis mouere; nam, si ille non trahit ad effectum sine fine temporali, sequitur, quòd hic etiam moueat ad faciendum simpliciter, atq; adeo sit causa principalis simpliciter, & in eodem ordine causę, vel causalitatis cum fine spirituali; peruersum est autem, & contra dignitatem rei spiri-

Digitized by Google

ſpiritualis habere illam in eodem ordine cum re temporali; ergo, &c.

3. Probatur ſecundò. Quia ita colere Deum pro bonis temporalibus, vt aliàs non coleretur, peruerſum eſt, atque peccaminoſum; ideoque Iob crimini datum a Satana, Iob. 1.; ergo etiam ita intendere bonum temporale in efficientia ſpiritualis, vt ſine illo non efficeretur: ſicut enim ibi fit iniuria Deo, ita hic rei ſpirituali; cumque maximè exhibeatur cultus Deo per miniſteria ſpiritualia, nolle exibere illa, niſi dentur temporalia, eſt nolle colere Deum, niſi dentur bona temporalia. Satis autem patere poteſt, iniuriam fieri rei ſpirituali, cùm, vel non æſtimatur digna, quæ fiat, vel non afficimur ad eam faciendam, niſi accedente emolumento temporali. Immo tunc intenditur acquiſitio rei temporalis per ſpiritualem, vel e contra, quæ eſt ipſiſſima Simonia.

Probatur tertiò. Quia tunc ſpirituale non datur gratis, nec habetur intentiò dandi illud gratis, contra præceptum Chriſti Domini Matth. 8.

Secundum verò probatur. Quia, ſi actio fieret, etiam non exiſtente illo fine, ſiue bono temporali, iam actio non ordinatur ad ipſum ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundùm quid, ideſt, tantùm libentiùs fit propter ipſum. Hoc autem non tollit dignitatem, vel excellentiam ſpiritualis rei ſupra temporalem. Non enim tollitur dignitas Sacramentorum, eo quia efficiantur inſtrumentaliter per cauſas corporeas, licèt hæc concurrant ad ſimpliciter fieri eorum; ſufficit enim, quòd cauſa principalis ſit Deus; ergo non tollitur dignitas rei ſpiritualis, eo quia ſolummodò libentiùs fiat propter bonum temporale: ſufficit enim, quòd ſimpliciter, & abſolutè fiat propter ſpirituale. Probatur Conſequentia. Quia cùm quælibet res habens cauſam finalem, habeat, & efficientem, a qua ordinatur in finem (hinc Deus nec efficiens, nec finem habet) nobilitas, vel ignobilitas rei ab vtraque cauſa deſumenda eſt; ergo, ſi ignobilitas efficientis inſtrumentalis non inficit nobilitatem rei, neque ignobilitas finis ſecundarii, qui tantùm mouet ad libentiùs faciendum.

4. Probatur tertiò. Quia tunc non venditur res ſpiritualis: quod enim venditur non daretur ſine pretio; ſed illud opus fieret, etiam ſi nullum reſultaret bonum temporale; ergo non venditur, aut commutarur pro bono temporali.

Probatur quartò. Quia nullus, vt arbitror, dicet, peccaſſe Conſtantinum Magnum, qui ex baptiſmo non tantùm animæ ſa-

Digitized by Google

lutem, sed etiam curationem a lepra quæsiuit; ad id enim etiam monitis cælestibus directus est: qui tamen sine dubio peccasset, si baptismum suscipere noluisset, nisi etiam curaretur a lepra. Aut dicet, peccare infirmos, qui Sacramentum extremæ vnctionis suscipiunt non tantum pro remissione peccatorum, sed etiam pro liberatione a morbo, quam virtute illius Sacramenti aliquando tribui, dicit Glosa in cap. 5. Iacobi; qui tamen peccarent, si renuerent illud Sacramentum recipere, nisi liberarentur a morbo. Rursus. Non peccabant Hebræi, qui etiam intuitu pacis, libertatis, securitatis ab hostibus, & affluentiæ bonorum temporalium permanebāt in cultu vnius Dei; nam, vt pro hoc fine in illo cultu permanerent sæpissimè illis suggerebatur a Deo, qui etiam comminabatur mala contraria, si in idololatriam laberentur. Non peccat quisquis eo etiam fine colit virtutes, vt curas, angores, dolores, damna euitet, quæ ex passionibus non cohibitis, & ex natura vitiorum oriri solent; nam etiam ex hoc capite solent Patres, & Concionatores suadere fugam vitiorum, cultumque virtutum.

2. Contra hoc obiici potest; quia etiā tūc videtur indignè, & iniuriosè tractari res spirituales, dum, licèt secūdariò, fit propter tēporale: finis.n. propter quem fit, sēper magis æstimatur, quàm id, quod propter ipsū fit. Videtur etiam non fieri gratis; quia non gratis fit, quod saltim secūdariò propter bonū tēporale fit. Rursus; cùm adhibetur medium malum ad finē malum, ibi non tantùm est peccatum in intentione finis, sed etiā in vsu medii, immo etiā si finis sit bonus, peccatum est in vsu talis medii: & tamen medium est volitum secundariò, quia ratione finis, non sui ipsius; immò minùs volitum, quàm finis secundarius; semper enim quod est volitum per se ipsum est magis volitum, quàm id, quod est volitum propter aliud; sed finis etiam secundarius est volitus propter se; ergo magis, quàm medium, quod est volitum propter aliud; ergo, si peccatum est adhibere malum medium ad finem etiam bonum, peccatum erit habere finem malum etiam secundarium: absolutè autē habere bonum temporale pro fine rei, vel actionis spiritualis malum est; nec ex eo, quia bonum temporale sit finis secundarius, cadit a ratione finis; ergo malum est habere illud etiam pro fine secundario. Tamdem: copula coniugalis habens pro fine secundario delectationem veneream non est absoluenda a peccato, sicut neque comestio habens pro fine secundario delectationem; semper enim malum est habere delectationem sensibilem pro fine; est enim viuere secundùm carnem, non secundùm spiritum: facta autem carnis spiritu mortifi-

Digitized by Google

tificanda ſunt, non intendenda ſimul cum ſpiritualibus: aliter homini liceret viuere primariò ſecundùm ſpiritum, ſecundariò ſecundùm carnem, ideſt, primariò ex diſciplina Chriſti, ſecundariò ex diſciplina Epicureorum; quod non tantùm falſum, & abſurdum, ſed etiam impoſſibile eſt, cùm ſpiritus concupiſcat aduersùs carnem, caro autem aduersùs ſpiritum, et ſpiritu, vt dictum eſt, facta carnis mortificanda ſint, vt viuamus, Roman. 8.; ergo non licitè intenditur bonum temporale pro fine ſecundario in collatione rei ſpiritualis.

Reſpondetur, quòd, dum ita fit ſpirituale propter temporale, vt etiam ſine hoc illud fieret, tunc temporale non æſtimatur magis, immo, nec æquè, ac ſpirituale, ſed tantùm magis æſtimatur ſpirituale, ac temporale ſimul, quàm ſpirituale dumtaxat; quę eſtimatio recta eſt, nec iniurioſa rei ſpirituali. Si enim adhuc ſine temporali fieret opus ſpirituale, tunc opus non fit abſolutè propter illud, ſed tantùm extenditur etiam ad illud, fitque libentiùs; hoc autem, vt patet, non eſt præferre, immo, neque æquare temporale ſpirituali, ſed tantùm magis æſtimare vtrumque, quàm ſpirituale tantùm.

Ad ſecundum dicitur, quòd finis ſecundarius, quando ita intenditur, vt ſine ipſo adhuc fieret opus, cadit ab ea ratione finis, qua hic magis æſtimatur, quàm opus ad ipſum ordinatum; tunc enim ipſe ſolus non eſt finis, ſed cõcurrit ad eãdẽ rationem finis cum primario, tamquam illi accedens, & ideo opus non fit abſolutè propter ipſum, ſed tãtùm libentiùs; & potiùs magis tũc æſtimatur opus ipſum, quia ex eo bonum non ſolùm ſpirituale, ſed & temporale euenire poteſt, quàm ſolùm bonum temporale magis æſtimetur ipſo opere ſpirituali.

2. Ad Tertium, admiſſo Antecedenti, negatur Conſequentia: nam intendere voluptatem ſenſibilem tamquam finem, etiam ſecundarium, malum eſt, quia voluntas debet intendere honeſtatem, vt viuamus ſecundùm ſpiritum, ideſt, ſecundùm rationem, cuius bonũ eſt honeſtas; ideo voluptas tantùm permitti debet, nõ intendi. Hinc omnis ſobrius, omniſque amator ſpiritualis boni deſiderat, vel nullam adeſſe voluptatem in comeſtione, & copula, vel ſaltem non mordacem, aut magnam, vt ait Auguſtinus 4. contra Iulianum cap. 24., ipſique ſæculares Philoſophi dixerunt, voluptatem eſſe magnam hominum peſtem, quos retulimus in Diſput. contra 9. Propoſitionem. At intendere bona temporalia non eſt malum, quando non intenduntur ad malum finem, nec via, vel modo illi-

Digitized by Google

licito; sunt enim necessaria pro substentatione vitæ, & vtilia ad multa opera honestatis, ac pietatis: non est autem nec via, nec modus illicitus intendere ea ex opere spirituali tamquam finem secundarium modo explicato; ergo Consequentia, siue paritas nulla est.

3. Contra primum etiam nostrum dictum argui potest. Quia, si Sacerdos alias non celebraturus, inducatur ad celebrandum precibus amici, vel propter aduentum Principis, aut Episcopi, non peccat, tamquam referens sacrum ministerium ad gratiam hominum, proindeque indignè, ac iniuriosè illud tractans; ergo etsi bonum temporale ita respiciatur, vt sine eo non fieret opus spirituale, nullum peccatum est; dummodo respiciatur, vt finis secundarius.

Respondetur primò, etsi Missa illa celebrata non esset, nisi accessisset amicus, vel Princeps, non rectè inferri, esse relatam ad gratiam hominum; potuit enim referri ad bonum spirituale ipsorum, vel vt satisfacerent præcepto, vel meritum comparare nt; sicut confessiones, vt plurimùm, non excipiuntur nisi rogatu pœnitentium, nec tamen tunc ad gratiam temporalem necesse est referri, sed ad bonum spirituale ipsorum referri possunt.

Secundò. Quòd, & si Sacerdos non fuisset celebraturus, nisi rogatus ab amico, &c., non necessariò infertur, referri tunc Missam ab eo ad gratiam amici tamquam ad finem secundarium, sine quo non; posùt enim voluntas, vel preces amici mouere Sacerdotem, vt subeat laborem antecedentem ad Missam, pergendi ad Ecclesiã, quærendi paramenta, candelas, ministrum, aut eadem expectandi; vel, vt cogitet de celebratione, & ad eamdem applicet, quam tamen referat in honorem Dei, & bonum spirituale animarum; ita vt illę preces sint causa excitans, vel impulsiua ad celebrandum, vel causa applicationis ad celebrandum, non verò causa finalis ipsius celebrationis, iuxta distinctionem, quæ solet adhiberi a Iuristis; & hoc sensu intelligendum est, Deum promissione bonorum mouisse Hebræos ad sui cultum, & obedientiam; ideò, non ita hæc eis suggesta, vel ostensa tamquam finis essent, sine quo non recederent ab idololatria, cæterisque peccatis; hoc enim potiùs fuisset amare bona temporalia, quàm Deum, vel saltem amare Deum dependenter ab illis, quod ipsi Deo iniuriosum est; sed, vt amore eorum excitarentur ad considerandam bonitatem, & potentiam Dei, qui illa posset, & largiri, & tollere; & sic inciperent amare

Deum

Digitized by Google

Deum propter ipſum, a quo tamen etiam illa bona expectanda eſſent. Nos quidem lib. 1. de Actibus Humanis cap. 10. paulò aliter de fine primario, & ſecundario loquuti ſumus; ſed quæ ibi diximus, ad normam præſentium reformanda ſunt.

4. Argui' poteſt contra idem: Etiam dum ita reſpicitur res temporalis, vt ſine ea non conferretur, aut efficeretur ſpiritualis, acquiſitio rei temporalis eſt tantùm conditio, ſine qua non; conditiones autem nullam habent cauſalitatem reſpectu effectus, vt patet in approximatione; ergo tunc miniſter non mouetur ab illa acquiſitione tamquam a fine; ergo nullo modo eſt ſimoniacus, tamquam referens ſpirituale ad temporale.

Reſpondetur, circumſtantias, & conditiones operis externi eſſe obiecta motiua voluntatis; ideo enim dant bonitatem, & malitiam actui eius, vt lib. 3. de Actibus Huuonis cap. 21. dictum eſt; eſſe etiam motiua principalia, dum ita intenduntur, vt ſine ipſis nolit fieri opus.

CAPVT III.

An in concurſu æquè dignorum liceat Collatori rei ſpiritualis moueri ex temporali emolumento ad conferendum potiùs vni, quàm alteri.

1. VLtimò circa damnatam Propoſitionem poteſt quæri: An in concurſu pluriũ æquè dignorum liceat collatori beneficii moueri ad conferendum potiùs vni, quàm alteri ex aliquo tẽporali emolumento. Tunc enim illud non videtur reſpici, aut recipi tamquam motiuum collationis, ſed tantùm electionis, ſeu diſcretionis inter plures.

Et eſt omnino negandum. Tum quia electio eſt actus internus, & ſpiritualis, atque adeo pretio non æſtimabilis, ideſt, non proportionabilis cum valore rei temporalis. Tum quia illa electio, ſiue

Digitized by Google

siue discretio non æstimaretur nisi ratione beneficii spiritualis, quod conferretur; ergo illud temporale daretur, & reciperetur ratione spiritualis. Tum quia aperiretur via ad simoniacas sordes. Nam conferre beneficium indigno, vel minùs digno, non est simoniacum, dum non confertur ex motiuo boni temporalis, sed tantùm est contra iustitiam; ergo, si definitur, licere in concursu plurium æquè dignorum moueri ex bono temporali ad conferendum potiùs huic, quàm illi, tantùm iniustitia erit interdicta in collatione beneficiorum, non verò dare, vel accipere temporale pro spirituali; atqui hoc est falsum; ergo neque in illo casu licet accipere temporale. Poterit ergo Collator in tali casu moueri, vel a grauiori ætate, vel a maiori indigentia, vel quia ille primò se obtulit, vel sorte, vt fecerunt Apostoli in electione Matthiæ, vel etiam ex consanguinitate; quod admittit D Thom. 2.2. quæst. 63. art. 2. propter maiorem concordiam in regendo.

2. Fortè dicetur. Licet venditori accipere pretium pro voluntate vendendi rem potiùs vni, quàm alteri, si plures eamdem iusto pretio emere velint: neque enim tunc bis vendit eamdem rem, vel eam plùs iusto pretio; ergo, licèt conferens aliquod spirituale nil possit recipere pro re spirituali, quam confert, poterit tamen recipere pro voluntate conferendi absolutè, vel saltem pro voluntate conferendi potiùs huic, quàm illi.

Respondetur primò, Consequentiam nullam esse: non enim, si, cùm res potest vendi, vendi quoque potest voluntas vendendi, sequitur, posse vendi voluntatem, cùm res ipsa, quæ traditur, est omnino inuendibilis, qualis est res spiritualis.

Respondetur secundò, neque illam voluntatem vendi posse, idest, licere, quia voluntas non est pretio æstimabilis. Potest tamen venditor aliquid plus accipere ab eo, cui præ ceteris vult vendere rem suam, non tamquam pretium voluntatis, sed tamquam pretium ipsius rei, quæ, scilicet, pluris æstimetur ab eo, quàm a cæteris; nam proculdubio, & ipse emptor pro re, quam emere cupit, tradit illud, non ad emercandam voluntatem vendentis, quàm non æstimat, nisi ratione rei, quam vult emere; venditor autem potest vendere rem ei potiùs, qui illam emit pretio rigoroso, quàm ementi pretio mediocri, vel infimo.

3. Quia Propositio 45. contra quam disputamus, in fine dicit, non esse simoniacum dare temporale pro spirituali, quando datur tantùm vt gratuita recompensatio pro spirituali; ostendendum est,

Digitized by Google

eſt, id etiam eſſe falſum, atque adeo illud eſſe omnino ſimoniacum. Quod patet per dicta: quia res ſpiritualis eſt omnino inæſtimabilis, & improportionabilis cum re temporali; recompenſare autem cõcernit æqualitatem, vel ſaltem proportionem in valore inter rem, quæ datur, cum ea, pro qua datur. Compenſo enim, vt legitur apud Calepinum, eſt, rependo, exæquo, pari pondere pendo, quod nomen ipſum ſonat, & Modeſtus lib. 1. ff. de Compenſatione, ait: *Compenſatio eſt debiti, & crediti inter ſe contributio*; ergo exæquare, immo, & proportionare ſpiritualia temporalibus eſt ipſum Simoniæ crimen, quamuis id non ex pacto, aut obligatione, ſed gratuitò, ideſt, liberè fiat. Aliud quippe eſt dare aliquid gratis tamquam ſignum beneuolentiæ, aliud dare pro recompenſatione rei ſpiritualis collatæ, vel effectæ; quamuis & illud, dum fit in caſu huiuſmodi collationis, vel efficientiæ, ſcandaloſum ſit, & ſimoniacæ voluntatis ſpeciem referens, atque adeo reprehendendum: videtur enim fieri in recompenſationem ſpiritualis rei.

Quòd verò Propoſitio 40. addit, non eſſe ſimoniacum dare temporale, vt motiuum collationis, vel efficientiæ rei ſpiritualis, etiam ſi temporale ſit motiuum principale dandi ſpirituale; patet ex ſupra dictis, quàm ſit abiiciendum. Probauimus enim ſupra, eſſe ſimoniacum dare, vel recipere temporale pro ſpirituali, etiam ſi illud temporale ſit motiuum ſecundarium, ſi tamen ita moueat, vt ſine illo non conferretur, vel efficeretur res ſpiritualis; ergo a fortiori ſimoniacum eſt, quando temporale eſt motiuum principale.

4. Vltimum verò, quòd, ſcilicet, illud verum ſit, etiam ſi illud ſit finis rei ſpiritualis, ita vt illud temporale pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis, ſupra omnia abiiciendum eſt.

Et primò adeſt ibi ſuperfluitas loquutionis; ſi enim temporale eſt motiuum principale conferendi ſpirituale, eſt etiam finis eius, atque finis principalis: finis enim eſt, qui mouet voluntatem ad opus, vt patet 2. phyſic.; ergo poſtquam dictum erat: *Etiam ſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale* non erat addendum: *Immo etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis*. Et poſtquam hoc dictum erat, neque erat vlteriùs addendum: *Sic vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis*. Semper enim finis principalis plus æſtimatur, quàm id, quod propter ipſum adhibetur; cùm finis principalis ſit ratio volendi, vel adhibendi media.

Propter quod autem vnumquodque tale, & illud magis; ergo eo ipſo, quo temporale eſt motiuum principale dandi ſpirituale, eſt

etiam

Digitized by Google

etiã finis principalis, & pluris æstimatur, quàm illud; ergo superflue, & absurdè hæc vltima verba adduntur.

Quantùm autem ad rem ipsam, certè iudicio præponere temporalia spiritualibus, error intellectus est; ergo illa præponere affectu peruersitas voluntatis, vtpotè sequentis rationem errantem; & id etiam extra casum dandi, vel recipiendi temporalia pro spiritualibus; quantò ergo magis, cùm illa dantur pro istis peccatum Simoniæ est, vbi re ipsa commutantur, vel compensantur temporalia pro spiritualibus, & magis æstimantur illa, quàm ista?



Digitized by Google

DISPVTATIO XLI.

Contra Propositionem XLVII.

Cùm dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, ad Ecclesias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparatiuo pro positiuo; vel secundò loquutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tamdem loquitur tertiò, quando fit concursus.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 HAEC verba habet Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Reformatione, quibus disertè significat, mortale esse, promouere ad Ecclesiam dignum præ digniore, mortale, inquam ex iure Diuino; non enim præceptũ nouũ ibi fert Tridentinum, sed tantùm veritatem enuntiat ex natura rei; vt notant etiam Lugo, Pisani, & alii. Promotores verò non tantùm sunt electores, sed (verba sũt Tridentini ibidem): *Omnes, & singuli, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius, quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut aliòquin operam suam præstant.* Eadem enim ratio

Digitized by Google

militat de omnibus. Promoueri verò ad Ecclesiam dicitur tantùm Episcopus: Ecclesiæ enim distinguuntur secundùm Episcopatus, vt Ecclesia Neapolitana, Lucerina, Auersana, &c., non enim quicumque aliquam curam recipit, aut beneficium dicitur promoueri ad Ecclesiam. Et de promotis ad Episcopatum loqui Tridentinum patet; tum quia loquitur de eo, qui supra omnes gradus constituitur, qualis non est nisi Episcopus; tum quia statuit, post vacationem Ecclesiæ indici a Capitulo publicas supplicationes per Ciuitatem, & Diœcesim, quod non potest intelligi, nisi de vacatione Ecclesiæ Episcopalis.

Tamen ipsi Assertores Propositionis, & Glosatores verborum Concilii extendunt eius verba ad omnia beneficia Ecclesiastica, saltem cūram animarum habentia, dum in postrema Glosa dicunt, verba Concilii intelligenda esse, quando fit concursus. Episcopatus autem non solet conferri per concursum, sed solo examine, idque a Pontificatu Clementis Octaui; benè autem beneficia curata, siue parochialia. Et reuera eadem ratio militat de Episcopatu, & de cæteris Ecclesiasticis beneficiis, vt patebit ex dicendis. Quamuis autem ad ostendendam iustitiam damnationis Propositionis supra dictę sufficiat ostendere inanitatem Glosarum verbis Tridentini affictarum (eę enim tantùm hic damnantur, nihilque decernitur de assertione Tridentini, sed supponitur vera) tamen quia dignum scitu est: An lethale sit promouere ad Ecclesias dignos, relictis dignioribus, hanc controuersiam hic explicare intendimus.

2. Dicendum igitur: Lethale esse promouere ad Ecclesias, & etiam ad quælibet Ecclesiastica beneficia dignos præ dignioribus. Hæc assertio est D. Thomæ 22. qu. 97. art. 2., proindeque omnium Thomistarum.

Probatur primò ex Augustino Epistola 29., quæ est ad Hieronymum: *Quis*, inquit, *ferat, si quis diuitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ contempto pauperе instructiore, & sanctiore?* Inducitque ad id sententiam Iacobi 2.: *Si intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dicatis ei: Tu sede hic benè. Pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Si, subdit, *illam distantiam sedendi, ac standi ad honores Ecclesiasticos referamus.* Ad quos certè referri debet, cùm sententia sit generalis. Pro sede autem honoris Ecclesiæ non solus intelligendus est Episcopatus, sunt enim aliæ dignitates Ecclesiasticæ, quę meritò appellantur sedes

Digitized by Google

des honoris, vel honores Eccleſiaſtici. Cùm autem Auguſtinus loquatur illis terminis comparatiuis, *inſtructiore*, & *ſanctiore*, ſupponit diuitem, qui eſt prælatus, eſſe inſtructum, & ſanctum; & tamen eum præferre pauperi inſtructiori, & ſanctiori, non tantùm dicit eſſe malum, ſed etiam intolerabile: *Quis*, enim inquit, *ferat?* Eſt enim acceptio perſonarum, attendere in promotione ad miniſteria, & dignitates, non id, quod pertinet ad illorum exercitium, ſed alia adiacentia perſonis, vt ait D. Thomas loc. cit. ad 3. Ea autē acceptio, ſicut & quilibet alius iniuſtitię actus materia, & fomes eſt querelarum, litium, & odiorum; propterea dicitur intolerabilis. Quamuis autem Auguſtinus loquatur de diuite præpoſito pauperi inſtructiori, & ſanctiori, tamen eadem ratio eſt de qualibet prælatione quacumque cauſa facta digni præ digniore, quia ſemper eſt acceptio perſonarum, & iniuſtitia.

3. Probatur ſecundò ratione D. Thomæ loc. cit. ad 1. Quia Prælatus Eccleſiaſticus non eſt dominus dignitatum, & prouentuū Eccleſiaſticorum, ſed tantùm diſpenſator: proinde non poteſt eas dare pro libito, ſed iuxta merita perſonarum: ſunt enim illa bona communia, in quorum collatione debent attendi regulæ iuſtitiæ diſtributiuæ; multò minùs eorum domini ſunt promotores, vel alii electores; ergo promouere, vel eligere dignum præ digniore eſt contra regulas illius iuſtitiæ; cùmque materia ſit grauis, eſt lethale. Antecedens probat D. Thomas, & cum eo Caietanus ex illo Apoſtoli 1. Corinth. 4.: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei*; ſic enim ipſi legunt; ſed textus reuera habet *myſteriorum*; quod Theophylactus refert ad prædicationem, ſeu diſpenſationem verbi, & doctrinæ, Lyranus verò ad miniſterium Sacramentorum, & doctrinę. Quamuis autem promotio, ſeu potiùs ordinatio ad Epiſcopatus poſſit dici diſpenſatio myſteriorum Dei, quia Epiſcopatus ordo, & Sacramentum eſt; tamen promotio ad alia beneficia Eccleſiaſtica fortè non poteſt dici diſpenſatio myſteriorum; quare ex eo dicto Apoſtoli non colligitur generaliter Prælatos Eccleſię nō eſſe dominos, ſed miniſtros, ſeu diſpenſatores beneficiorum eiuſdem Eccleſiæ.

Cæterùm illud Antecedens non eſt in controuerſia ponendum; ipſa enim beneficia, & dignitates Eccleſiaſticæ res ſpirituales ſunt; hæ autem ſub miniſterio quidem hominum, ſub dominio autem ſolius Dei ſunt. Prouentus autem, ſeu redditus, qui ipſis adiecti ſunt (adiecti, inquam, quia redditus ratione beneficiorum, non beneficia ratione reddituum) ex priorum largitionibus collecti,

Digitized by Google

non in eum finem collati sunt, vt transirent in dominium Prælatorum, immo Christo donati pro dignitate eius Ecclesiæ in congrua substentatione ministrorum, & subsidiis pauperum. Quod disertè expressit D. Vrbanus Papa, & Martyr Epist. vnic. cap. 2. & legitur in eius lectione 25. Maii in Breuiario Romano, & ex parte refertur cap. *Res Ecclesiæ* 12. qu. 1.: *Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios vsus, quàm Ecclesiasticos, & Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti; quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*. Pretia peccatorum, quia solent offerri pro remissione peccatorum; patrimonia pauperum, quia Christus, cui donata sunt, suos hæredes instituit pauperes dicens: *Esuriui* (vtique in pauperibus) *& non dedistis mihi manducare, sitiui, &c. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quę ratio, vt patet, extenditur etiam ad Summum Pontificem, qui est supremus administrator bonorum Ecclesiæ, quod rectè notauit loc. cit. Caietanus; igitur verum est illud Antecedens.

Consequentia verò probatur. Quia si meritum, siue virtus, siue idoneitas tribuit ius ad illa beneficia obtinenda, maior idoneitas necessariò tribuit maius ius: sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: aliter maior illa idoneitas se haberet otiosè, & per accidens, & quasi non esset ad tribuendum ius, quod absurdissimè dicitur, atque contra rationem; si enim meritum simpliciter dat ius, quare gradus meriti illud non auget? Si calor calefacit, maior calor necessariò magis calefacit, & sic in cæteris omnibus; ergo promouere idoneum prætermisso magis idoneo est contemnere ius magis idonei, & iniuriam illi irrogare, quod in re graui lethale est.

4 Sed ab hac Conclusione Diana in Summa verb. *Beneficium*, cum Reginaldo aduersùs Lessium excusat Pontificem, & Reges, quia aliter, inquit, magnum pondus ij sustinerent.

Sed ratio adducta concludit de omnibus; magnis autem honoribus, siue potestatibus magna onera consequenter sunt adiuncta: aliter de multis possent se illi excusare. Cura insuper illis longè maior incumbere debet de spiritualibus, quàm de temporalibus; & ipsi abundant ministris, a quibus instrui possunt. Et si illud onus experirentur intolerabile, præstaret collationes beneficiorum relinquere Capitulis, vt antiquitùs fiebat, quàm cum malo Ecclesiarum, & iniuria meliorum ea per se conferre. Et cùm modò omnes ferè Episcopatus conferantur per Papam, & Principes, redde-

re-

Digitized by Google

retur omnino nullum, vel fruſtraneum ius meliorum ad illos.

Sed, cùm dicitur, promouendos eſſe digniores, intelligendum eſt de iis, qui poſſunt haberi, vt rectè notat Caietanus, & ratio ipſa ſuadet: aliter pro prouiſione vnius Eccleſiæ, vel beneficii circumagendus eſſet Orbis terrarum, cunctique fideles ad examen euocandi, vt ſecerneretur dignior, non quidem ex millibus, vt ſponſus in Canticis, ſed ex omnibus. Etiam in pluribus Regularium Ordinibus reſtringitur ad determinata tempora Præfectura, & præſcribuntur ſpatia vacationis poſt illam; & tunc ii, qui reſignant, etiam ſi digniſſimi omnium ſint, eligi non poſſunt, atque adeo oportet eligere minùs dignos, quia ij tantùm poſſunt haberi. Vltra igitur eas conſiderationes, quòd inter æquè dignos præſtat promouere eos, qui ſunt de gremio Eccleſiæ, quia tales, vt ait D. Thom. loc. cit. ad 4., ſolent magis diligere Eccleſiam, in qua ſunt nutriti, & proinde eſſe vtiliores ad bonum commune: & conſanguineos, quia hi magis vnanimiter cum electore, vel collatore Eccleſiæ negotia tractare ſolent, vt ait idem ibidem ad 1. (quamuis hoc dimittendum eſſet, ſi ſcandalum ſuboriretur, & exemplum præberetur, vt præter dignitatem reſpiceretur cõſanguinitas, vt idem ſubdit); &, quòd præſtat promouere ſubditum Principis pro bono pacis, vel benè ei viſum, non autem ſubditum hoſtis ad vitandas ſuſpiciones, & pericula: vltra igitur has, aliaſue conſiderationes, illud etiam conſiderandum eſt, ne Eccleſiæ diù vacent, hoc .n. illis perniciosum eſſet, vt dicitur ca. *Quàm ſit* de electione, & electi poteſtate in 6., diù autem vacarent, ſi per remotiora loca facienda eſſet inquiſitio dignioris.

Sed & maior dignitas, vt rectè docet D. Thomas, non eſt ſumenda ſimpliciter, ideſt, pro maiori abundantia ſpiritualium gratiæ donorum, ſed per comparationem ad bonum commune iuxta naturam officii, & beneficii, quod conferendum eſt; nam menſura cuiuſque rei attenditur per ordinem ad finem. Poteſt autem quis minoris ſanctitatis, & ſcientiæ magis conferre ad bonum commune propter maiorem potentiam, vel induſtriam. Hinc nobiles ſolent præferri ignobilibus. Et hæc quidem locum habent in foro conſcientiæ; ſed in foro externo electio digni impugnari non poteſt, aliter quælibet electio poſſet calunniam pati, vt ait D. Thomas loc. cit. art. 2. ad 3., & definitur cap. *Cùm dilectus* de Electione, & difficile, ac longum eſſet iudicium externum de maiori dignitate, ſaltem quando exceſſus non eſſet valde magnus.

5. Con-

Digitized by Google

5. Contra prædicta obiici potest cap. *Monasterium* 16. q.7. *Monasterium, vel Oratorium canonicè constructum a dominio constructoris, eo inuito non auferatur, liceatque illi, presbytero, cui voluerit pro sacro officio illius Diœcesis, cum consensu Episcopi, nisi malus existat, commendare.* Idem indicatur cap. *Pastoralis* de Iure Patronatus; ergo non est necesse promouere ad beneficium digniorem, sed sufficit promouere non indignum.

Respondetur primò, id intelligi posse quantùm ad forum externum, in quo omnis electio digni substinetur, vt mox dictum est. Secundò, id verum esse de habentibus ius patronatus; non sunt enim ipsi simplices administratores locorum, & prouentuum ab ipsis fundatorum, immo dicitur: *A dominio constructoris.* Quare non tenentur seruare regulas iustitiæ distributiuæ in promotione. Hinc solent fundari huiusmodi iura patronatus in bonum particularis familiæ, cauendo, ne promoueatur, qui non sit de tali familia; & tamen illi non semper sunt cæteris meliores. Permittitur autem hoc, quia alias non facilè reperirentur huiusmodi fundatores; pluralitas autem Ecclesiarum, & beneficiorum cadit in amplitudinem, & decorem cultus Diuini, & Ecclesiæ. Non possunt autem promouere malum, quia hoc scandalosum esset, offensa quoq; Dei, & damnum Ecclesiæ, vel beneficii.

Quamuis autem Toletus in Summa lib.5. cap.69. nu.3. dicat, tales institutiones non rectè fieri, quando beneficia annexam habent curam animarum, vt, si quis fundet Monasterium, volens cognatam suam fore Abbatissam; tamen id non videtur verum, dummodò excludatur indignus: nam etiam tunc habet locum ratio, quòd loca illa sunt sub dominio fundatoris, nec sunt bona communia distribuenda secundùm regulas iustitiæ; ad bonum autem regimen sufficit, vt electus sit bonus; & velle, seu instituere, quod melius est, non est de necessitate salutis, sed de perfectione iustitiæ.

6. Sic stabilita, atque defensa Conclusione, ostendenda est inanitas Glosarum, quæ verbis Tridentini affinguntur. Et quidem, licèt vt tres referantur, duæ sunt. Idem enim est, ly *digniores* sumi positiuè, non comparatiuè, ac poni ad excludendum indignos; itaque duæ primæ sunt vna.

Quantum igitur ad primum fatendum est, quandoque comparatiuum habere vim simplicis positiui, idest, non augere gradum ante positum, sed tantùm superferri suo contrario; quod ostendit Augustinus 3. contra Cresconium cap.73., & lib.4. cap.55. ex loco

Digitized by Google

loco Virgilii : *Dij meliora piis, erroremque hoſtibus illum, Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus* : cùm tamen non bonum, ſed malum eſſet, laniare dentibus artus ; item ex illo Apoſtoli 2. Corinth. 11.: *Confidimus autem de vobis, fratres chariſſimi, meliora* ; cùm tamen non bonum, ſed malum præmiſiſſet de terra ſpinas, & tribulos proferente, maledicto proxima, cuius finis in exuſtionem. Sed tamen id verum eſt, quando terminus comparatiuus abſurdè ſumeretur in proprio ſenſu, vt in locis prædictis; at quando id non eſt abſurdũ, vt in verbis Tridẽtini, gratis illud diceretur; & certè Tridentino non deerant verba ad ſuam mentem explicandam. Sed ipſum ingeminat comparatiua, dicens : *Digniores, & Eccleſiæ magis vtiles*. Immo ſuperlatiuo vtitur in eodem cap. *Bonos maximè, atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiant*. Et ſeſſ. 6. cap. 1. de Reformatione : *Confidens, vt ad Eccleſiarum regimen qui maximè dignifuerint, aſſumantur*. Et ſeſſ. 24. cap. 18. *Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit*. Et rursus : *Is, quem Patronus magis idoneum iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur. Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem*. Quibus verbis prorsus euertitur Gloſa, quòd nomine dignioris intelligatur dignus ; maximè, cùm ipſum Tridentinum tam ſæpè, & grauiter loquatur de munere Epiſcopali, vt dicat, quòd, ſi pro eius magnitudine expendatur, numquam de eo ſatis cautum videri poſſit ; & , quòd ſit onus Angelicis humeris formidandum.

7. Alia Gloſa eſt, Tridentinum intelligendum in caſu, quo fiat concurſus. Sed neque Tridentinum ſtatuit, Epiſcopatum conferendum per concurſum, neque ante ipſum ſic conferebatur, neque ſtatim poſt. De Epiſcopatu autem ibi loqui Tridendinum oſtendimus initio huius Diſputationis. Nihil itaque de promouendis ad Epiſcopatus dixiſſet, de quibus tamen maximè ſatagebat. Itaque hæc Gloſa prorsus inanis eſt.

Cæterùm, magit peccare promotores, & electores, ſi habito concurſu non promoueant, vel eligant digniorem, verum eſt ; quia tunc, aiunt Molina, & Diana, non tantùm peccant contra iuſtitiam diſtributiuam, ſed etiam contra commutatiuam, quæ oritur ex quaſi contractu proueniente ex publicatione edicti, proinde tunc obligari ad reſtitutionem fatetur Diana in Summa verb. *Beneficium* num. 9. Non poſſunt quoque tunc afferre excuſationem ignorantiæ, quia per concurſum habita eſt notitia dignioris.

8. Illud remanet inquirendum, an doctrina hic tradita locum ha-

Digitized by Google

habeat tantùm in promouendis ad beneficia curata, an etiam ad simplicia. Diana enim putat, tantùm habere locum in primis, & probat primò: Quia id tacitè innuit Tridentinum, dum de beneficiis curatis loquitur, tacet de simplicibus. Secundò. Quia Summus Pontifex hæc beneficia confert dignis absque concursu. Tertiò. Quia hęc non videntur esse bona communia debita decertantibus, sed Prælatis commissa, vt conferantur dignis. Quartum addit Guttierez: quia aliter omnes Prælati essent in statu damnationis; non enim conferunt ea dignioribus.

Hęc non sunt solida. Ad primum potest dici, ex authoritate negatiua non desumi efficax argumentum; vtque dicitur in regula 44. iuris in 6.: *Is qui tacet, non fatetur, sed nec vtique negare videtur.* Potuit ergò Tridentinum loqui de beneficiis curatis, tamquam de materia grauiori, relinquere autem iudicio Sapientum, quid ex paritate rationis dicendum sit de simplicibus.

Ad secundum potest dici, esse difficile creditu, vt quam diligentiam negat Diana adhiberi a Summo Pontifice collatore beneficiorũ, eam adhibuerit ipse, ad quem ea res non spectabat, in singulorum meritis discernendis. Concursus autem solo iure humano præscribitur, quo Pontifex non ligatur.

Ad tertium, sine fundamento dici, quòd ea bona, licèt communia, commissa sint Prælatis pro eorum libito dispensanda dignis: immo eo ipso, quo sunt bona communia, seruandæ sunt regulæ iustitię distributiuę in eorum dispensatione.

Ad quartum, cùm de ea re Guttierez testificari non possit, nisi sibi tribuat intellectionem cogitationum omnium Prælatorum de longè, ego credere non teneor Prætereà: ex facto non rectè probatur licentia faciendi, cùm de ipso facto quæritur, an liceat; & agens, quod fecit, non est impeccabile.

Cæterùm, cùm beneficia simplicia non conferantur in bonum aliorum, sicut curata, sed eius, cui conferuntur, multò magis in eis non attenditur dignitas secundùm abundantiam donorum spiritualium gratiæ, sed attenduntur labores, & opera exhibita in ministeriis Ecclesiæ, maximè autem Sedis Apostolicæ; merita etiam maiorum, & decus familiæ, si fortè ad inopiam redacta sit: quibus, aliisque consideratis potest præsumi, Summum Pontificem, aliosque Prelatos ea conferre dignioribus.

9. Obiici possunt aliqua loca Tridentini, vbi ad beneficia Ecclesiastica dignum, & habilem præcisè exposcit. Sic enim sess. 7. cap. 3.: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim cum animarum haben-*

Digitized by Google

habẽtia perſonis dignis, & habilibus, &c. Et ſeſſ. 24. c. 1. de Ref. *Nihil ſe, &c. quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneas promouere ſtudeant.* Et ibidem loquens de Cardinalibus: *Quos*, inquit, *Sanctiſſimus Romanus Pontifex ex omnibus Chriſtianis nationibus, prout idoneos repererit, aſſumet.* Et ſeſſ. 24. cap. 15.: *Qui a Patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis examinari, & non niſi idoneus repertus fuerit, admitti.*

Reſpondeo, cùm Tridentinum exigit dignos, tunc docet, & præcipit, excludendos indignos; cùm verò exigit digniores, tunc docet, & præcipit, quid vlteriùs ad inſtam, & legitimam electionem requiratur; non enim omnia ſimul dici poſſunt; vtrumque autem dicendum erat, & excludendos indignos, & eligendos digniores. Quare, neque dicendum eſt, nomine dignioris a Tridentino intelligi dignum, vt ait Gloſa, contra quam diſputamus, cùm euidentiſſimè ſeſſione 24. cap. 18. dicat: *Ex dignis eligat digniorem.*

Sed Piſani ait, nomine dignioris intelligi dignum, eo quia ad preſentiam dignioris nõ eſt dignus, qui aliàs talis eſſet. Sed huic expoſitioni etiam obſtant allata verba Tridentini.

Nec re vera dignus amittit ſuam dignitatem ad præſentiam digniori, ſicut nec calidum, nec frigidum calorem, aut frigus ad præſentiam calidioris, & frigidioris: dignitas enim fundatur in bonitate, doctrina, prudentia, zelo, &c., quæ non deperduntur, eo quia alius adſit in iis dotibus excedens.

10. Sed inſtat Piſani; quia vix modò reperitur ſimpliciter dignus, ideſt, iis pollens virtutibus, quas requirit Apoſtolus 1. Timot. 3., & de quo, vt de Dauide, dicere poſſit Deus: *Inueni hominẽ ſecundùm cor meum*: quare, ait, dicitur communiter, & cenſetur dignus, qui minùs eſt indignus, vel magis accedit ad dignum; ergo, qui ita eſt dignus, non eſt talis ad præſentiam dignioris, immo indignus; & qui illum eligit præſente digniore, non eligit dignum. Et hoc eſt fundamentum eius contra Propoſitionem.


Cæterum hæc Piſani Aſſertio dura eſt, ſi extendatur ad quodcumque beneficium Eccleſiaſticum; immo viris Eccleſiaſticis contumelioſa; non enim omnia tantam perfectionem in ea obtinentibus requirunt, vt tam rarò reperiatur in hoc ſæculo, qui eis ſit dignus. Et Apoſtolus tantùm in Epiſcopo multas illas conditiones requirit. Et, cùm ipſe admittat poſſe reperiri, quamuis rariſſimè, plures ſimpliciter dignos, inter quos etiam alii ſint aliis di-

Digitized by Google

gniores, remanet integra quæstio, an ex iis necesse sit eligere dignissimum; ad quam ex fundamento illo suo responderi non potest. Itaq; intacta relinquit quæstionem.

Fatendum tamen est, quando non reperirentur digni, nisi eo modo, quo dicit Pisani, vera esse, quæ ipse dicit.

In vltimo loco Concilium loquitur de præsentatis a patrono beneficii: hic enim non tenetur præsentare dignierem, quia non est simplex dispensator bonorum communium, vt supra dictum est. Electio autem, vel præsentatio digni in foro externo impugnari non potest, vt etiam supra dictum est: ideo tunc Concilium permittit admitti idoneum.



Digitized by Google

DISPVTATIO XLII.

Contra Propoſit. XLVIII.

Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullum inuoluere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, vt contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

HIC intelligendum eſt, damnatum etiam ſimplex aſſertum de immunitate fornicationis ex natura ſua a malitia, ideſt, non tantùm illam exaggerationem de claritate ſententiæ, & irratienabilitate oppoſiti, ſed ipſam ſententiam. Non enim credendum eſt, Sedem Apoſtolicam tantùm de verborum iactantia iudicaſſe, nihil verò de ipſa re; an, ſcilicet, fornicatio natura ſua ſit immunis a peccato; quæ res grauiſſima eſt, vtpotè pertinens ad mores in materia vna omnium maximè lubrica. Propoſitione ſequenti damnatur aſſertum de immunitate mollitiei ex natura ſua a peccato; fornicatio autem, & mollities conueniunt, quia vtrobique promouetur emiſſio ſeminis non ad generandam prolem, ſed ad ſatiandã libidinem; quamuis fornicatio addat inductionem, vel conſortium alterius ad actum; ergo ſi mollities iudicatur eſſe natura ſua mala, idem dicendum eſt, iudicatum eſſe de fornicatione.

Digitized by Google

Damnatur autem Propositio in illis terminis, quia sic legitur apud eius Authores, qui proprio seductu affectus suas opiniones putant euidentias, & *in cæcitate, quam tolerant, quasi in claritate luminis exultant*, vt cum Gregorio loquar primo Moralium cap. 10. in primum caput Iob. Qui magna insuper animositate Patrum, grauiorumque Scholasticorum sententiam, quos retulimus supra Propositione 9., quamque D. Thomas absque omni dubio tenendā asserit, cuiusque oppositum inter errores Rabbi Moysis enumeratur ab Eymerico in Directorio parte 2. qu. 45. omnino rationi oppositam dicunt.

2. Solet autem probari, tum fornicationem, tum mollitiem malas esse ex natura sua ratione ista tacta, quia, scilicet, per eas emittitur semen gratia libidinis, non prolis, cùm a natura illud datum sit ad generationem, sicut cibus ad nutritionem; sicut ergo peccatum est sumere cibum ad voluptatem, non ad nutritionem, ita vti semine ad voluptatem, non ad generationem.

Hęc ratio quidem bona est, & communiter affertur; sed non videtur militare in omni casu: potest enim intendi emissio seminis etiam propter salutem, quia ex eius retentione grauari naturam, pluresque generari morbos testantur Medici, & Galenus peculiare opus edidit de Morbis puellarum. Est autem licitum ad tuendam salutem expellere humores naturam grauantes: sic per phlebotomiam minuitur sanguis e venis: sic, si grauet caput, procuratur, vt fluat e naribus: sic per potiones pelluntur ex corpore alii humores, qui tamen a natura dati sunt ad conseruandum, immo ad constituendum individuum. Sic ergo ad tuendam salutem licebit prouocare emissionem seminis nimia copia grauantis, quamuis ipsum datum sit ad seruandam speciem per generationem; aliter teneremur subire mortem, vt seruaremus semen ad generandum; cùm tamen nec ad generandum teneamur, etiam si nullius mali periculum adsit. Non igitur illud est ex natura sua malum, sed tantùm si fiat gratia libidinis ad sentiendam voluptatem.

Nec obstat ratio D. Thom. in 4. dist. 32. art. vlt. in solutione tertii, quam probat, & sequitur Abulensis qu. 235. in cap. 5. Matt. scilicet, id esse illicitum, quia quæreretur res propter finem, ad quē non est, vt si quis vellet baptizari ad conualescendum de infirmitate, quod esse peruersionem ordinis, dicit idem Abulensis. Non obstat, inquam; si enim per emissionem seminis potest obtineri salus, quare ea non potest ad hunc finem ordinari? Immo reuera ea tunc est medium ad salutem, quia conducit ad illā; idque ex natura

rei

Digitized by Google

rei: ſi enim copia grauat, ex natura rei diminutio leuat. Hinc illa etiam naturaliter contingit quandoque in ſomnis, vel in vigilia, natura expellente ſuperfluum, & grauans; ſicut quandoque per nares, vel alia foramina egerit ſanguinem, vel nimium; vel prauum. Peccatum autem non eſt imitari naturam, immo ars medica eam imitatur; ergo non eſt peccatum procuratio exitus ſeminis ad releuandam naturam, licèt ſemen inſtitutum ſit ad generandū. Quot autem ſunt, quæ cùm ad peculiares fines ſint inſtituta, ad alios obtinendos transferimus, quia ad ipſos conducunt? Immo hoc facere ſolertis, & prouidi ingenii eſt. Coniux, ſi cognoſcat ex copula non tantùm procreari prolem, ſed etiam ſeruari ſalutem, licitè ad hunc etiam finem eam ordinat.

De qua re poterat admoneri Abulenſis ex ipſo exemplo, quod adducit, Baptiſmatis vſum propter corporalem ſalutem. Conſtantinus enim ſine peccato, quippe ex reuelatione cæleſti, baptiſmum ordinauit etiam in remedium lepræ; & idem eſt de infirmo ſuſcipiente Sacramentum Vnctionis etiam ex fine conualeſcendi a morbo, quem effectum ex illo aliquando prodire dicit Gloſa in cap. 5. Iacobi. Peccaret autem, qui vellet baptizari, & inungi propter corporis ſalutem tantummodò, quia referret Sacramentum ad bonum temporale tamquam ad finem adæquatum, quod eſt contra eius dignitatem. Igitur ratio adducta pro malitia naturali fornicationis, & mollitiei non videtur ſemper militare.

3. Poſſet igitur ea malitia aliter probari. Primò. Quia, ſi fornicatio, & mollities natura ſua malæ non ſunt, nulla reddi poteſt ſufficiens ratio, cur tam grauiter ſint interdictę, vt in nullo prorsus caſu liceant. Non enim, quia voluptuoſæ ſint; niſi inuidus æſtimetur Deus, qui voluptates de ſe non illicitas interdicat propter illud ipſum, quia voluptates ſunt. Serpentis hæc malignitas fuit, vt inuidum traducentis Deum apud noſtros protoparentes, eò quia eſum pomi pulchri, & ſuauis interdixiſſet. Voluptates autem Deus ipſe indidit operationibus ſenſuum; quæ etiam longè maiores fuiſſent in ſtatu innocentię, quàm in hac infirmitate moribundorum ſenſuum, vt loquitur Auguſtinus 21. de Ciuit cap. 12., magis, inquam, quàm ſint modò in adoleſcentibus reſpectu ſenum, vel inſanis reſpectu ægrotantium, quia nulla modò iuuentus, nulla ſanitas adæquat illam integritatem. Cęleſtis etiam Paradiſus poſt reſurrectionem omnium ſenſuum deliciis affluet.

Sed addit Buſembau; illam voluptatem adeo vehementem eſſe,

Digitized by Google

se, vt hominem auertat a spiritualibus; meritò ergo interdictam, licèt de se non sit mala, ne homines in operibus carnis tabescerent.

Sed hæc leuis confirmatio est. Primò. Quia si tantùm in necessitate tuendæ vitæ illa permitteretur, non sequeretur inconueniens illatum. Secundò. Quia etiam possessio pecuniæ adeo inescat homines, vt illi tamquam idolo seruiant, Galat. 4. 20.; sicut enim omnes ferè cupiditates per eam expleri possunt, ita omnes in eam inhiant; & tamen possessio pecuniæ non est interdicta. Tertiò. Quia voluptas Veneris non tanta tenacitate illigat cuiusque temperamenti homines; plerique enim ganeæ illam postponunt; sunt etiam frigidi, qui vix in eam mouentur, quos memorat Augustinus 4. contra Iulian. cap. 3. Qui etiam narrat de Alipio 6. Confess. ca. 12.: *Quòd experimentum concubitus caperat in ingressu adolescentiæ, sed non hæserat, magisque doluerat, & spreuerat, & deinde continentissimè viuebat.* Plures autem possunt Alipio similes reperiri. Quartò. Quia, si voluptas Veneris se ipsa affert periculum proximum tabescendi in carne, se ipsa, secluso Dei præcepto, mala, & fugienda est, sicut quodlibet periculum proximum peccati; si autem non affert periculum proximum, sed remotum, non est, cur sit magis fugiēda, quàm cętera opera, quæ remotum eius periculum afferunt, quorum nullum propterea est prohibitum, aliter innumeræ res, & actiones essent prohibitæ. Tamdem: plures videmus coniuges non tabescentes in carne, neque auersos a spiritualibus, quamuis frequenter venereè copulentur; taleſque sine dubio fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, &c., qui plures etiam vxores vno tempore habuerunt Igitur hæc ratio non est valida.

4. Probanda igitur est ea veritas hac ratione, quæ est a priori. Contra ordinem naturæ est, vt sensus, siue voluptas eius subiiciat sibi rationem; sed id accidit in fornicatione, & mollitie; ergo eę sunt contra ordinem naturæ, atque adeo naturali iure malæ. Maior patet; ratio enim debet dominari, sensus seruire, quia illa est natura superior, hic inferior; sicut bonum honestum est superius bono sensibili; quare hic ordo est omnino immutabilis. Hinc præceptum, vel debitum resistendi concupiscentiis carnis, naturale est, quod & ipsi seculares Philosophi agnouerunt; adeoque, vt voluptas sensus non sit peccaminosa, debet ad honestatem referri, veluti in comestione ad honestatem sustentandæ vitæ. Minor probatur; nam in voluptate Veneris non tantùm vincitur,

Digitized by Google

citur, ſed abſorbetur ratio, adeo vt de nulla alia re poſſit tunc cogitare. *Inter epulas*, inquit Auguſtinus 4. contra Iulianum c. 14, *ſæpe de magnis rebus non ſolùm cogitamus, ſed etiam diſputamus, atque inter ipſos ciborum morſus, potionumque gluctus nihil remiſſius audiendo, dicendoque colloquimur. Illa verò* (voluptas Veneris) *etiam quando ad eam bona intentione, ideſt, cauſa propagandæ prolis acceditur, tamen in ipſo opere ſuo quem ſinit, non dico ſapientiæ, ſed cuiuslibet rei cogitare? Nonne illi totus animus, & corpus impenditur, & ipſius mentis quadam ſubmerſione extremum illius impletur?* Et 5. contra Iulianum cap. 8. *Quid cogitari poteſt tunc, quando mens ipſa, qua cogitatur, illa carnali delectatione ſubmergitur?* Quod ipſum profert Tullius in Hortenſio relatus ab Auguſtino vbi ſupra: *Quis, cùm vtatur voluptate ea, qua nulla poſſit eſſe maior, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam poteſt?* Diuus etiam Thom. 12. q. 34. art. 1. ad primum, idem aſſerit, addens, id accidere propter tranſmutationem corporalem, quæ illi voluptati adiungitur. Hinc Græci eodem vocabulo, *Aphroditis*, & ſtultitiam, & Venerem appellabant. In veneris enim voluptate mens quodammodo priuatur ratione, quia hæc totaliter vincitur, & ſubigitur ab illa; quod peruerſum, ideſt, contra rerum ordinem eſt. *Vbi enim*, inquit Auguſtinus tract. 2. in Ioannem versùs finem, *caro imperat, & ſpiritus ſeruit, peruerſa domus eſt. Quid pejus domo, vbi famina habet imperium ſuper virum? Recta autem domus, vbi vir imperat, fœmina ſeruit. Rectus ergo ipſe homo, vbi ratio imperat, caro ſeruit.* Eamque deordinationem, ſiue peruerſitatem, iniquitatem etiam appellat 3. contra Iulianum cap. 3.: *Si prudenter*, inquit, *ſaperes, profectò eſſe iniquitatem videres, cùm pars inferior hominis, repugnat ſuperiori.* Si autem ſola repugnantia iniquitas eſt, quantò magis victoria, & imperium?

Hinc idem Auguſtinus 2. contra Iulianum cap. 15., & 14. de Ciuitate cap. 16. ait, quemlibet amatorem ſpiritualis boni, etiam ſola cauſa ſobolis coniugatum malle, vel ſine carnali concupiſcentia, vel ſine tam magna eius vi filios procreare. Amplius etiam dixerat Tullius in Hortenſio relatus ab Auguſtino ibidem: *Quis*, inquit, *bona mente præditus non malit, nullas omnino a natura voluptates datas?*

5. Ideo de delectatione venerea habetur pudor etiam a coniugibus, qui non habetur de delectatione comeſtionis, aut alia; quia, ſcilicet, per has non abſorbetur ratio, vnde poteſt vigilando, ad honeſtatem eas ordinare. In illa autem ita abſorbetur, vt nec poſſit

possit de honestate cogitare. Pudor autem nascitur de inobedientia, & rebellione serui erga Dominum, & multò magis de eius victoria. Hinc Adam, & Eua non erubuerunt de delectione in esu pomi, quod vtique non sine delectione comederunt; nec de ipsa preuaricatione præcepti; nec de nuditate ante peccatum, sed postea; quia, scilicet, tunc senserunt rebellionem sui serui, ideſt, sensus aduersùs dominam rationem in motu genitalium a ratione non imperato, sed eam præueniente, & solicitante. Nec habetur pudor de aliis peccatis, etiam grauissimis, quæ non libidine carnis, sed peruersitate voluntatis committuntur, vt de homicidiis, blasphemiis, periuriis, contentionibus, cæterisue. Pudor autem de venereis adeo naturalis, & fortis est, vt quamuis Diogenes eò se non teneri ostendere voluerit, vxori in platea se copulans, putet tamen Augustinus 14. de Ciuit. cap. 20., potiùs oculis hominum nescientium, quid gereretur sub pallio, datos concumbentium motus, quàm, humano premente conspectu, potuisse illam peragi voluptatem. Quod tamen eius factum sectarii, vel numquam imitati sunt, vel dereliquerunt, vt refert idem ibidem. Tamen nec Diogenes ipse legitur publicè, vel fornicationem, vel mollitiem exercuisse; quare & ipsi illæ vitæ sunt malæ, & pudendæ.

Hæc igitur ratio, quæ ex propriis, & a priori procedit, videtur mihi efficaciter ostendere malitiam naturalem mollitiei, & fornicationis. Quam fateor, apud nullum ex Scripturibus, quos legere potui, amore pertam; sed, ni fallor, ab omnibus adhibenda, & defendenda est, cùm cæteræ, vel non militent in omni casu, vel minùs efficaciter, nec a priori concludant.

6. Non me latet obiectio, & quidem grauis, quę contra eam afferri potest: videtur enim ex ea sequi, quòd etiam copula verè coniugalis, ideſt, quæ initur ex solo fine propagandæ prolis, sit mala, cùm etiam in ea absorbeatur ratio ex vehementia delectationis.

Respondeo tamen, a nullo posse negari, quin illud etiam in ea copula malum sit; est enim contra ordinem, & quidem immutabilem sensus, & rationis, secundùm quem ratio debet dominari, subiici sensus. Propterea etiam illa copula pudenda est; & per eam traducitur culpa originalis in filios, propter feruorē, scilicet, concupiscentiæ in ea requisitis, vt loquuntur Theologi; & nec Prophetis tunc datur assistentia Spiritus Sancti, vt dicitur cap. *Connubia* 33. qu. 2., & Christus per eam carnem suam concipi noluit. Quod etiam Mahometani intelligunt, quorum credulitas est, Angelos, qui,

Digitized by Google

qui, vt putant, ſemper comitantur homines, ſe abſentare, quando iſti ingrediuntur ad venerea, etiam cum vxore exercenda.

Hinc Magiſter in 4. diſt. 26., & 30., aliique Theologi, immo & Patres ea forma loquendi vtuntur, vt, ſcilicet, nuptiæ excuſentur a peccato propter bona, quæ habent; ſic indicantes, eas videri poſſe peccaminoſas propter malum libidinis in earum vſu regnantis; ideoque excuſandas eſſe, ideſt, oſtendendum, quòd illud malum non imputetur ad culpam: non enim excuſatur, niſi quod ſpeciem ſaltem habet mali. Quare difficultas hæc ab omnibus eſt ſoluenda.

7. Nos autem, cur a culpa excuſentur nuptiæ ſiue copula coniugalis propter bonum prolis, non autem fornicatio, & mollities propter bonum ſalutis, quòd ex ipſis fortaſſe aliquando oriri poteſt, hanc afferimus rationem. Quia, nimirum, copula illa inſtituta fuit a Deo in ſtatu integritatis naturę, ideſt, antequam exortum eſſet libidinis malum, immo quodammodo in ipſa formatione naturę, cùm diſtinctus eſt ſexus, & ſemen datum ad generandum; in quo ſtatu cum magna quidem voluptate, ſed cum nulla rationis perturbatione illa peracta eſſet; ſicuti modò abſque vlla perturbatione ſerimus manu triticum, aliudue frumentum, vt dicit Auguſtinus.

At fornicatio, & mollities non ſunt inſtitutæ a Deo ante libidinem, neque in remedium morbi (qui ſanè nullus accidere poterat in ſtatu integritatis) ſed ab hominibus poſt libidinem; quare ex ſui inſtitutione, & origine ſupponunt libidinis malum, ipſumque trahunt. Quamuis ergo dicantur exerceri in remedium morbi, malè exercentur; non enim præſcribenda, vel adhibenda ſunt medicamina cum perturbatione, ſiue peruerſione ordinis rerum naturalis, quem æterna Dei lege conſeruare iubemur, vetamur perturbare, vt ait Auguſtinus in definitione legis æternę 22. contra Fauſtum cap. 27., ideſt, non cum tranſgreſſione legis Diuinæ; niſi dicamus, etiam incantationes licitas pro medela morborum, vel balnea ex humano ſanguine, quæ cęlitùs interdicta ſunt Conſtantino. Per medicamen autem fornicationis, & mollitiei turbatur ordo naturalis ſenſus, & rationis, dum propter vehementiam delectationis in emiſſione ſeminis ratio abſorbetur a ſenſu; ergo tali medicamine vti non licet.

Medici, ſi ægrotum curent contrariis morbis laborantem, vt deiectione ſtomachi, & inflammatione hepatis, non ita dimicant contra vim vnius morbi, vt alterum roborent, etiam ſi hoc pacto vnus facilius, aut citius ſanetur. Quod enim opus, aut decus me-

Digitized by Google

dicinæ, quod etiam bonum ægroti, si vno morbo euicto, ab altero superetur natura, ipseque deteriùs habeat, vel moriatur? Ita postquàm libidinis morbus inuasit nostram naturam, non ea debent cõtra accidentes ægritudines præscribi, vel exerceri remedia, quibus conualescat morbus libidinis destruens naturę sanitatem, quę cõsistit in præcellentia rationis supra sensum; immo potiùs moriendũ est, quàm fędanda natura.

8. Deus ipse ex aliquorum sententia non potuit instituere naturam absque subiectione appetitus ad rationem per iustitiam originalem; saltem illud iudicant impossibile attenta sapientia, & bonitate Dei: & noster Ægidius in 2. dist. 30. qu. 1. ar. 1., & dist. 32. qu. 2. ar. 1. dicit, Deum ex aliquo debito, immo necessitate instituisse naturam cum iustitia originali. Saltem nonnullum dubium est, an potuerit oppositum; nullum verò, quin rectè, immo cum magna suæ bonitatis laude eam conseruet, licèt amissa illa iustitia, libidini obnoxia sit; nec quin rectè pariter, & laudabiliter pro eiusdem propagatione distinctionem sexuum, & virtutem seminum seruet, & tribuat. Tantum distat inter institutionem rei cum aliqua deordinatione, & inter eiusdem conseruationem etiam cum illa; ita vt primum videatur esse impotentiæ, vel insipientiæ, vel nequitiæ, secundùm verò sine dubio sit virtutis, sapientię, & bonitatis. Ita multùm distat inter copulam coniugalem ex sui institutione nec supponentem, nec trahentem malum libidinis, & magnũ insuper bonum habentem fidei, & prolis: & inter fornicationem, mollitiemque illud malum supponentes, & trahentes. Sicut autem Deus non instituit, & fortè nec instituere potuit naturam obnoxiã illi malo, ita fortasse neque copulam supponentem, aut trahentem illud (ex quo etiam capite videri potest improbabilis sententia Glosæ, Magistri, Gratiani, & Abulensis, quos supra retulimus Disp. 6. cap. 2. de noua institutione nuptiarum a Deo post exortam libidinem.) Certè Deus eam instituit ante illud malum: conseruat autem etiam post illud propter bona, quæ non amisit propter illud malum. Igitur ob malum libidinis, quod ex sui institutione supponunt, & trahunt fornicatio, & mollities non sunt licitæ neque ad seruandam vitam, vt rectè sensit D. Casimirus; & ob procreationem prolis licita est copula coniugalis, non obstante malo libidinis, quod non trahit, nec supponit ex sui institutione, sed ei per accidens adiectum est, ac proinde in copula verè coniugali permissum tantùm, non volitum; si enim volitum est, iam copula non est verè coniugalis. Licitum est enim, sicut seruare naturam, ita exer-

Digitized by Google

exercere opus ex ſui inſtitutione, & natura bonum, etiam ſi poſtea ei aliquod malum adiunctum ſit. Ita licitè ſumimus cibum, & potum ad ſubſtentationem vitæ, quamuis inde periculum adſit libidinis gulæ excitandæ. Hinc Deus etiam poſt exortam libidinem præcepit Noe, & filiis eius copulam coniugalem ad reparandum genus humanum diluuio deletum per illa verba: *Creſcite, & multiplicamini Geneſ. 9.*, quæ non puræ permiſſionis, ſed præcepti vim habuerũt, vt notat Abulenſis: voluit enim Deus reparari genus humanum, vt poſt multas generationes carnem aſſumeret Verbum Diuinum, & impleretur numerus electorũ. Hinc antiqui Patriarchæ vxores, eaſque plures vno tempore habebant ad multiplicandum populum fidelem, ideſt, Iudaicum, idque non tantùm inculpabiliter, ſed & meritoriè; quod meritum etiam acquirunt Chriſtiani, ſi generent filios, vt regenerentur in Chriſto.

9. Sed adhuc replicabitur. Saltem peccatum mortale erit copula coniugum ob ſolum finem voluptatis; nam hæc non eſt inſtituta ante ortum libidinis, *immo ab hominibus adinuenta ex libidine*; ergo erit mala, ſicut fornicatio, & mollities. Hoc autem eſt contra præceptum Chriſti inhibentis, dimitti vxorem, niſi ex cauſa fornicationis, Matth. 5., & 19., & Apoſtoli prima Corinth. 7. præcipientis, reddi debitum, etiam dum petitur ex libidine. Igitur ratio adducta pro malitia naturali fornicationis, & mollitiei non rectè procedit.

Reſpondetur, illam quidem copulam non eſſe verè coniugalem, tamen ad illam reduci, & ideo non eſſe peccaminoſam mortaliter, ſed tantùm venialiter. Quia enim ſnitur cum coniuge, ſeruatur Fides, & quodammodo etiam caſtitas coniugalis, vnde non omnino ceditur libidini. Vt enim ait Auguſtinus de Bono Coniugali cap. 5.: *Et ſi turpe eſt libidinosè velle vti marito, tamen honeſtum eſt, nolle miſceri niſi marito.* Ergo excedit illa copula finem coniugii, quatenus ea non eſt gratia prolis; non tamen frangit fidem, neq; tranſgreditur poteſtatem. Tradita enim hæc eſt abſolutè; ergo eſt immoderatus vſus rei conceſſæ, non vſus rei non conceſſæ, & per conſequens eſt venialis, non mortalis. De qua re, quia diligenter a Nobis diſputatum eſt contra Propoſitionem 9. cap. 2. Argumento 4. non aliud hic putamus addendum.

✠

Digitized by Google

CAPVT II.

Examinatur ratio D. Thomæ pro malitia naturali simplicis fornicationis.

1. D. Thomas 22. quæst. 154. art 2., & cum eo plurimi probat, fornicationem simplicem esse natura sua malam, quia vergit in damnum prolis: huius enim educatio, & instructio requirit curam patris, & matris; at fornicarii, nec habitant simul, nec verò curant de prole; non enim eius gratia, sed solius voluptatis copulantur; ergo. &c. Quę ratio impugnatur a Martino de Magistris, defenditur autem a Caietano; itaque videndum est, quam vim habeat.

Obiicit contra eam Martinus, Quia potest contingere, vt in aliqua Politia habeatur publica cura de infantibus expositis, siue a parentibus reiectis (apud Spartanos quidem etiam abstrahebantur filii a parentibus, vt eorum blanditiis remotis exactiùs, ac rigidiùs ad Lycurgi instituta formarentur) Potest etiam, vel mulier, vel vir esse diues, & per ministros prouidere proli; ergo tunc fornicatio non verget in damnum prolis; ergo ex hoc capite non erit peccaminosa: sicut, inquit Martinus, iactus lapidis non est peccaminosus, dum prouidetur, ne quis ex eo percutiatur.

At contra Martinum acriter, & magna, vt solet, authoritate insurgit Caietanus: Vtque Martini argumento respondeat, præmittit, de rebus iudicandum esse secundùm ea, quæ ipsis conueniũt per se, non per accidens; aliter detruitur, inquit, tota Philosophia moralis; sed per accidens se habet respectu copulę, vt Politia prouideat de educatoribus, & instructoribus prolis, & copula eo ipso, quò fornicaria est, caret ordine ad prolem educandam; ergo mala est. Atque hanc rationem videtur indicare D. Thomas loco supracitato. Affert exemplum de copula inter coniuges senes, quæ inepta est ad generationem; nec tamen, inquit, est peccaminosa, quia illa ineptitudo conuenit ei per accidens ratione ægritudinis, vel ætatis; per se autem omnis seminatio voluntaria ordinatur ad generationem.

Ex

Digitized by Google

, Ex his ſoluit obiectionem de iactu lapidis; quia, inquit, huiuſmodi iactus non eſt de ſe percuſſiuus, vel occiſiuus, ſed tantùm, quatenùs ſit improuidè; ſed copula fornicaria per ſe caret ordine ad educandam, inſtruendamq; prolem; ergo poteſt iactus lapidis, dum ſit prouidè excuſari a culpa, non poteſt hæc copula.

2. Sed in his multiplex deprehenditur allucinatio Caietani. Verum eſt, deſtrui non tantùm Philoſophiam moralem, ſed omnem ſcientiam, ſi de rebus iudicetur ſecundùm ea, quæ ipſis conueniunt per accidens; immo de talibus non poteſt dari ſcientia, quia non habent determinatam cauſam; ſed cura Reipublicæ de infantibus expoſitiis non ſe habet per accidens reſpectu copulæ, ſeu potiùs intentionis ſe copulãtium, de qua diſputatur, an ſit peccaminoſa, nec ne, dum intendunt prolem ſuſceptam ſubdere illi curæ. Quod enim eſt ſecundùm intentionem agentis non ſe habet per accidens reſpectu eius, vel operis eius; immo illa ſe habent per accidens, quæ eueniunt præter intentionem agentis. Cuius rei non ſemel D. Thomas affert exemplum in rubigine, quam dicit accidere ferro electo ab artifice ad ſectionem, quia, ſcilicet, eſt præter intentionem artificis eligentis ferrum, quatenus aptum ad ſecandum. At tantum abeſt, vt exercentes eam copulam non velint, a Politia curam ſuſcipi de prole expoſita, vt niſi ea ſuſciperetur, abſtinerent a copula, vt ſupponitur; ergo ea cura non accidit exercitio illius copulæ. Accidit quidem copulæ conſideratæ ſecundùm ſe, ſeu quantùm eſt ex natura rei; at operi morali conueniunt per ſe non tantùm, quæ illi conueniunt ex natura rei, ſed etiam, quæ ſecundùm intentionem agentis; aliter reuera deſtruitur tota Philoſopia moralis. Quis enim neſciat, opera moralia iudicari bona, vel mala ſecundùm intentionem, a qua procedunt, ſeu ſecundùm finem, in quem ordinantur? Quæ quidem intentio, ſeu finis accidit operi ſecundùm ſuam naturam. Lex ipſa poſitiua accidit operibus moralibus, pendet enim ex arbitrio Legislatoris, & poteſt adeſſe, & abeſſe; & tamen in ordine ad illam opera iudicatur bona, vel mala. Ipſa intentio educandi prolem per ſe ipſos copulantes accidit copulæ, quantùm eſt ex natura eius; & tamen propter eam concedit ipſe Caietanus excuſari copulam a fornicatione. Tamdem. Nullum peccatum eſſet in eo, qui, cùm ei incumbat cura, ne inſepultus iaceret conſanguineus, vel affinis, non ſuſciperet per ſe eam; ſed relinqueret loco pio, ſi quod eſſet, habenti curam funerum; ergo, quamuis cura nutriendæ, & educandæ prolis incumbat eius genitoribus, non peccant ipſi, ſi eam demandent Politiæ talem curam

ſu-

Digitized by Google

suscipienti. Sed & Caietanus supponit id, quod ei primitùs probandum erat, nempe, fornicariam esse copulam initam a viro, & muliere absque intentione educandi prolem per se ipsos; inde enim concludit esse malam, & carere ordine ad bonum prolis. Atqui illud erat ab eo probandum; nam certum est, copulam fornicariam esse malam: at, quòd copula reddatur fornicaria ex eo præcisè, quia ab illâ exercentibus non habeatur intentio educandi per se ipsos prolem, non probatur a Caietano, & apparet omnino falsũ, cùm etiam legitimi coniuges soleant prolis curam tradere nutritiis, & pædagogis, & cum hac intentione copulam exercere. Cùm igitur illud per totum suum discursum supponatur a Caietano, iudicari potest, qualis ille sit.

3. Exemplum, quod affert de copula coniugum senum, qui inepti sunt ad generandum, absurdissimè affertur. Primò enim; si habeatur notitia illius ineptitudinis, copula peccaminosa est saltem venialiter ex parte exigentis, quia exigita tantùm ad finem voluptatis, de quo copiosè dictum est supra Propositionem 9.; excusatur autem a mortali, non propter illam distinctionem de, per se, &, per accidens, quam comminiscitur Caietanus, sed propter nuptias, vt loco citato ostendimus.

Secundò. Nimis inconsideratè dicitur, ętatem per accidens conuenire senibus, cùm propter ętatem vtique, etiam quacumque alia re remota, sint, & dicantur senes.

Tertiò. Quantùm ad ineptitudinem, vel aptitudinem generandi magis per se se habet robur, vel imbecillitas virium, quàm numerus annorum; si enim hic reddit ineptum, est quia reddit imbecillem; aliàs senex robustus potest generare, vt patet in Abraham, qui plusquam centenarius genuit filios ex Cethura adolescentula, Genes. 25. Ergo, dum Caietanus supponit senes ineptos ad generandum, supponit eos imbecilles viribus; aliter falsa esset suppositio. Ergo absurdissimè postea dicit, ineptitudinem ad generandum conuenire senibus per accidens ratione ęgritudinis, cùm senes hic ab ipso accipiantur, vel accipi debeant pro ægrotis, siue imbecillibus.

Quod subdit, omnem seminationem voluntariam esse ordinatam ad generationem, euidenter est falsum; nam nec mollities, nec fornicationes, nec adulterja sunt ordinata ad generandum, sed ad voluptatem; nisi loquatur de ordine naturali seminis, quod a natura datum est ad generandum, & vim habet generandi. Sed de hoc loqui, non est ad propositum; nam neque hic ordo datur semi-

Digitized by Google

ſemini à voluntate ſeminantis, quare fruſtra diceret: *Omnis ſeminatio voluntaria*; neque excuſat a peccato fornicationem, &c.

4. Solutio eius ad Argumentum de iactu lapidis non ſolùm inſufficiens eſt, ſed etiam captioſa. Iactus lapidis non eſt per accidens percuſſiuus, ideſt, afferens periculum percuſſionis, ſed per ſe ratione ponderis, & diuritiei, dum iacitur per loca, per quę homines tranſeunt; & ideo opus eſt prouidentia, ne percutiat; ſi n. non eſſet per ſe percuſſiuus, quæ neceſſitas prouidentiæ, ne percutiat? Neque ſanè tribuitur illi vis percutiendi ab improuidentia; hæc enim nihil operatur, immo relinquit illum in ſui natura, propter quod & percutit. Non ergo debet dici: illum iactum eſſe tantùm percuſſiuum, ſi fiat improuidè, ſed eſſe percuſſiuum, niſi fiat prouidè, quia de natura ſua eſt percuſſiuus, niſi accedat cautela prouidentiæ, quam non adhibet improuidentia. At copula ſine intentione educandi prolem per ipſos genitores non eſt de natura ſua poſitiuè noxia proli, ſed tantùm caret illo ordine ad bonum prolis educandæ per illos. Si ergo ille iactus poteſt fieri abſque percuſſione, atque adeo abſque peccato, dum prouidetur, ne vllus percutiatur, a fortiori illa copula poterit eſſe non mala, dum prouidetur, ne proles careat educatoribus, & inſtructoribus, ſubiiciendo eam curæ Reipublicę, & hac intentione copulam exercendo.

Ineptè igitur, & captioſè ait Caietanus: *Iactus lapidis non eſt de ſe leſiuus, copula autem fornicaria de ſe caret ordine ad bonum prolis*. Nam lædere, & non prodeſſe non ſunt contradictoriè oppoſita. Debebat ergo dicere: Iactus de ſe non lędit, illa autem copula de ſe lędit. At quia vidit hoc falſum eſſe, ideo maluit, vel potiùs coactus eſt dicere: Copula caret ordine ad bonum prolis; & ſic nullam ſtatuit oppoſitionem contradictoriam inter ea, & per conſequens nullam diſparitatem, ſiue rationem, cur a iactu lapidis poſſit remoueri peccatum ex prouidentia iacientis, ab illa autem copula non poſſit remoueri ex prouidętia ſeſe copulantium. Falſum inſuper eſt, copulam illam carere ordine ad bonum prolis, dum habetur intentio ſubdendi eam curæ Reibublicæ, aut aliorum.

5. Rursus poſitiuè arguitur contra Caietani ſententiam. Si enim non obſtante intentione exercentium copulam de ſubdenda prole curæ Politiæ, aut alterius, adhuc illa copula peccaminoſa eſt, & fornicaria tamquã vergens in damnum prolis, ſequitur, plures copulas coniugum fidelium, etiam gratia prolis initas, eſſe ex eo capite tales; quia plures ſunt, qui propter inopiam non valentes

per

per se ipsos prouidere proli, eam subdere intendunt administrationi hospitalium, aliorumue piorum locorum, qui ad hoc ipsum erecti sunt. Plures etiam, qui filios suos admodum pueros Religionibus tradunt, vt traditus est ipse D. Thomas; de cuius argumenti vi disputamus, Diuus quoque Placidus, Beda, aliique; quo pacto parentes eorum curam aliis demandant; ergo copula exercita cum intentione subdendi prolem curæ Reipublicæ, aut aliorum ministrorum nõ est ex eo capite peccaminosa, aut fornicaria, quia vergat in damnum prolis.

6. Non tamen abiiciendam ducimus rationem D. Thom., immo ad sensum, ad quem allata est, probandam.

Nomine enim fornicationis ibi intelligit concubitum vagum, vt patet legenti; hic autem non solet exerceri ex intentione, vel cùm intentione prolis educandæ, immo nec suscipiendæ, sed solo ardore libidinis; propterea vergit in damnum prolis. Quod autem subdit: (*Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter prouideat proli de educatione, quia id, quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundùm id, quod communiter accidit, & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere*) non ita intelligendum est, quasi etiam in eo casu velit, illam fornicationem vergere in damnum prolis; hæc enim esset manifesta contradictio, cùm damnum prolis sit carentia educationis, & tunc sufficienter prouideatur proli de educatione. Neque etiam ita intelligendum, quasi velit, etiam tunc illam copulam esse peccaminosam, quia illa prouidentia per accidens conuenit illi copulæ, quem sensum accepit Caietanus; nam quod conuenit actui ex intentione agentis, non conuenit illi per accidens, sed per se, præcipuè quantum ad esse bonum, vel malum, vt supra dictum est. Deinde: si peccatum inest copulæ illi propter damnum prolis, si enitetur hoc damnum, quocumque modo euitetur, non potest inde copula contrahere peccatum. Tandem. Fornicatio præcisè sumpta abstrahit ab illa prouidentia, & carentia eius: potest enim vtroque modo exerceri, vt fatetur ipse D. Thomas; ergo falsò dicitur, fornicationem per se, ideſt, ex natura sua carere illa prouidentia, solùmque ei adiungi per accidens.

Sed est intelligendum, quòd, quamuis aliquando fornicatio exerceatur cum illa intentione, tamen rectè, & doctrinaliter dicitur absolutè, & simpliciter, fornicationem vergere in damnum prolis; quia doctrina, sicut & Lex traditur de iis, quæ communiter accidunt, non de iis, quæ aliquando; communiter autem for-

Digitized by Google

fornicatio non exercetur cum illa intentione. Ex quo indicatur, quod ſi exerceatur cum illa intentione, non erit peccaminoſa ex illo capite; quod directè opponitur dictis Caietani, & eſt ipſa noſtra Doctrina.

Sed hic dicetur; ergo D. Thomas non probauit vniuerſaliter, omnem fornicationem, ideſt, omnem copulam extra ſtatum coniugalem eſſe mortaliter peccaminoſam; & per conſequens eius reſolutio non adæquat titulum quæſtionis: *An fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale.*

Reſpondetur, D. Thomam loquutum eſſe de fornicatione ſimplici, prout communiter committi ſolet; & in eo ſenſu rectè probaſſe, eam eſſe mortalem. Generalem autem rationem, cur copula extra ſtatum coniugalem, immo oſcula, & tactus ſint mortaliter peccaminoſa, attigiſſe art. 4. eiuſdem quæſtionis 154. in reſponſione ad ſecundum; vbi dicit, quòd oſcula, & tactus, quamuis ſecundùm ſe non impediant bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex libidine, & ex hoc habent rationem peccati mortalis. Maximè autem ex libidine procedit quælibet copula extra ſtatum coniugalem. Verùm ad vbertatem doctrinæ, plenioremque dictorum intelligentiam diſcutienda ſunt nonnulla dubia de quibuſdam ſpeciebus copulæ inter virum, & mulierem, an, ſcilicet, ſint peccaminoſæ, nec ne.

CAPVT III.

An ſit peccaminoſa copula, qua exercetur non intendendo prolem, ſed nec eam euerſando, & ſi nata fuerit, educare, & inſtruere intendendo.

QVia, vt Auguſtinus ait 4. Confeſſ. cap. 7. *Proles, etiam ſi contra, vel præter votum naſcatur, tamen nata diligi ſe cogit*, poteſt contingere, vt exerceatur copula, libidinis gratia, non ſuſcipiendæ prolis, cum intentione tamen eam educandi, ſi proueniat. De hac igitur quæritur, an ſit peccaminoſa.

Digitized by Google

Respondetur, si hoc pacto ineatur fœdus inter virum, & mulierem, etiam fide media, illud reuera non esse coniugale, nec ipsos coniuges, sed fornicarios; quia verum coniugium non est nisi ex fine prolis. Igitur peccant mortaliter, tum illud fœdus ineundo, tum ex eo copulam exercendo: Quamuis enim Augustinus de Bono coniugali cap. 5. (& refertur capite: *Solet quari* 32. qu. 2.) dicat, tale pactum fortassis posse non absurdè vocari connubium, tamen id dicit, quia illud propter fidem mediam recedit a concubitu vago, & aliqualiter accedit ad connubium, non quòd verè sit connubium; vnde dicit, *potest fortassis*, nec ait, *verè*, *sed non absurdè*. Ipse autem cap. 10. eiusdem libri diserte pronuntiat: *Concubitus necessarius causa generandi inculpabilis, & solus ipse nuptialis est.*

Si autem a verè coniugibus ea intentione exerceatur copula, est peccaminosa, quamuis non lethaliter, sed venialiter propter fœdus nuptiale, vt supra Propositione nona dictum est; accedit tamen ad fornicariam, quia absque intentione generandi. Vnde Augustinus capite mox citato: *Si tamen coniuges tale concupiscentiæ teneātur* (vt, scilicet, copulentur non gratia prolis, sed libidinis) *rem faciunt non planè nuptiarum*. Si autem habeatur positiua intentio non suscipiendi liberos, mortalis est etiam in coniugibus, quia directè contra finem nuptiarum, propter quem data est eis potestas mutua in corpora.

CAPVT IV.

An sit nuptialis, an fornicaria copula, cum mulier adhibetur ad tempus, donec inueniatur ditior, vel honorabilior, interueniente tamen per id tempus fide, ipsaque muliere non aliud, quàm liberos ex copula cogitante, & post separationem aliam copulam etiam nuptialem aspernante.

1. HOc dubium proponit Augustinus de Bono coniugali c. 5. & refertur cap: *Solet quari* 32. qu. 2.

Re-

Digitized by Google

Reſpondendum, quòd talis copula, ſicut & pactum reiicienda eſt ad fornicationes, non obſtante ea fide, & eo fine, propoſitoque mulieris. Primò. Quiá matrimonii vinculum debet eſſe perpetuum. Qui enim dimiſſa vxore aliam ducit, mœchatur, Matth. 5. & 19. Nec ibi nouum conditur præceptum, ſed ius naturæ explicatur; vnde & ſubditur: *Ad duritiam cordis veſtri permiſit Moyſes vobis dimittere vxores veſtras. Ab initio autem non fuit ſic*; ergo mulier ad tempus adhibita non eſt vxor, ſed concubina. Hinc Auguſtinus de Bono coniugali cap 5. (& refertur cap. *Concubinæ* 32. qu. 2.) *Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec etiam ſi cauſa filiorum concumbant, iuſtum faciunt concubinatum ſuum.* Et cap. *Si conditiones* de Conditionibus appoſitis, dicitur, conditionem determinati temporis eſſe contra ſubſtantiam coniugii, proindeque tunc, matrimonialem contractũ, quantumcumque ſit fauorabilis, carere effectu.

Secundò. Quia finis matrimonii debet eſſe ſuſceptio prolis; at cùm adhibetur mulier ad tempus, adhibetur libidinis gratia, quam frænare, vel non volunt, vel non valent; ergo illud pactum non eſt matrimoniale. Et quamuis mulier prolis gratia conueniat, tamen dum ſcit virum libidinis, non prolis gratia conuenire, & pro determinato tempore, ſicut & ipſa, non marito, ſed fornicario conuenit; propterea nec ipſa eſt verè coniux, ſed concubina. Addit autem rectè Auguſtinus, talem mulierem multis matronis eſſe præferendam, quæ viros ſuos continere cupientes ad reddendum carnale debitum cogunt. Sed non propterea eam iuſtificat a peccato; immo 6. Conf. cap. 15. memorans mulierem, cum qua ipſa ante ſuſceptum baptiſma cubare ſolebat, quæque rediens in Aphricam vouerat, alium ſe virum neſcituram, non appellat eam coniugem, immo dicit, impedimento coniugii, quod ipſe tunc tractabat, a latere ſuo anulſam. Et 4. Conf. cap 2. ſic de ſe ipſo loquitur: *In illis annis vnam habebam non eo, quod legitimum vocatur, coniugio cognitam, ſed quam indagauerat vagus ardor; ſed vnam tamen, ei quoque ſeruans thori fidem. In qua ſanè experirer exemplo meo, quid diſtaret inter coniugalis placiti modum, quod fœderatum eſt generandi gratia, & pactum libidinoſi amoris. Non amator coniugij, ſed libidinis ſeruus eram, vt ſubſtentaretur, & perduceretur, vel integer, vel auctior morbis animæ meæ fatelitio perdurantis conſuetudinis in regnum vxorium.* Hucuſque Auguſtinus.

* * * * *
* * * *

Digitized by Google

CAPVT VI.

An sit coniugale fadus, cùm societas vitæ sancitur duratura non vsque ad mortem, sed ad certum tempus, etiamsi intendatur perpetuitas vinculi coniugalis.

1. QVòd vitæ societas inter coniuges saltem pro aliquo tempore debeat, sicut intercedere, ita & intendi in contractu nuptiali, probat D. Thomas 22. qu. 154. art. 3. & in Supplemento q. 65. art. 3. ex debito prolis educandæ, cui non sufficit alter parens, sed requiritur vterque; nam in Bruris non separantur mas, & fœmina nisi post completam prolis nutritionem, quando vterque est illi necessarius; quando verò proli educandæ sufficit sola fœmina, non cohabitant simul.

Sed hæc ratio probat necessitatem vitæ socialis pro illo tempore, non pro semper: vnde ipse D. Tomas non infert aliud, nisi, quòd ea societas debet esse *non ad modicum tempus, sed diu, vel per totam vitam, quia aliter per generationem magnum damnum infertur directè vitæ hominis*. Filii autem post quam adoleuerint, vel vxores duxerint, discedere solent a paterna domo, propriamque constituere, idque prædictum est Genesis 2., & repetitum Matt. 19. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*. Aliter ingens turba filiorum, & nepotum cum vxoribus eorumdem coangustanda esset in vna domo; quod quidem patiuntur Armeni in Armenia maiori, qui proinde numerosissimos continent familiarum greges, vt refert Boterus parte 3. Relationum cap. de Dioscorianis; sed reliquus orbis terrarum non imitatur. Et certè, cùm parentes senuerint, non ipsi de filiis, sed filii de ipsis curare debent. Videtur igitur, iniri posse contractum verè nuptialem cum ea conditione, vt coniuges non vsque ad mortem, sed tantùm prout necessarium erit proli, cohabitent simul.

2. Verùm dicendum est, talem contractum non fore nuptialem.

De-

Digitized by Google

Definitur enim Matrimonium: *Coniunctio viri, & mulieris indiuiduam vitæ ſocietatem retinens*. Licèt autem Magiſter in 4. d. 27. id intelligat de indiſſolubilitate vinculi, &, quòd alter coniugum non poſſit ſine alterius conſensu votum vouere caſtitatis, vel orationi vacare, dum exigitur debitum; tamen, quòd intelligi debeat de indiuiſione cohabitationis, probatur. Quia nec viro ab vxore, nec vxori a viro licet diſcedere, niſi ex cauſa fornicationis, prima Corinth. 7., & Matthæi 19.; cuius prohibitionis ea redditur ratio, quia vir dimittens vxorem facit eam mœchari, & ſimiliter vxor dimittens virum; ſed diſceſſus ille non poteſt intelligi ſolutio vinculi; nam hoc neque per fornicationem ſoluitur (cuius oppoſitum ertiuè dixit Caietanus in Matth. cap. 5., & 19.) nec prorsus voluntate humana poſt conſummationem matrimonii eſt diſſolubile; vnde inane fuiſſet, aut ſuadere, aut præcipere viris, ne vxores dimittant in hoc ſenſu; ergo intelligendus eſt de ſeparatione a cohabitatione; nam hoc ſufficit ad exponendum coniugem periculo mechiæ; ergo non licet coniugibus a cohabitatione ſeparari.

Secundò. Quia, etiam excepta prole, magnum coniugii bonum eſt ipſa naturalis in diuerſo ſexu societas, vt ait Auguſtinus de Bono coniugali cap. 3., immo, vt idem ait ibidem capit. 1. filii ſunt honeſtus fructus, *non coniunctionis maris, & fœminæ, ſed concubitus*; proinde hic fructus, ſeu hoc bonum non eſt in ſenibus, aut continenter viuentibus, aut ſterilibus, ſed illud; ergo illa ſocietas retinenda eſt a coniugibus, tamquam indefectibile matrimonii bonum, etiam ſi proles deſit: aliter nullum bonum in ſterilibus, ſenibus, & continentibus erit ex matrimonio; nam fides propter illam vitæ ſocietatem, & propter filios procreandos eſt neceſſaria.

Hinc Gregorius cap. *Requiſiſti* 33. qu. 1.: *Iſte, ſi non poteſt eam vti pro vxore, habeat eam quaſi ſororem*. Et Cœleſtinus cap. *Laudabilem* de Frigidis, & maleficiatis, & Lucius Tertius cap. *Conſultationi* eodem Titulo idem dixerunt. Mulier enim, quia minùs pollet ratione, & vſu rerum, & ad multa negotia impar eſt, indiget directione, & protectione viri; ideoque iniri poteſt ſocietas illa naturalis, etiam remota voluntate copulæ, & prolis, vt patet in Beatiſſima Virgine, quæ continentiæ votum habebat, & S. Ioſeph; vnde Hieronymus lib. 1. in cap. 1. Matth. dicit, ideo nutu Dei Virginem deſponſatam fuiſſe, antequam Chriſtum pareret, vt

in

Digitized by Google

in Ægyptum fugiens haberet solatium? Quamuis matrimonium, necessariò asserre debeat potestatem mutuam in corpora, & fidem. Hæc autem protectio, & directio non potest exerceri, nisi vir, & vxor cohabitent simul; vnde magna damna possunt, & solent vxori, & domui accidere propter absentiam viri; ergo status nuptialis exigit cohabitationem coniugum, & per consequens contractus ille cum ea intentione iniri debet.

3. Adsunt quidem causæ iustæ, & rationabiles, quibus legitimè coniuges domo seperantur, easque enumerat Toletus Instructionis lib. 4. cap. 25., aliique; & cùm in bonum commune ordinata sit illa cohabitatio, de voluntate vtriusque coniugis licet alteruri se absentare: idque passim fit a militibus, nautis, negotiatoribus, & ministris Principum. Si verò vxoribus damnum patientibus, & iustè redamantibus viri, vel discedant, vel ad propria non redeant, non sunt, inquit Toletus, absoluendi, nisi saltem firmum propositum concipiant sine mora redeundi. Tantam enim in sese mutuam potestatem habent coniuges, vt possit alter alterius vota irritare, cùm bono proprio, vel domus sunt nociua, quale solet esse votum peregrinationis in longinqua; vt cùm D. Thom. 22. q. 88. ar. 8. ad 3. dicunt communiter Doctores.

Verùm aliud est, posse coniuges legitimè a cohabitatione diuidi, aliud inire coniugium absque intentione cohabitandi vsque ad mortem: sicut aliud est, Regularem posse viuere in Religione solutum, vel suspensum a debito obedientiæ, quod accidit, cùm sit Superior Generalis, præsertim si hoc officium sit perpetuum, vel cùm aliquod officium obtinet, propter quod ab obedientia Generalis sit exemptus, vt accidit Assistentibus in nostro Eremitarum S. P. Augustini Ordine; aliud emittere professionem cum intentione non subiiciendi se Superioribus Ordinis vsque ad mortem, sed ad determinatum tempus. Primum non est contra Regularem professionem, secundum verò professionem reddit nullam. Sic in proposito. Hinc cap. *Si Conditiones* de Conditionibus appositis dicitur, conditionem determinati temporis esse contra substantiam coniugii, proindeque tunc matrimonialem contractum carere effectu.

Addi potest tertia ratio. Quia solemnitas non adhibetur ab Ecclesia, nisi cùm aliquis manciparur totaliter alicui rei, vt habet D. Thom. 22. qu. 88. art. 7., sed solemnitas ab Ecclesia adhibetur nuptiis, item & professioni regulari; ergo sicut per professionem

Digitized by Google

nem regulatem quis totaliter, ideſt, vſque ad mortem mancipatur Religioni, ita per fœdus nuptiale vir, & mulier mancipatur ad inuicem. Sed hæc mancipatio nulla eſt, ſiue nõ habet effectum, niſi obligentur ad conuiuendum; ſicut mancipatio Regularis non habet effectum, niſi viuat, vel obligetur ad viuendum in domo Regulari; ergo, &c.

Igitur fœdus initum inter virum, & mulierem etiam cum intentione prolis, & perpetuitatis vinculi, ſi ſit ad cohabitandum tempore determinato, & non vſque ad mortem, non eſt nuptiale; atque adeõ nec copula inde ſequuta eſt nuptialis, ſed fornicaria.

Argumenta prõ Propoſitione damnata afferentur Diſputatione ſequenti cap. 21, quia militant etiam prõ Propoſitione 49.



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO LXIII.

Contra Propoſitionem LXIX.

Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Vnde, ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 FALSITAS huius Propoſitionis patet ex dictis contra Antecedentem. Si enim mollities naturaliter mala non eſt, non poteſt aſſignari ſufficiens ratio, cur Deus tam acriter illam inhibuerit, vt in nullo caſu liceat: Item; dum fit propter delectationem eſt contra ordinem naturæ, quæ ſemen inſtituit non ad voluptatem, ſed ad generationem; & numquam operis finem habet delectationem, ſed delectationis finem opus, vt patet in comeſtione: licèt enim hæc non fiat ſine delectatione, non tamen eſt propter illam, ſed propter nutritionem. Hinc cibus, & potus naturaliter traiicitur in ſtomachum, vbi fit concoctio ad nutriendum; nec a natura datum eſt foramen, vel via, qua eiici poſſit, poſtquam palatum, gulamque delectauerit. Item: Quia finis hominis debet eſſe honeſtum, non delectabile; hoc enim eſt finis brutorum; ergo operari propter delectationem peccatum eſt iure naturæ.

Si autem fiat ad tuendam ſalutem in aliquo caſu, etiam peccatum

catum eſt, quia in illa propter vehementiam delectationis ratio abſorbetur, & vincitur a ſenſu, quod eſt contra ordinem naturæ, ſecundùm quem ſenſus debet ſeruire, ratio dominari. Quæ omnia patent ex dictis contra Propoſitionem Antecedentem cap. 1., & contra Propoſitionem 9.

Ex quibus etiam ſoluta remanent Argumenta Caramuelis, aliorumque; quæ tamen capite ſequenti referemus.

Modò addimus, hanc Propoſitionem deteriorem eſſe Antecedente, quia magis contra ordinem naturæ eſt mollities, quàm fornicatio. Quippe, & ſi in fornicatione non intendatur generatio, poteſt tamen per eam fieri; at per mollitiem nullo modo, immo per eam diſperditur ſemen; ſed fornicatio eſt contra ordinẽ naturę, quia per eã nõ intẽditur generatio, propter quam natura inſtituit ſemen; ergo multò magis mollities. Igitur mollis in iniuriam, & damnum naturæ operatur diſperdens ſemen, ex quo poteſt generari homo; ſicut iniuriam, & damnum irrogat domino tritici, vel alterius ſeminis, qui illud diſperdit. Et ſicut gaudii materia eſt, cùm naſcitur homo in mundum, vt Chriſtus Dominus dixit Ioannis 16. 21. ita materia luctus eſt, cùm exercetur mollities, quia homo quodammodò occiditur, antequàm generetur; vt ſupra de procuratione abortum ante animationem fœtus Propoſitione 34. dictum eſt; quare ibi eſt quodammodò abortus, non quidem proximè, vt cùm conceptus eſt fœtus, ſed remotè.

Hinc Diogenes Cynicus, cùm mollitiem exerceret, dicebat: *Hominem perdo*. Et Martialis Poeta Pontico ſe polluenti: *Iſtud, quod digitis, Pontice, perdis, homo eſt*.

2. Verùm, quia Propoſitio non tantùm dicit, mollitiem ſecundùm ſe non eſſe malam, ſed addit, ſæpe fore bonam, & aliquando obligatoriam ſub mortali, niſi eſſet interdicta, oſtendendum eſt, quanta id abſurditate dicatur. Nam, ſi mollities ſæpe eſt bona, (ex fine, ſcilicet, eo quia ſit vtilis, vel neceſſaria tuendæ ſaluti, vel vitæ) ſequitur, eſſe licitam non obſtante Dei interdicto; quia ius naturale tuendæ vitæ non tollitur per præcepta Dei poſitiua, vt patet in præcepto de requie Sabbati, quo non obſtante Machabæi ſine peccato in defenſionem gentis pugnarunt illo die, primo Machabæorum 2., & ex definitione Chriſti, quòd liceat Sabbato curare, Lucæ 14.; ergo non obſtante interdicto, quòd aiunt Dei, licebit pro ſeruanda vita procurare pollutionem, quod ipſi Authores Propoſitionis admittere non audent, nec admitti poteſt.

Secundò: Si aliquando eſt obligatoria ſub mortali, hanc vim

Digitized by Google

habebit ex iure nature, ideſt, ex ordine rerum; ſed Deus præceptis ſuis non tollit, neque immutat ordinem rerum, immo lege ſua æterna vetat, eum perturbari, iubet conſeruari, vt ait Auguſtinus 22. contra Fauſtum cap.27.; ergo illa non eſt interdicta a Deo; vel ſi eſt interdicta, Deus ipſe euertit ordinem rerum, & legem ſuam æternam; & adeo euertit, vt ſit peccaminoſum mortaliter facere aliquid etiam in eo caſu, in quo ex ordine rerum eſſet peccatum mortale ipſum non facere. Etenim ex interdicto Dei mollities non amittit eam bonitatem, quam habet ex ordine rerum, & propter quam obligaret ſub mortali; nec enim poteſt amitti ea bonitas, niſi mutato ordine rerum; ſed Deus non ſupponitur, inhibendo mollitiem, immutaſſe ordinem rerum naturalem; ergo, ſi eam Deus inhibuit, bonum inhibuit, & malum iuſſit. Quiddam igitur magnum, & mirabile efferunt Authores Propoſitionis, nempe, quòd Deus prohibeat rem manente eius bonitate, faciatque idem ſimul eſſe bonum, & malum, bonum ex natura ſui, ſiue ex ordine rerum, malum ex prohibitione. Equidem res natura ſua indifferentes poſſunt ex prohibitione legis euadere malæ; at id, quod ex natura ſua bonum eſt, non poteſt prohiberi a lege, niſi per eamdem poſſit fieri malum. Omnino verò repugnat, vt res, retenta ſui bonitate naturali, euadat mala. Ergo abſurdiſſimè dicitur, mollitiem retenta ſui bonitate ex ordine rerum, eſſe interdictam a Deo. Ergo dicendum eſt, mollitiem ex natura ſua non eſſe bonam, immo neque indifferentem, ſed omnino malam; ita vt neque per Dei potentiam poſſit ab ea tolli malitia eius; eſt enim irritatio libidinis, quæ libido nullo modo poteſt eſſe non mala, cùm repugnet rationi, ſeu ſpiritui, & obiecto eius, quod eſt honeſtum. Audiendus eſt Auguſtinus 3. Confeſſ. cap.8.: *Flagitia, quæ ſunt contra naturam* (ideſt contra ordinem naturalem rerum) *vbique, ac ſemper deteſtanda ſunt, ac punienda, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu Diuina lege tenerentur. Quę autem contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diuerſitate vitanda ſunt.*

3. Verùm Authores Propoſitionis in eo falluntur, quia vtilitatem, vel ſi volunt, etiam neceſſitatem, quam poteſt habere mollities ad ſeruandam valetudinem, vel vitam, vocant eius bonitatem, & putant eam, vt medium neceſſarium ad vitam ſeruandam, eſſe ſub mortali adhibendam; & ideo dicunt, mollitiem ſæpe eſſe bonam, ideſt, cùm vtilis eſt ad eum finem, & quandoque obligare ſub mortali, nempe quando ea eſt neceſſaria ad eumdem. Sed in primis,

Digitized by Google

mis, vt docet Gerſon Tract. de Abſtinentia a carnibus concluſione 3., Azorius tom. 3. lib. 2. cap. 3., Raynaudus in Hoplotheca ſect. 2. ſerie 3. cap. 18., non tenemur ſeruare vitam per quodcumque mediũ, ſi adſit rationabilis cauſa ab eo abſtinendi, etiã ſi illud licitum ſit. Rursus; vtilitas, vel neceſſitas medii ad bonum finem non facit, vt illud ſit licitum, multò minùs vt ſit in præcepto, ſi illud de natura ſua eſt illicitum: aliter licerent mendacia ad ſeruandam vitam. Mollitiem autem eſſe de ſui natura illicitam, iam probauimus.

Secundò. Quòd vtilitas, vel neceſſitas mollitiei ad ſeruandã vitam eſt quidem bonitas phyſica, ſicuti eſt etiam voluptas, quam cauſat; ſed non inde inferendum eſt, mollitiem eſſe bonam moralitates, multò minùs eſſe obligatoriam ſub mortali; non enim omne bonum phyſicum eſt etiam bonum morale: cùm autem procuratur mollities, irritatur libido, & ea voluptas excitatur, qua abſorbetur lumen rationis; ergo de natura ſua mala eſt. Sancti Dei per multas carnis mortificationes non ſolùm valetudinem fregerunt, ſed etiam ſubierunt vitæ diſcrimina, ne erumperet libido. Quare multum eſt, a Catholicis Doctoribus cenſeri, non ſolùm bonam, ſed obligantem ſub mortali pro ſeruanda vita irritationem libidinis, etiam venereæ, quæ cæteris deterior eſt, atque propudioſior.

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.

1. ARguit pro ea Caramuel in Theologia fundamentali Fundamento 53. §. 3. Semen, vel eſt ſudor, vel ſpuma, vel lac, vel ſanguis, vel aliud excrementum iuxta varia Doctorum placita; at iſtorum emiſſionem procurare non eſt ex natura ſua peccatum; ergo mollities non eſt peccatum ex natura ſua.

Reſpondetur, hoc Argumentum iampridem ingeſtum a Luthero ad probandum, nullum eſſe votum caſtitatis, & impoſſibilem vitam cælibem, quia impoſſibile eſt excrementa non eiicere; quare non ſatis conſultè regeritur a Caramuele. Dicitur ergo, quidquid ſit ſemen, ordinatum eſſe a natura ad generationem, qua-

Digitized by Google

re emissionē eius ad alium finem esse contra ordinem naturæ. Item; omnem actum factum ex fine delectationis sensibilis esse peccatum; ergo & mollitiem, si fiat ex eo fine. Rursus; per eam irritari libidinem, quæ mala est, & percipi delectationem, qua ratio absorbetur; ideo ex nulla causa, seu fine esse licitam.

Arguit secundò Caramuel. Sicut semen institutū est ad seruandum genus, ita corporis humores, & partes ad seruandum, immo ad constituendum indiuiduum; sed, hoc non obstante, si partes sint infectæ, vel humores nimia exuberantia, aut praua qualitate noceant, licet illas amputare, & humores per phlebotomiam, aut purgantia medicamenta eiicere; ergo etiam licebit emittere semen, si grauet, vel noceat; sed non est alia via, qua emittatur, nisi carnale fabricatum a natura; nec alius modus emittendi, nisi per titillationem eiusdem; ergo licebit titillare ad procnrandam seminis emissionem pro conseruanda salute, vel vita.

Confirmat. Quia, si fœtus in ventre existens periculum mortis intentet in matrem, potest hæc suam vitam ab eo defendere, tamquam ab inuasore, etiam si ex illa defensione, ideſt, ex medicamentis, quæ assumit, possit sequi mors fœtus; sicut licet cuilibet inuaso, vt supra Propositione 30. cap. 2., & 3. latè ostensum est: aliter mater teneretur diligere filium magis, quàm se ipsam, & nec a filio iam adulto, si inuaderetur, posset se sine peccato cum illius periculo defendere, quod nullus dicit. Ergo a fortiori potest homo aduersùs vim morbi causati a semine se defendere per effusionem ipsius; nam fœtus, vel viuit, vel est propinquior vitæ, quàm semen.

2. Respondetur, Argumentum non aliud probare, nisi, quòd procuratio exitus seminis tunc non foret contra debitum vitæ custodiendæ, vel contra præceptum: *Non occides*, quo quælibet læsio, aut mutilatio corporis inhibetur, sicuti non est contra illa præcepta amputatio partis, vel emissio sanguinis, dum fit ad tuendam salutem, cuius oppositum nullus hucusque dixit; cùmque hic disputetur, an liceat illa procuratio ad seruandam vitam, inaniter probatur, eam esse licitam, quia est pro salute, vel vita, cùm hoc ipsum sub dubio sit, an .s. propter illum finem illa sit licita.

Sed Argumentum probare debet, quòd mollities non sit contra ordinem sensus, & rationis, seu contra virtutem castitatis, cuius est venereas voluptates auersari: in hoc.n.est tota difficultas; immo in hoc ipso consistit discrimen inter procurationem emissionis seminis, & amputationem partis, aut emissionem sanguinis, aliorumque

Digitized by Google

que humorum; quia in his non delectatur, immo affligitur ſenſus carnis, in illa verò talis libidinis delectatio eſt, vt ratio abſorbeatur a ſenſu, quod eſt contra ordinem rerum, & contra dignitatem rationis, quæ debet imperare, non ſeruire ſenſui. Nec eſt deiicienda, ac fædanda natura rationalis, vt caro ſanetur, vt diximus ſupra Prop. 48. cap. 1. Quare de Argumento dici poteſt, quòd aerem verberet, licèt Achilles ſit Caramuens.

Ad Confirmationem dicitur ſimiliter: quòd, ſcilicet, illa defenſio prægnan is adue. sùs fetum non ſit contra præceptum: *Non occides*, idque ibi probatur; at modò non quæritur, an mollities procurata ſit contra illud præceptum; quis enim de hoc dubitet? Sed, an ſit contra virtutem caſtitatis, & contra ordinem ſenſus, & rationis; quæ virtus, & ordo tanti appendenda ſunt, vt etiam mors pro iis ſit toleranda, ſicut pro qualibet virtute, ſiue præcepto naturali.

Fortè dicetur. Licet irritare concupiſcentiam gulæ per ſalſiuſcula, & condimenta, quando id neceſſarium ducitur ad excitãdum appetitum, qui præ morbo, aut alia de cauſa ita languet, vt cibus ſufficiens ſubſtentandæ vitæ non ſumatur. Ergo licebit irritare concupiſcentiam veneris per titillationem canalis, quando id neceſſarium eſt ad ſubleuationem naturæ copia, vel prauitate ſeminis granatę, & languentis.

3. Reſpondetur, negando Antecedens; numquam enim licet irritare concupiſcentiam, quæ natura ſua mala eſt, & ideo, ſi fieri poſſet, extirpanda; quod mortificationibus, vigiliis, & laboribus conantur quotquot eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: licet autem excitare ſenſum, ſeu appetitum eius, ſi id neceſſarium ſit ad ſalutem tuendam. Magnũ autem diſcrimen eſt inter ſenſum, ſeu appetitum, & concupiſcentiam; eamque egregiè oſtendit Auguſtinus 4. contra Iulianum cap. 14.; hæc enim opus eſt Diaboli, & a peccato exorta: ille verò opus Dei pertinens ad conſtitutionem naturæ, vnde in protoparentibus fuit ante peccatum, in quibus tunc non fuit concupiſcentia, & in Chriſto Domino, in quo numquam illa fuit. Senſus quippe eſt vis perceptiua, & guſtatiua ſui obiecti, proinde pertinet ad conſtituendum animal ſenſitiuum: concupiſcentia verò eſt irrationabilis inclinatio in obiectum delectabile propter ipſam delectationem, quæ & repugnat rationi, quæ fertur in honeſtum, & eam præcedit, & excedit. Ad ſumendum autem cibum vitæ neceſſarium non oportet excitare concupiſcentiam gulæ, immo hæc in ipſa comeſtione frænanda eſt; neque enim comeſtio debet

Digitized by Google

bet fieri propter delectationem, in quam fertur concupiscentia; quę neque potest excitari, nisi sensus vigeat; sed excitandus est sensus, vt percipiat sapores, eosque appetere possit, & sic cibum sumere ad substentandam vitam. Vt enim ait idem Augustinus loco cit.: *Si sapida non sunt, quæ ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & pernicioſa sunt cauenda fastidia. Non solùm ergo cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.*

4. Argui potest tertiò. Licet ad seruandam vitam opera facere, vel pati afferentia dolorem, etiam si is ita acerbus sit, vt rationem turbet, & absorbeat: quod solet accidere in sectionibus membrorum. Ergo licebit ad eumdem finem excitare delectationem veneream, etiam si hæc præ sui vehementia absorbeat rationem. Probatur Consequentia. Quia aliter iniquæ conditioni subditur homo, si ei liceat ferre dolorem absorbentem rationem, non autem sentire voluptatem eumdem effectum operantem; nam, si semper debet ratio dominari, subiici sensus, id non minùs seruari debet in dolore, quàm in voluptate; per vtrumque enim potest ratio absorberi, atque adeo tolli ordo rectus sensus, & rationis.

Respondetur, virtutis, ideſt, fortitudinis esse ferre dolores: vitii autem, ideſt, concupiscentiæ prosequi voluptates; & de illis præceptum habemus substinendi, ab his autem abstinendi, de quibus Augustinus serm. 245. de Tempore. Quare, sicut peccatum est prosequi per se voluptates, ita etiam fugere dolores, & molestias carnis, quando necessaria, & iusta causa adest eos substinendi, vt ad satisfaciendum pro culpis, ad cõprimendam concupiscentiã, ad exercitium alicuius virtutis, ad recuperandam salutem, vitamq; tuendam, &c.

Non igitur iniquæ conditioni subiacet homo; sed, quòd ei non liceat prosequi voluptates propter ipsas, aut finere, vt a voluptatibus absorbeatur lumen rationis, ex dignitate est suæ naturæ, qua bonum rationis, ideſt, honestum prosequi debet; quòd verò ei liceat, immo quandoque teneatur ferre dolores, etiamsi mentem turbare possint, ex pœna peccati est, cui per dolores satis fit, præcipuè cùm contractum est per voluptates; vel ex vtilitate comparandi meritum apud Deum, &c. Non tamen, cùm ex vi doloris mens turbatur, siue alienatur, dicendum est, eam vinci a sensu; nam id sonat, quòd sensus prævalens viribus eam sibi subigat. Verùm tunc sensus ipse affligitur, & vincitur ab agente lęsiuo, & corrumpente; non ergo tunc ipse vincit rationem, sed ipse, & ratio

Digitized by Google

tio vincitur ab illo agente. Non eſt autem in præcepto, quia nec in poteſtate, vt ratio prævaleat aduersùs ſenſum doloris, vel aduersùs agens inferens illum. Stoici quidē de ſuo Sapiente dixerūt, quòd poſſet omnem euincere dolorem, etiam ſi in Phalaridis tauro, ſuccenſis ignibus, torreretur; immo tunc dicturum: *Quàm dulce, quàm ſuaue.* Sed hæc, vel ex ſuperbia ſtultitia, vel ex ſtultitia ſuperbia eſt. Qui tamen dixiſſe non referuntur, quòd carnis voluptas non ſubigat rationem, eiuſque lumen abſorbeat.

Verùm, vt pleniùs oſtendatur, quantum ex natura ſua malum ſit mollities, iuuat duo dubia hic excitare, & diſcutere.

CAPVT III.

An liceat procurare, aut ſaltim deſiderare, vt pollutio accidat in ſomno.

1. CVm inde pollutionis procuratio iudicata ſit mala, quia per eius delectationem abſorbetur ratio, hocque malum non accidat in ſomno, ſoporata iam, ſeu ligata per ipſum ſomnum ratione, taliſque inſuper pollutio poſſit eſſe vtilis ad tuendam, nedum ſalutem, ſed etiam caſtitatem, eiecto ſemine, quod ſolet, pulſando ad exitum, irritare libidinem, videri poteſt licitum non ſolū illud deſiderium, ſed etiam illa procuratio. Et ita quantùm ad deſiderium ſtatuunt Caiet. 22. qu. 194. Siluester, Nauarrus, Vaſquez, Toletus, Sancius, Diana, & alii. E contra Sotus in 4. diſt. 12. q. 1 ar. 7. dicit, id eſſe lethale, quia, inquit, pollutio eſt intrinſecè mala, ſicut fornicatio, & adulterium.

Cæterùm Auguſtinus 10. Confeſſ. cap. 30. dicit, homines (caſtos) dolere, ſi eis pollutio accidat in ſomno. *Cùm* (illa) *accidit*, inquit, *vigilantes ad conſcientiæ requiem redimus, ipſaque diſtantia reperimus, nos non feciſſe, quod tamen in nobis quoquomodo factum eſſe dolemus.* Orat inſuper Deum, vt non permittat illam ſibi accidere: *Augebis*, inquit, *Domine magis, magiſque in me munera tua, vt anima mea ſequatur me ad te, concupiſcentiæ viſco expedita; vt non ſit rebellis ſibi, atque, vt in ſomnis etiam non ſolùm non perpetret iſtas cor-*

Digitized by Google

corruptelarum turpitudines per imagines animales vsque ad fluxum carnis sed ne consentiat quidem.

Id ipsum orat Ecclesia in Hymno Completorii: *Procul recedant somnia, & noctium phantasmata, hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora*; & in Hymnuo Laudum Sabbati: *Phantasma noctis exulet.*

De quo autem, si acciderit, rectè dolemus; & de quo rogatur Deus, ne permittat accidere, certè id non rectè desideramus. Rursus: pollutio nocturna ab Ecclesia æstimatur opus nostri hostis, ideſt, Dæmonis, ergo non potest licitè desiderari.

2. Nihilominus censeo distinguendum: Aliquando enim pollutio nocturna accidit sine vlla obscæna repræsentatione, & absque vllo sensu voluptatis; aliquando cum illis. Desiderium, vt pollutio accidat in somno sine vlla repræsentatione obscæna, & sensu, non video, cur sit peccaminosum: si enim non est peccatum desiderare, vt sanguis fluat e naribus ad releuandum caput, vel alii humores per suas vias ad releuandam naturam, cùm ipsum semen possit nos grauare, & incitare insuper ad libidinem, non video, cur simplex desiderium fluxus eius in somno pro valetudine, & castitate tuenda debeat damnari peccati; immo de charitate erga seipsum, & desiderio castitatis descendere potest; remoto enim libidinis sensu, vel periculo quid interest, quantùm ad contrahendum peccatũ, inter desiderium exitus seminis, & sanguinis, aut vrinæ, cæterorumque corporis humorum?

Cùm autem dicitur, pollutionem esse intrinsecè malam, sicut fornicatio, & adulterium: si sermo sit de pollutione voluntariè accersita, siue procurata, verum est: si de naturaliter accidente, absurdissimum: nullum enim opus naturæ est peccatum mortale, sed tantùm voluntatis: nec pollutio est peccaminosa nisi ex libidine; ergo quando nulla adest libido, nulla malitia.

At desiderium pollutionis nocturnæ cum imaginibus, visisque obscœnis, & cum sensu venereę voluptatis, a peccato defendi non potest: est enim ex libidine, & fert secum periculum libidinis. Ipsum enim desiderium cernendi, vel agendi per somnum obscœna vsque ad corporis pollutionem, vnde nam descendere potest, nisi ex libidine cupiente se delectari, vel expleri saltem in somnis; sicut enim effectus iræ, vel odii est desiderare, vt per quietem videamur nobis occidere, vel lędere inimicum, atque adeo tale desiderium est peccaminosum; ita de venerea libidine deriuat desiderium, vt per som-

Digitized by Google

ſomnium videamur nobis exercere venerea, & cum adeo vehementi affectione, vt progrediamur vſque ad fluxum carnis.

Fert etiam ſecum periculum libidinis; quia imagines, & viſa illa, & multò maximè delectatio percepta poſſunt etiam per quietem noſtram mentem occupare, & allicere ad turpia; ergo omnino mortale eſt illud deſiderium.

De pollutione nocturna accidente cum illis imaginibus, & delectatione loquitur Auguſtinus, dum dicit, de ea dolere viros caſtos, rogatque Deum, ne permittat ſibi accidere. Quod patet, tum quia diſertè ibi nominat imagines animales; tum quia memorat imagines rerum carnalium, quas in ſua memoria fixerat conſuetudo; quas dicit, *Occurſare ſibi vigilanti quidem carentes viribus, in ſomnis autem non ſolùm vſque ad delectationem, ſed etiam vſque ad conſenſionem, factumque ſimillimum.* Et ſubdit: *Tantum valet imaginis illuſio in anima mea, & in carne mea, vt dormienti falſa viſa perſuadeant, quod vigilanti vera non poſſunt.*

De iſta quoque loqnitur Eccleſia in illis Hymnis; nominat.n. ſomnia, & phantaſmata noctium. Huiuſmodi autem imagines, ſiue phantaſmata, maximè autem delectatio periculum trahunt, ne occurrant vigilantibus, mentemque, vel auertant, vel diſtrahant ab honeſtis, alliciantque ad turpia.

3. Quantum autem ad procurationem, vt pollutio accidat in ſomno (poteſt id procurari calida, aut multi nutrimenti edulia ſumendo, aut nimio motu, & labore naturæ vires delaſſando, aut certo ſitu corpus locando, aliiſue viis) communiter cenſetur illicita, etiam ab iis, qui licitum putant deſiderium eius; cum quibus, & Nos.

Non enim eſt in poteſtate noſtra, prædicta media adhibendo, ne illa accidat in ſomno potiùs, quàm in vigilia, aut ne incipiat in ſomno, terminetur in vigilia (ipſa nimirum effuſione dormientem excitante) aut ſine turpitudine imaginum, ſenſuque delectationis, quæ poſſunt eſſe illicia libidinis voluntariè exercendæ. Propter hoc igitur periculum, cui ſe exponit ille procurans, immo quod accerſit, peccat mortaliter.

Sed hic arguitur. Licitum eſt deſiderium nocturnæ pollutionis; ergo licita procuratio: regulariter enim quidquid licet deſiderare, licet & procurare.

Ad quod Argumentum reſpondent aliqui, negando Conſequentiam; nam licitè, inquiunt, deſideratur mors hominis iniqui,

Digitized by Google

vel Tyranni, quæ non licitè procuratur. Ita iisdem ferè verbis Toletus, & Diana.

Sed contra est: quia iniqui hominis mors non licitè desideratur, neque ob bonum consequens. Non enim licitè potuit desiderari mors Christi, & si ex ea salus vniuersi penderet: nam Beatissima Virgo cum aliis Sanctis Mulieribus plangebat eam, quas quotannis imitatur Ecclesia. Quod autem rectè plangitur factum, non licitè desideratur futurum.

In hoc etiam Decreto Sanctissimi Domini Nostri damnantur Propositio 13., quæ dicit, licitum esse desiderium de morte alicuius ob emolumentum inde proueniens, & Propositio 14. dicens, licitum esse gaudium filii de morte Patris ob pinguem hæreditatem. Iniquorum non est desideranda mors, immo id est contra charitatem, sed conuersio: desideranda autem auersio malorum, quę faciunt, roganduſque Deus, vt illa auertat; & dolendum de eorum morte in peccato, siue ante peractam pœnitentiam.

Consequentia igitur Argumenti negari non potest: vel enim adest aliquid mali in obiecto desiderato, & tunc non licitè desideratur; vel nihil, & tunc etiam licitè procuratur.

Fortè dicetur, posse esse malum in ipsa procuratione, vt cùm generaliter res non mala malis modis, vel mediis procuratur.

Sed contra est. Quia cùm res de se non est mala, non potest absolutè, & simpliciter esse mala procuratio eius, quatenus talis: si etenim quatenus talis est mala, manifestè sequitur, illam rem esse secundùm se malam, vtpotè, quæ refundat malitiam in attinctionē, vel procurationem sui; quamuis possit esse mala procuratio rei non malæ, quia, scilicet, vel procuratur modo illicito, vel quia adsunt pericula peccati in procuratione eius.

Si igitur non est mala pollutio, vt simpliciter descendens ex causis naturalibus absque vllo sensu illecebroso, aut imagine turpi (quod fateri necesse est eos, qui docent esse licitum desideriū eius) sequitur, quòd procuratio, vt ipsa sic accidat, non sit mala, quatenus procuratio eius; licèt malitiam contrahere possit, vel ex assumptione medii illiciti, vel propter periculum peccati, quod periculū Nos expressimus in probatione nostræ sententiæ.

Ad Argumentum igitur respondendum est, quòd licitè procuratur id, quod licitè desideratur, quantùm est ex ratione rei, vel obiecti procurati: verumtamen potest esse illicita procuratio rei licitè desideratæ, propter pericula annexa pro-

Digitized by Google

procurationi, quæ non annectuntur ſimplici deſiderio; id quod accidit in caſu noſtro.

CAPVT IV.

An teneamur abſtinere ab operibus bonis, vel non malis propter expertum periculum pollutionis?

1. ID eſt, an licitè permittatur, vt pollutio accidat in vigilia, ſi ea accidat ex opere bono, vel etiam non malo, vt ex auditu rerum obſcœnarum in exceptione confeſſionum, vel ex ſpeculatione earumdem, equitatione, comeſtione calidorum, modo recumbendi, tractatione verendorum infirmi ad ipſum curandum, oſculo ex more Patriæ, & ſimilibus.

Affirmant communiùs Doctores; dummodò, inquiunt, abſit periculum conſenſus; & addunt Vaſquez, & Diana, quòd etiam ſi opus, ex quo præuidetur futura pollutio, ſit malum, non tamen in genere luxuriæ, pollutio ſequens non ſit mortalis, quia illud opus non concurrit grauiter ad illam. Opera enim ſuperiora, ait Diana, per accidens tantùm influunt in pollutionem.

Hanc Doctrinam reputo periculoſam, atque adeo fugiendam. Primò. Pollutio inde mala eſt, quia affert delectationem carnalem vincentem ſpiritum, ſeu abſorbentem rationem; ergo non poteſt permitti, niſi accidat ſine tali delectatione, vt aliquando in ſomnis: an autem in vigilia poſſit ſic accidere, alii diiudicent.

Secundò. Quomodo poteſt ab ea abeſſe periculum conſenſus, ſi delectatio eius abſorbet rationem, vt mox dictum eſt? Cùm autem abſorptio, ſeu ſubmerſio rationis proueniat ex tranſmutatione corporali adiuncta pollutioni, vt ait D. Thomas 12. qu. 34. art. 1. ad 1. ſequitur, quòd ſemper per eam abſorbeatur ratio.

Tertiò. Teneremur, ſi poſſemus, cohibere motus ſenſualitatis etiam primò primos, quia mali ſunt, ideſt, contra ordinem naturæ, acciduntque in pœnam peccati originalis, ex quo illa corrupta eſt; & intantum non deputantur ad culpam inquantũ non eſt in poteſtate noſtra eos cohibere, cùm præueniant vſum ratio-

Digitized by Google

nis & libertatis; & patet, quia peccatum est illis consentire, vel eos nō reprimere, dū possumus; ergo ipsi mali sunt; ergo sēper vitandi, si possibile esset; ergo a fortiori euitanda est pollutio, dum possumus. Consequentia patet ex se, & probatur: quia omnis motus sensualitatis venereæ ideo malus est, quia natura sua tēdit ad pollutionem, tamquam ad terminum; propterea oscula, & tactus ad delectationem sunt mortiferi inter eos, inter quos mortifera est copula, etiam si absit periculum vlterioris consensus, & pollutionis, vt definit Alexander VII. in secundo suo Decreto Propositione 40.; ergo multò maximè ipsa pollutio vitanda est.

2. Quartò. Opus non ideo non concurrit grauiter ad illam pollutionem, quia est malum contra aliam virtutem a castitate: etenim etiam opus non malum, immo bonum ex sui natura potest ad illam, vel leuiter, vel grauiter concurrere, vt in hac ipsa quæstione supponitur; quamuis quodlibet opus eo ipso, quo fit cum notitia illius concursus, seu causalitatis euadat malum contra virtutem castitatis; quare ineptum est dictum illud Vasquez.

Quintò. Ex operibus, quæ per accidens tantùm influunt in pollutionem, non potest illa frequenter, aut in pluribus causari: quælibet enim causa, ex qua, vt in pluribus, seu frequenter accidit effectus, est causa determinata, & per se illius; & effectus per accidens sunt, qui contingunt in paucioribus, vt patet ex 2. physic., de quibus propterea non potest dari scientia. Vel ergo supponitur, ex illis operibus frequenter accidere pollutionem, & tunc, non per accidens, sed per se influunt in eam; si autem per accidens influunt, non sunt appellanda causę eius, neque in ea refundenda est pollutio, sed in aliquid aliud, cui illa per accidens adiunguntur; quare nec sunt per se vitanda. Igitur ineptum est etiam dictum Dianæ.

Si igitur opus, quod exercemus, est causa proxima pollutionis, vitandum est, sicut quęlibet causa, vel occasio proxima peccati; si autem est remota tantùm, non est vitandum, & absque culpa exercetur.

Falsum verò penitùs est, quod ait Diana, tantam esse malitiam pollutionis, quanta est obligatio remouendi eius causam: immo e contra tanta est obligatio remouendi causam, tantaque malitia, seu culpa non remouentis, quanta est malitia pollutionis; sicut vniuersaliter, tanta est culpa non remouentis periculum peccati, quantum est peccatum, cuius periculum non remouetur, si quidem a peccato refunditur malitia in omissionem remotionis eius,

Digitized by Google

eius, cùm non ſit aliud præceptum de vitando periculo peccati, quàm de ipſo peccato; vel, ſi eſt aliud, ab illo dimanat. Et conſtat, quòd etiam actus non malus, immò bonus ex obiecto, ſi afferat periculum peccati, vitandus eſt, & vtique non propter malitiam propriam, quam non habet, ſed peccati, cuius affert periculum. Hinc, qui ſe exponit periculo peccandi venialiter, peccat venialiter, & mortaliter, qui mortaliter. Ergo tanta eſt obligatio vitandi actum propter periculum peccati, quanta eſt vitandi ipſum peccatum, & tantæ eſt malitię actus ille, qui vitari debet, quantæ eſt peccatum, propter quod, ſeu propter cuius periculum, vitari debet. Quare abſurde hîc loquitur Diana.



DISPV-

DISPVTATIO XLIV.

Contra Propoſit. L.

Copula cum coniugata conſentiente marito non eſt adulterium, ideoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PRimò. Quia coniuges non habent poteſtatem ſupra vincula, ſeu iura naturalia matrimonii, proinde non poſſunt illa ſoluere; ſed vinculum naturale matrimonii eſt, vt vna mulier vni tantùm viro ſubdatur; ergo non poteſt maritus ſuo conſenſu efficere, vt copula vxoris cum alieno non ſit contra iura matrimonii, atque adeo adulterium: ſimiliter nec id vxor reſpectiuè cũ marito. Minor probatur primò ex Auguſtino de Bono coniugali cap. 17. *:Occulta lege naturæ amant ſingularitatem, quæ principantur. Nec enim ſic habet vnus ſeruus plures dominos, quomodo plures ſerui vnum dominum. Ita duobus, vel pluribus maritis viuis nullam legimus ſeruiſſe ſanctarum; plures autem fœminas vni viro legimus coniunctas, cùm gentis illius ſocietas ſinebat, & temporis ratio ſuadebat. Neque enim contra naturam nuptiarum eſt; plures enim fœminæ ab vno viro fœtari poſſunt, vna verò a pluribus non poteſt. Hæc eſt principiorum vis, vt plures fœminæ vni viro ſint, ſicut plures animæ vni Deo rectè ſubduntur. Ideoque non eſt verus Deus animarum, niſi vnus; vna verò anima poſt multos falſos Deos fornicari poteſt, non fœcundari.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc Auguſtinus, cuius dicta inde etiam apparent vera, quia non ſicut vnum corpus habet plures oculos, nares, aures, manus, pedes, ita habet plura capita, aut corda; vir autem eſt caput mulieris, Epheſior. 5., ſicut caput viri Deus; ergo eſt contra ordinem naturæ, vt vna mulier habeat plures viros tamquam plura capita.

Quod autem ait, nullam Sanctarum mulierum pluribus viris ſeruiſſe viuentibus, id etiam inter gentes ingenioſas, litteriſque excultas apparet. De Græcis enim nullus, ex Romanis vnus legitur Cato Vticenſis, qui fœcundam coniugem Philippo, ſiue Hortenſio ſterilem patienti ad tempus tradiderit fœtandam, vt refert Plutarchus in Catone Vticenſi, & memorat Auguſtinus de Fide, & Operibus cap. 7., & de Bono coniugali cap. 18., & 5. contra Iulianum ca. 9. Quod tamen Catonis factum, quamuis non culpabile, immo, & laudabile, vt ait Auguſtinus, Romanis apparuerit, nullus tamen eſt imitatus, prævalente naturæ zelo contra exemplum viri etiam celeberrimæ integritatis. Hircanis autem, barbaris vtique, & incultis, in more fuit, vxores aliis ad nuptias concedere, cùm duos, treſue liberos ex eis ſuſcepiſſent, vt refert Strabo, & ex eo Pius Secundus deſcriptione de prima Aſiæ parte cap. 17. Sed abrumpebatur primum fœdus, inito ſecundo. Apud Medos autem mulieres ſe in calamitate deſertas dolebant, ſi non plùs, quàm quinque viros haberent, referente eodem Pio loc. cit. ca. 34. Sed & apud Spartanos aliquando id factum eſt, vt narrat Iuſtinus lib. 3., ex neceſſitate tamen vindicandi ab interitu gentem. Cùm enim iuſiurandum concepiſſent, ſe, niſi expugnata Vrbe Meſſeniorum, in Patriam non reuerſuros, & decimum iam annum apud illius muros hærerent, ne proles deeſſet, milites, qui poſt iusiurandum venerant, in Patriam remiſerunt, permiſſo eis vſu omnium fœminarum. Filii tamen ex eis geniti ob notam materni pudoris Parthenii ſunt appellati.

Sed factum hoc, aut rariſſimum, aut fortè etiam vnicum eſt, & de his hactenus.

2. Probatur ſecundò ex Innocentio cap. *Gaudemus* de Diuortiis, vbi ſic dicit: *Ab initio vna coſta in vnam fœminam eſt conuerſa, & Scriptura Diuina teſtatur, quòd propter hoc homo relinquet patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna; non dixit tres, vel duos, nec dixit: adhærebit vxoribus, ſed vxori.* Sed, cùm mulier, etiam conſentiente viro, alteri copulatur, diuidit carnem ſuam, nec ſunt amplius duo in carne vna, ſed tres; neque adhæ-

Digitized by Google

adhæret viro, sed viris; ergo id est contra naturam matrimonii; ergo est adulterium.

Quamuis autem nonnulli opinentur, non esse contra naturam matrimonii, vt vnus vir per plura matrimonia plurificet carnem cum pluribus vxoribus viuentibus, de qua re infra cap. 3., tamen repugnare iuri naturæ, vt mulier plurificet carnem suam cum pluribus viris, omnes fatentur.

Hinc cap. Causam: *Qui filij sint legitimi* dicitur, non posse esse vxorem, quæ viri sui thorum maculauit. Et cap. *Si cui*, & cap. *Si Laici* dist. 34. repellitur ab altari tamquam bigamus, qui vxorem cognouit, posteaquam ea fornicata est, quia diuisa per fornicationem carne vxoris, etiam vir, qui eam postea cognouit, carnem suam diuisit.

Ampliùs progreditur Hieronymus primo contra Iouinianum (& refertur cap. *Quomodo* 31. qu. 1.) dicens, in secundis, & sequentibus nuptiis virum non esse propriè virum: *Siquidem*, inquit, *& illa in Euangelio Ioannis Samaritana, sextum se maritum habere dicens, arguitur a Domino, quòd non sit vir eius: vbi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui propriè vnus est, esse desijt. Vna costa a principio in vnam vxorem versa est. Et erunt, inquit, duo in carne vna, non tres, neque quatuor; aliòquin iam non duo, sed plures.*

Verũ hic per excessũ censendus est Hieronimus loquutus; aliter secũdę nuptię essent nõ nuptię, sed fornicationes, vel adulteria, quod fuit dogma Montani, & Donati ab ipso Hieronymo damnatum Apologia ad Pammachium contra Iouinianum, cuius nonnulla referuntur capite *Aperiant* 51. quæst. 1., & non tantùm sextus, sed omnes præter primum non fuissent viri Samaritanæ, cùm tamen Dominus de sexto tantùm illud dixerit; neque id propter numerum virorum, sed quia non erat ei fœdere nuptiali adstrictus, licèt communiter putaretur eius vir, vt ait Lyranus in illum locum Ioannis. Inde mulier cognouit, eum esse Prophetam, dixitque conciuibus suis, quòd sibi dixisset omnia, quæ fecisset, quia .s. cognouerat peccatum suum occultum. Sed hæc Hieronymi exaggeratio ostendit, quàm sit contra ius naturæ, vnam mulierem habere simul plures viros.

Ostenditur quartò falsitas Propositionis. Quia matrimonium inter fideles non tantùm est officium naturæ, & contractus ciuilis, sed etiam Sacramentum repræsentans vnionem Christi cum Ecclesia, vt ait Apostolus Ephesior. 5., & notissimum est fidelibus; sed Ecclesia vnicum tantùm sponsum habet Christum, sicut Christus vni-

Digitized by Google

vnicam ſponſam habet Eccleſiam, de qua dicit Cant. 6. *Vna eſt dilecta mea*; ergo, cùm mulier alteri viro copulatur, etiam ſi conſentiat maritus, facit contra rationem Sacramenti, quæ eſt in matrimonio, immo totaliter eam tollit, vt ait Diuus Thomas in Supplemento quæſt. 65. art. 1.; ergo non tantùm fornicatrix, ſed adultera eſt. Ideo Bigami repelluntur ab ordinibus, quia non ſunt apti ad repreſentandum Chriſtum cap. *Debitum* de Bigamis non ordinandis.

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.

1. POteſt pro ea afferri Auguſtinus lib. 1. de Sermone Domini in monte capit. 29., vbi relinquit ſub dubio, an vxor etiam teneatur de conſenſu viri pro ſalute eius præbere alteri ſui corporis copiam, ita vt tunc non ſolùm non peccet, ſi faciat, ſed peccet, ſi non faciat; ſic autem loquitur: *Nonnullæ cauſæ poſſunt exiſtere, vbi & vxor mariti conſenſu pro ipſo marito hoc facere debere uideatur, ſicut Antiochiæ factum eſſe perhibetur ante 50. fermè annos Conſtantij temporibus.* Narratque hiſtoriam de muliere, quæ ad liberandum virum de teterrimo carcere, ex eius licentia prædiuiti cuidam eam ambienti ſe tradidit fruendam, vt pecuniam acciperet, quam pro marito ſolueret: *Cùm ſe ſciret*, inquit Auguſtinus, *non habere ſui corporis poteſtatem, ſed virum ſuum, pertulit ad eum, dicens, paratam ſe eſſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe coniugalis corporis dominus, cui tota illa caſtitas debebatur, tamquam de re ſua pro uita ſua uellet id fieri. Itaque de eius conſenſu fecit.* Poſt quæ ſubdit Auguſtinus: *Nihil hic in alteram partem diſputo, liceat unicuique æſtimare, quod uelit.* Nec eſt rariſſimum huius mulieris factum. De Romana enim Matrona narrat Appianus Alexandrinus, quòd, vt virum proſcriptum a nece eriperet, Antonio Triumuiro ſe tradidit proſtituendam. Et plura ſimilia leguntur.

Reſpondetur, ex Argumento nimium concludi, nimirum, vxorem peccare, niſi pro viri ſalute alteri ſe tradat proſtituendam.

Digitized by Google

Augustinus ergo non protulit sententiam de facto illo, non quia de eius malitia dubitaret, sed, quia voluit abstinere tunc a discussione rei, quæ suo proposito non conferebat; idque illi moris est, vt patet versatis in eius lectione.

2. Potest argui secundò. Quia adulterium non aliam malitiam videtur addere supra simplicem fornicationem, nisi iniuriam infidelitatis erga coniugem; sed volenti, & consentienti nulla fit iniuria ex regula 27. Iuris in 6.; ergo copula vxoris cum alieno de consensu mariti remanet cũ sola malitia fornicationis. Atq; hanc rationem indicare videtur Augustinus, dum ait, mulierẽ illam consensum mariti exquisiuisse, quia sciebat, illum habere potestatem corporis coniugalis, de quo tamquam de re sua disponere poterat, & quòd illi tota castitas debebatur.

Respondetur, per illam copulam non tantùm fieri iniuriam coniugi, sed etiam violari iura naturalia matrimonii, & sacramentum Ecclesiæ, vt capite præcedenti ostensum est. Super his autem non possunt dispensare coniuges, licèt possint, & pati, & remittere proprias iniurias. Mulier autem illa, vel ignorabat illa iura, vel ea tunc non considerauit, ideoque ex sola consideratione potestatis coniugalis in errorem, peccatumque lapsa est. Potestas enim illa est tradita media fide; nec ipsa autem pecunia, & alia bona externa, quæ fidei commissa sunt, possunt alienari; quantò minùs coniux potest coniugem alienare, idest, alteri eius tradere corpus? Verùm ad pleniorem intelligentiam dictorum iuuat aliud dubium affine huic, adnectere, & resoluere.

CAPVT III.

An contra ius naturæ sit, vnum virum habere simul plures vxores.

1. AFfirmat D. Thomas in Supplemento qu. 65. art. 1., limitans tamen, quòd, scilicet, illa pluralitas non sit contra ius naturæ, pro vt hoc respicit finem principalem matrimonii, qui est procreatio prolis, nam plures fœminæ ab vno viro fœtari possunt, vt dixit Augustinus de Bono coniugali cap. 17., sit tamen contra illud, prout respicit finem secundarium eius, qui est communicatio operum necessaria vitæ; non enim, inquit, facilè potest vnus vir satis-

Digitized by Google

ſatisfacere pluribus vxoribus ad votum ; & communicatio plurium in vno officio cauſat litem, quia figuli rixantur ad inuicem. Hæc D. Thomas. Strictiùs loquitur Innocentius cap. *Gaudemus* de Diuortiis, affirmans, ideo polygamiam eſſe contra ius naturę, quia ab initio vna coſta in vnam fęminam eſt conuerſa ; & quia, vt Deus dixit, homo adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna ; non dixit tres, vel plures, ſed duo ; nec adhærebit vxoribus, ſed vxori ; & quia Chriſtus Matth. 5., & 19. dixit: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Ex quo infert Innocentius: *Si ergo vxore dimiſſa duci alia de iure non poteſt, fortiùs, & ipſa retenta.* Vnde videtur, Innocentius, non accipere illud dictum Chriſti, tamquam nouum Euangelii præceptum, ſed tamquam declarationem iuris naturæ ; aliter non rectè eo vteretur ad probandum, quòd polygamia ſit contra ius naturæ. Concludit : Nulli vmquã licuiſſe polygamiã, niſi cui Diuina fuit reuelatione cõceſsũ, per quam, ſicut Iacob a mendacio, Iſtraelitæ a furto, & Sampſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ, & alii viri iuſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe vxores, ab adulterio excuſantur. Quod ipſum dicit D. Thom. in Suppl. qu. 65. ar. 2. ad 2. & 3.

Eamdem doctrinam ex iiſdem rationibus tradit Catechiſmus Romanus parte 2. de Matrimonio, vt Sacramento num. 19., addens, Matrimonium, tum in lege naturæ, tum in lege Moyſis a primo ortus ſui decore, & honeſtate decidiſſe, quia antiqui Patres plures ducebant vxores, & in lege Moyſis concedebatur libellus repudii. Vtraque igitur re per Euangelicam legem ſublata, matrimonium in priſtinum ſtatum eſt reſtitutum. Quod ipſum dicit Hieronymus ſuper illa verba Apoſtoli ad Titum : *Epiſcopum vnius uxoris uirum ; maſculum*, inquit, *& fœminam creauit Deus, non plures fœminas*. Ipſe quoque D. Thomas in Supplemento qu. 65. ar. 2. ad 2. illi Decretali Innocentii innititur. Qui probat etiam, eſſe de iure naturæ vnicitatem vxoris ex naturali zelo viri ad vxorem, et vxoris ad virum ; qui zelus non eſt, ne pax domeſtica, ſeu conuictus turbetur, ſed, ne diuidatur caro ; ſicut generaliter zelus amantium eſt, ne amor diuidatur ; ergo vnitas carnis eſt ratio, cur iure naturæ vnica debeat eſſe vnius viri vxor.

Hoc autem idẽ eſt, ac pluralitatem vxorum non eſſe contra ius naturæ, prout hoc reſpicit principalem finem matrimonii, qui eſt procreatio prolis, ſed prout reſpicit ſecundarium, ideſt, maiorem vnitatem carnis in coniugibus, & eorum filiis cum ipſis, & inter ſe.

Digitized by Google

2. Verùm Augustinus de Bono coniugali cap.17., & 25., & 22. contra Faustum cap.47. diserte negat, polygamiam esse contra ius naturæ, &, nisi sit contra morem gentis, ait, esse licitam: *Quando mos erat*, ait loco vltimò citato, *crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est: alia enim sunt peccata contra naturã, alia contra mores. Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur Iacob. Si mores, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur, &c.* Vbi Augustinus admittit quidem esse contra naturam exercitium polygamiæ ob lasciuiam, sed negat, si sit gratia prolis. Idipsum indicat Ambrosius lib. de Abraham; nam excusat Abraham de Agar super inducta, non ex Diuina dispensatione, sed quia præuenit legem, non in eam commisit, legem, scilicet, prohibentem polygamiam; vbi manifestè supponit, hanc non interdictã iure naturæ; & insuper quia id nõ fecit ardore libidinis, sed studio posteritatis. Quæ Ambrosii sententia refertur in cap. *Dixit Sara* 32. qu.4., licèt Glosa eam non approbet in cap. *Gaudemus* de Diuortiis. Idem fusissimè ostendit Abulensis in cap.8. lib.1. Reg. Quæ sententia potest probari primò. Quia Sancti Patriarchæ, & alii Hebræorum iusti illam exercuerunt, vtique sine peccato. Quod autem dicitur, in eis a Domino dispensatum per reuelationem, vel occultam inspirationem, gratis dicitur; nulla enim de hac re mentio in Scripturis. Nec probabile est, Deum omnibus Hebræis, in quibus plurimi erant iniusti, id reuelasse, aut inspirasse; quorum tamen nemo, plures ducendo vxores, peccabat. Respondet Diuus Thomas in Supplemento qu.55.ar.2., dispensationem illam specialiter factam esse Patribus, sed eorum exemplo ad alios deriuatam.

Sed hoc non videtur probandum; non enim dispensatio facta vni, vel pluribus extenditur ad alios; nec factum ex interna inspiratione, seu familiari instinctu Spiritus Sancti potest trahi in exemplum. Oseas ex Diuino præcepto vxorem fornicariam sumpsit, & a Deo motu Sampson Philisthæam vxorem depoposcit; non tamen licuisset aliis Hebræis fornicarias, vel gentiles sibi desponsare. Idem Sampson Diuino instinctu mortem sibi conscíuit, euertẽdo templum, sub quo manebat, atque adeo sine peccato, vt ait Augustinus 5. de Ciuit. cap.25., & 26.; peccassent tamen alii, si idem feciſſent. Saltem illud gratis dicitur.

Præterea. Lex Deuteronomi 21.15. loquitur de pluralitate vxorum, tamquam de re licita, nec vllum habet verbum de dispensatione: *Si habuerit*, inquit, *homo vxores duas, &c.*; ergo dicen-

Digitized by Google

dicendum videtur, polygamiam non fuiſſe ex ſe illicitam

3. Poteſt probari ſecundò. Quia rationes, quibus probatur, illã eſſe iure naturæ illicitam, non cogunt.

Non prima D. Thomæ de impotentia vnius viri ad ſatisfaciẽdum ad votum pluribus vxoribus; & de litibus, quæ cauſantur ex communicatione plurium in vno officio.

Nam, ſi ſatisfactio illa intelligitur quantum ad præſtandam copiam ſexus, certum eſt, vnum virum non poſſe pluribus ſatisfacere, ſi vxores libidinoſæ nimiùm ſint. Sed hæc ratio militat etiam in vnica vxore, ſi ipſa eodem vitio laboret, &, vir ſit imbecillis; magis autem, ſi ægrotet, vel abſit. Non tenetur autem coniux ſatisfacere quoad hoc alteri, niſi ſalua conſiſtentia ſuæ perſonæ, vt ipſe Diuus Thomas dicit in Supplemento quæſt. 64. artic. primo; quia priùs eſt conſeruare ſe ipſum, quàm filios generare, nedũ coniugi ſatisfacere. Si autem vxores non libidine, ſed ſola ducantur cupidine prolis, vel non orientur illæ lites, vel facilè ſedabuntur. Nam propter hoc etiam Iacob nonnullam paſſus eſt inter vxores diſcordiam, quam tamen facilè ipſe compeſcuit diſtribuendo noctium vices Geneſis 30. Cùmque poſſit, & illa ſubintrare cauſa diſcordiæ, ſi vna ex vxoribus ſit formoſa, alia deformis, vel vna ſterilis, alia fecunda, quia illa inuidebit, hæc irridebit, vt accidit inter Rachelem, & Liam Geneſis 30., Phenennam, & Annam primo Regum 1., propter quod turbatur pax domeſtica; numquid & propter hoc dicetur eſſe contra ius naturæ pluralitas vxorum? Aut, ſi propter periculum illud legibus naturæ repugnat illa pluralitas, numquid in eo dicetur diſpenſaſſe Deus cum Hebræis, vt poſſent ſine peccato, aut diſcordias illas pati, aut earum periculum non auertere? Certè periculum proximum peccati ex natura rei proueniens euitandum eſt, ſed non remotum, aut quod non ex natura rei, ſed ex alterius libera malitia deſcendit, aut contra quod poteſt adhiberi prouidentia, ne accidat; ſed pluralitas illa non affert periculum proximũ illius mali, poteſtque, quod affert, euitari per diſciplinam domeſticam, & auctoritatem viri; aliter etiam amplitudo familiæ, & multitudo ſeruorum, & ancillarum erit contra legem naturæ, quia ex ea oriri poſſunt diſcordiæ, & lites; ergo, &c. Aulæ ipſæ Principum repugnabunt illi legi; facilè enim inter aulicos oriuntur diſſenſiones, inuidiæ, odia, calumniæ. Neq; in vna vrbe licebit permittere plures eiuſdem miniſterii artifices, quia ipſi ad inuicem æmulantur, & rixantur. Quid? Neque plures licebit generare filios, immo id contra ius naturæ erit; quia, vt experimur, & cæci-

nie

Digitized by Google

nit Poeta 1.Metam.4.:*Fratrum quoq; gratia rara est*;idque vehementer expertus est Iacob in filiis suis, Gen.37. Immo absolutè contra legẽ naturæ dabitur opera generandis filiis, quia, vt aliquando accidit, & idem Poeta memorat: *Filius ante diem patrios inquirit in annos.* Et quia: *Lurida terribiles miscent aconita nouercæ*, non licebit suscepto filio ex vxore defuncta aliam superinducere. Immo neque vxorem ducere, quia nonnumquam, vt idem ait: *Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.* Si verò satisfactio illa intelligatur quantum ad ministranda necessaria personis, & statui, ea ratio militat tantùm in pauperibus, in quibus tamen communis labor in operibus manuum potest ea comparare. Non igitur videntur efficaces rationes D. Thomæ.

4. Sed nec ratio Innocentii videtur cogere: immo eam destruit Abulensis in cap.8. libri primi Regum a quęstione 184. vsque ad 204. Etsi enim Dominus dixerit: *Adhærebit vxori, non vxoribus*; & *Erunt duo in carne vna*, non tres, vel quatuor; ideo hoc dixit, quia vnam tantùm vxorem Euam tunc Adæ tradebat, & de vno matrimonio loquebatur;quod non impedit, quin plurificari possint matrimonia cum pluribus vxoribus, cum quarum vnaquaque vir fiat vna caro per copulam, & per hoc omnes etiam fiant vna caro cum ipso.

Immo per ea verba indissolubilitatem, non vnicitatem matrimonii a Deo declaratam rectè infert Abulensis, quia Christus Dominus, postquàm ea retulit Matth.19., tamquam consequens intulit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*; & Bonifacius VIII. cap. *Quod votum* de Voto,et voti redemptione in 6. matrimonium per ea Domini verba vnionem, & indissolubilitatem accepisse dicit; quòd verò acceperit vnicitatem, non dicit.

Rectè autem arguit Innocentius, quòd, si dimissa vxore, alia duci de iure non potest, vt Christus dixit Matth.5., & 19., fortiùs nec ipsa retenta. Sed tunc non fuit a Christo explicatum ius naturæ, nisi fortè quantùm ad illicitam dimissionem vxoris, sed quantum ad prohibitionem alterius ducendæ condidit nouum ius; eò quia Christus nuptias eleuauit ad rationem Sacramenti, vt, scilicet, significarent vnionem Christi cum vnica sponsa Ecclesia, quæ significatio omnino tollitur, si nuptiæ multiplicentur. Quare non rectè Innocentius nouum Euangelii præceptũ transtulit ad ius naturæ, & ad anteacta tempora extendit. Fateor quidem non leuiter vrgere auctoritatem Decretalis, maximè, quia etiam Tridentinum sessione 24. dicit, vinculo matrimonii duos tan-

Digitized by Google

tantummodò copulari, idque apertiùs docuiſſe Chriſtum Dominum, dum referens tamquam a Deo prolata illa verba Adæ: *Adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, dixit: *Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro*. Sed ea Decretalis non recipitur ab Abulenſi, vt vidimus; qui dicit, obediendum quidem Papæ iubenti, ſed non credendum diſputanti; quia, & ſi ipſe poſſit ſupra omnes, non tamen ſcit ſupra omnes. At Nos fatemur, credendum Papæ definienti; ſed quæſtio, de qua conſulebatur Innocentius, non erat, an polygamia eſſet contra ius naturę; ſed, an Pagani conuerſi ad Fidem poſſent retinere omnes vxores, quas haberent. Ad quod rectè reſpondet negatiuè, & rectè probauit ex dicto Chriſti prohibentis ducere nouam vxorem priore dimiſſa.

An verò Polygamia eſſet contra ius naturæ, non fuerat ab eo queſitum, nec pertinebat ad eam interrogationem; quidquid enim de eo eſſet, non infringebatur veritas de polygamia fidelibus interdicta. Quare illud Pontifex ad vbertatem doctrinæ, vel diſputando addidiſſe cenſendus eſt, non id definiſſe. Et quidem, mentem eius fuiſſe tantùmmodò declarare, polygamiam interdictam eſſe fidelibus, exinde colligi poteſt: quia poſtquam retulit, Paganos diuidere affectum erga plures vxores, ſubdit. *Verùm abſonum hoc uidetur, & inimicum fidei Chriſtianæ*. Ergo in profeſſione Chriſtianæ Fidei, & Religionis vim fecit.

Nicolaus Papa cap. *A quodam* de Conſecrat. diſt. 4. dixit, baptiſmum collatum in nomine Chriſti eſſe validum; cuius oppoſitū communiter tenetur, adeo vt, Apoſtolos ex ſpeciali Spiritus Sancti afflatu in eo nomine baptizaſſe, vt ſ..initio naſcētis Eccleſiæ Chriſti nomen illuſtraretur, dicat Catechiſmus Romanus parte 2. de Sacramento Baptiſmi num. 15. Igitur dictum illud Nicolai Papę non tenetur. Quia, ſcilicet, non id a Nicolao quæſitum fuerat: an Baptiſmus collatus in nomine Chriſti eſſet validus, ſed; an collatus a pagano; quare non cenſetur illud definire voluiſſe, ſed id addidiſſe ex priuata ſententia ad vbertatem doctrinæ. Dictum Tridentini explicari poteſt, ſicut Decretalis.

5. Hieronymo idem dicenti opponimus Auguſtinum. Auctoritas verò Catechiſmi non tanta eſt, vt cogat; nam parte prima de primo Symboli articulo nu. 22. phyſicas prædeterminationes adſtruit, quæ a plurimis reprobantur; & de duodecimo Symboli articulo nu. 8. inducit impoſſibilitatem ſpeciei impreſſæ Dei, quæ tamen ſpecies a plurimis cenſetur poſſibilis.

Signum D. Thomæ de naturali zelo viri ad vxorem, & vxoris

ad

Digitized by Google

ad virum non vrget; nam zelus est, ne committantur adulteria, quæ in iniuriam coniugis sunt. Si verò mulier zelum habeat, ne vir alteri vxori copuletur, hunc zelū negamus esse naturalem, immo dicimus vitiosum.

Vtro autem fatemur, perfectiùs, & meliùs esse vnicam haberi vxorem, quia magis seruatur vnitas carnis, atque adeo affectus inter parentes, filios, & fratres. Ideoq; Deum, quod melius erat, fecisse, dum in exordio mundi, maxima vrgente ratione multiplicandi generis, vnicam Adæ tradidit vxorem. Verùm, quia plurimi sentiunt, polygamiam aduersari iuri naturæ, nonnulla dubia proponemus, tamquam vera sit illa sententia, quæ reuera probabilis est; hocque ad vbertatem doctrinæ.

CAPVT IV.

Cur Deus dispensauerit cum Hebræis super Polygamia.

1. HOc dubium excitatur, suppositō, vt præmisimus, quòd polygamia sit contra ius naturæ. Posse ergo Deum dispensare in lege naturæ, communis sententia Theologorum est cum Diuo Thoma 12. qu. 97. art. 4., quam suppositi Innocentius supra relatus in cap.: *Gaudemus* de Diuortiis. Verùm subdit idem Diuus Thomas, posse Deum dispensare in ea lege non quantum ad prima principia eius, sed quantum ad conclusiones ex istis deductas, quia in his potest naturalis lex deficere, vt in paucioribus, propter aliqua impedimenta, sicut naturæ generabiles, & corruptibiles propter impedimenta deficiunt in paucioribus. Clariùs diceretur: Non posse dispensari quantum ad ea, quæ constituunt ordinem naturalem, vel sine quibus ille consistere non potest; tunc enim oporteret, vel tollere ipsum ordinem, atq; adeo rerum naturas, ex quibus constituitur, vel causare inordinationem in rebus, quod contra rectitudinem. seu iustitiam est: vt enim ait Augustinus 1. de Libero Arbitrio cap. 9. *Nulla vis, nullus casus, nulla rerum labes vnquam effecerit, vt iustum non sit, omnia esse ordinatissima.* Posse autē dispensare in iis, quæ illi ordini adiunguntur, sine quibus ille constat. Exemplum. Non potest Deus dispensare, vt peccatum non sit prosequi bonum sensibile reiecto bono honestatis, siue rationis;

quia

Digitized by Google

quia id eſſet deſtruere ordinem naturalem, & eſſentialem inter hõneſtum, & ſenſibile, ſecũdũ quem illud præfererri debet huic, ſicut ratio ſenſui; qui ordo immutabilis eſt, niſi deſtruatur natura rationis, & ſenſus. Sic non poteſt diſpenſare, vt nuptiæ ineantur abſq; mutua poteſtate in corpora ad procreandam prolem: tunc enim nuptiæ deſtruerentur in ſui natura. At poteſt diſpenſare, vt vnus vir plures ineat nuptias, quia id non eſt contra ordinem, ſeu naturam nuptiarũ, ſed tãtùm contra aliquod bonum conſurgens ex vnicitate vxoris, nempe, maiorem coniunctionem affectuum, & carnis inter coniuges, & cum prole; quod bonum ex alio bono rependi poteſt.

Tunc tamen non eſt dicendum, quòd ius naturæ deficiat propter impedimenta; aliud eſt enim legem deficere, ſiue ceſſare, aliud in ea diſpensari; nec eſt neceſſaria, immo nec poſſibilis diſpenſatio aduerſùs legem, quæ iam defecit. Nec eſt dicendum, diſpenſari ſuper concluſiones legis, non ſuper principia: non enim poteſt tolli veritas concluſionis, ſi neceſſariò deducitur ex principiis, niſi primitùs ablata veritate principiorum; nam ſtante illa, neceſſariò ſtat iſta. Sed dicendum, quòd Deus diſpenſet in iis, quæ adiunguntur ordini naturali rerum, ſi ſine illis ordo conſiſtat, non autem in iis, quæ conſtituunt ordinem, & ſine quibus ille ſtare non poteſt.

Diſpenſauit autẽ vtiq; Deus cum Hebræis ſuper polygamia, ſi illa, vt modò ſupponimus, naturali iure eſt interdicta; nam & ipſi Sanctiſſimi Patriarchæ Abraham, Iacob, Dauid illam exercuerunt, quorum matrimonia æquantur, vel etiam præferuntur virginitati noſtrorum, vt ſentit Auguſtinus de Sancta Virginitate cap. 9., & ex eo Gratianus 32. qu. 4, cap. 6., & Magiſter in 4. diſt. 33. Quæritur ergo ratio huius diſpenſationis.

2. Duæ autem ſolent afferri. Prima: Multiplicatio generis humani; id quod videtur ab ipſo Deo inſinuatum, dum primò Adam, & Euæ, deinde Noe, & filiis eius dixit: *Creſcite, & multiplicamini*, Geneſ. 1. 8., & 9. Qua etiam ratione diſpenſatum fuit in lege, quæ plurium ſententia naturalis eſt, de non ineundis connubiis inter fratres, & ſorores; in initio enim generis humani hæc connubia fiebant, cùm alii viri, alieue fœminæ non adeſſent, inter quos fieri poſſent; aliter in ſuis initiis periiſſet genus humanum. Si tamen nepotes primorum hominum, qui conſobrinas habebant, quas acciperent, ſorores accepiſſent, nephas feciſſent, vt ait Auguſt. 15. de Ciuit. cap. 16.

Digitized by Google

Secunda est: multiplicatio populi fidelis, idest, Hebræi solùm inter omnes nationes verum Deum colentis, & in quo debebant exprimi, & præmitti figuræ Christi, & Ecclesiæ; totus enim ille populus, vt Augustinus ait, fuit magnus Christi Propheta.

Prima causa extendit dispensationem ad omnes homines. Sed non videtur recipienda. Primò. Quia tunc ipsi Adæ maximè debebant dari plures vxores; tunc enim maximè indigebat multiplicatione genus humanum; at illi non data est nisi vna, ex vna eius costa formata; immo tunc promulgata, vel sancita est lex de vnicitate vxoris, cùm Deus dixit: *Adhærebit uxori*, non vxoribus; *& erunt duo in carne una*, non tres, vel quatuor, vt supra cap. 3. dictum est. Ex quo sequitur, per illa Domini verba: *Crescite, & multiplicamini*, non fuisse dispensatum super polygamiam. Nam ea protulit Deus, postquam tradidit Euam vxorem Adæ, & sanciuit legem de vnicitate vxoris, vt mox diximus; ergo, si per ea dispensasset super polygamia simul sanciisset legem, & dispensasset generaliter in ea, quod est absurdum; fuisset enim simul condere legem, & abrogare. Non ergo tunc in ea dispensauit, sed facultatem tradidit nubendi, & fecunditatem largitus est ad multiplicandum genus humanum.

3. Secundò. Quia nullus ante Lamech legitur plures habuisse vxores; hic enim primus polygamiam mundo incognitam inuexit, duabus acceptis vxoribus Adam, & Sella, vt legitur Genes. 4. 19., qui propterea acerrimè increpatur a Hieronymo lib 1. contra Iouinianum (& refertur cap. *Quomodo* 32. qu. 1.) *Primus*, inquit, *Lamech sanguinarius, & homicida carnem in duas diuisit uxores, fratricidium, & bigamiam eadem Cataclysmi deleuit pœna. De altero septies, de altero septuagies septies vindicatum est. Quantum distat in numero, tantum, & in crimine.* Si autem per illa Domini verba dispensatum fuisset super polygamia, facilè, & alii ante Lamech illam exercuissent, & ipse tantam non meruisset increpationem, immo nullam, quippe facultate a Deo concessa vsus. Post autem Lamech polygamiam exercuisse creduntur illi, qui acceperunt sibi singuli vxores ex omnibus, quas elegerant Genes. 6.

Tertiò. Quia quantum, & pro quanto tempore multiplicandum fuisset genus humanum non erat reponendum in voluntate, aut facultate hominum, sed in arbitrio, & potestate Dei, qui poterat, etiam quantacumque concessa, & exercita polygamia illius multiplicationem impedire, non largiendo fecunditatem, & citas, frequentesue mortes immittendo; & poterat, etiam interdicta polyga-

Digitized by Google

lygamia, illud multiplicare, fęcunditatem, vitamque diuturnam donando; quod & fecit, dum & valde longęuam ætatem tribuit primis hominibus, & tantam ſeminis fęcunditatem, vt ſingulo partu gignerent plures; immo, vt nonnulli opinantur, vtriuſque ſexus, id colligentes ex verbis in Geneſi pluries repetitis: *Genuit filios, & filias*. Hinc Cain prima Adę ſoboles, cùm nondum prodiiſſet polygamia, ædificauit ciuitatem, quod non potuiſſet, niſi nō parua tunc fuiſſet hominum multitudo.

4. Multiplicatio generis humani non tantum bonum videtur, vt pro eo diſpenſandum fuerit in lege naturali polygamiæ. Ex eius n. multiplicatione ea ſcelera proruperunt, vt propterea meruerit deleri per diluuium: *Cùmque cępiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent*, Geneſis 6. 1.; in ipſo verò ſtatu innocentiæ, & vnica cuique fuiſſet vxor, & minor proles; nam poſt tranſgreſſionem dixit Deus ad Euam: *Multiplicabo conceptus tuos*, Geneſ. 3. 16.

Si ergo poſt corruptionem naturæ Deus cum aliquibus aliquando diſpenſauit ſuper polygamia, propter alium, eumque altiorem finem, ideſt, ſpiritualem, & maximè propter Chriſtum cenſendus eſt diſpenſaſſe.

5. Etiam poſt deletum cataclyſmo genus humanum, cùm ſpes reparandæ naturæ in paucis ſupereſſet, non legimus, a Deo diſpenſatum ſuper polygamia; nullus enim ex poſteris Noe vſque ad Abraham legitur plures ſuſcepiſſe vxores; ergo multiplicatio generis humani non fuit ratio illius diſpenſationis.

Quartò. Multò minùs dicendum, ex ipſa rei natura, vel ordine propter multiplicationem generis humani ceſſaſſe legem de vnicitate vxoris. Nam, etiam ſi hæc multiplicatio fuiſſet maius bonum, quàm illa vnicitas, propter occurſum maioris boni non ceſſat lex de minori, niſi hoc contineatur in illo, vel, niſi hoc ſit neceſſarium, & vtraque lex ſimul ſeruari non poſſit; at genus humanum multiplicari potuit abſque polygamia, ſicut de facto multiplicatum fuit, quamuis non adeo celeriter, cuius tamen celeritatis nulla erat neceſſitas; ergo ex fine multiplicandi generis non ceſſauit lex naturalis de vnicitate vxoris.

Quòd verò dicitur de diſpenſatione pro connubiis inter germanos, fatendum eſt, id factum per ea verba: *Creſcite, & multiplicamini*; nam ſine illa nullo modo potuiſſet multiplicari genus, ſed in ſui exordio extinctum eſſet; quare inaniter dictum fuiſſet: *Creſcite, &*

Digitized by Google

te, & multiplicamini. At non militat hæc ratio pro polygamia, vt ostensum est.

Omnino igitur recurrendum est ad secundam causam, nimirum, ob multiplicationem populi fidelis prænuntii Christi; qnę locum habet in solis Hebræis. Hęc eruitur, ex Augustino de Sancta Virginitate cap. 9. Quamuis enim Augustinus docuerit, vt vidimus in præcedentibus, polygamiam non esse contra ius naturæ, atque adeo non opus fuisse dispensatione Diuina pro ea exarcenda, tamen a sentientibus oppositum, rationes, quæ ab eo afferuntur, vt SS. Patres antiqui non cælibem, sed coniugalem, eamque cum pluribus vxotibus vitam duxerint, assumuntur ad declarandum, cur Deus pro illis in polygamia dispensauerit. Igitur sic ille: *Prioribus temporibus venturo secundùm carnem Christo ipsum genus carnis in ampla quadam, & Prophetica gente necessarium fuit. Nunc autem ex omni hominum genere, atque omnibus populis ad populum Dei membra Christi colligi possunt*. Et de Bono Coniugali cap. 12. ait, Sanctos illos Patres propheticè coniunctos, qui, neque in concubitu nisi prolem, neque in ipsa prole, nisi quod in carne venturo Christo proficeret, requirebant. Et cap. 16.: *Eadem*, inquit, *vena Charitatis nunc spiritualiter, tunc carnaliter propter illam matrem Ierusalem propagandi erant filij*. Et rursus cap. 17. *Descenderunt illi in nuptias gradu pietatis; in illis igitur desiderium filiorum spirituale erat, quia Sacramento illius temporis congruebat. Nunc quippe nullus pietate perfectus filios habere, nisi spiritualiter, quærit; tunc verò ipsius pietatis erat operatio etiam carnaliter filios procreare, quia illius populi generatio nuncia futurorum erat, & ad dispensationem propheticam pertinebat*. Atque hęc loca referunt Magister in 4. dist. 33. & Gratianus 32. qu. 4. cap. 2., qui addit, quòd nunc non dicitur: *Dic domui Iuda, et domui Israel*, sed: *Euntes, docete omnes Gentes*; propterea non est necessaria generatio carnalis ad multiplicandum populum fidelem. Propter hunc igitur populum multiplicandum antiqui Patres, & vxores ducebant, & vno tempore plures; ergo propterea illis a Deo fuit dispensatum super polygamia. In cuius rei argumentũ Abram primus post Lamech sine reprehensione plures legitur habuisse vxores, author ipse generis Iudaici, et magnus plane vir, multarumque, vt ait Ambrosius, virtutum clarus insignibus; idque in senectute, vt planiùs appareret, eum non æstu libidinis, sed pietate in Christum filios quæsiuisse. Iob autem, etiam si Christũ non tantùm cognouerit, sed et prophetauerit, quia

tamen

Digitized by Google

tamen ex genere Iudæorum non erat, polygamiam non exercuit.

5. Poteſt autem hic queri, quo modo cum Iudeis fuerit diſpenſatum; & D. Thomas putat, per inſpirationem; quia, inqnit, lex de vnicitate vxoris non fuit verbo, vel litteris tradita, ſed cordi impreſſa, ſicut cętera, quæ ad legem naturæ pertinent; qualis autem eſt lex, talis debet eſſe diſpenſatio; ergo fuit in ea diſpenſatum per inſpirationem. Ita in Supplemento qu. 65. art. 2. Innocentius autem cap. *Gaudemus* de Diuortiis dicit, eſſe diſpenſatum per reuelationem. Sed re vera lex de vnicitate vxoris fuit verbo rradita. Narrat enim Diuina Scriptura, Dominum dixiſſe: *Adhærebit homo uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*; quibus verbis legem de vnicitate vxoris traditam ipſi D. Tho., & Innoc. dicũt. Nihil verò prohibet, ſuper legem verbo traditam per internam inſpirationem a Deo diſpenſari; nam ſuper legem de non occidendo, quæ verbo, & ſcripto tradita fuit Hebræis, Deus per internam inſpirationem diſpenſauit cum Sampſone. Itaque ſuper hac re non eſt immorandum. Non tamen quælibet vxorum multiplicitas permiſsa eſt, ſed moderata, ſaltem quantùm ad Regem, de quo dicitur Deuteron. 17. 17.: *Non habebit Rex uxores plurimas*. Hinc peccauit Salomon plurimas habendo, non tamen Dauid, qui & ſi plures, paucas tamen habuit, vt notat Auguſtinus qu. 27. in Deut., & Magiſter in 4. diſt. 33.

6. Hic fottè dicetur. Populus Hebręus multiplicari poterat per conuerſionem gentium ad ipſum, ſicuti modò multiplicatur Eccleſia; ergo non erat diſpenſandum ſuper polygamia pro eius multiplicatione. Immo erant apud Hebræos Proſelyti, ideſt, de gentilitate conuerſi ad Iudaiſmum.

Reſpondetur, Deum priſcis temporibus voluiſſe, vt ſucceſſio fidei eſſet in ſucceſſione ſanguinis, ſicuti & ſucceſſio dignitatis Sacerdotalis in Tribu Leuitica, & familia Aaron, vt obſeruat Gratianus 32. qu. 4. cap. 2. Vocationem autem gentium ad ſalutem per fidem reſeruauit rempore Incarnationis. Hinc Chriſtus eo nomine deſignatus eſt Iſaiæ octauo: *Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari*; quia ſpolia, & prædam ex Satana erat detracturus per conuerſionem gentium ex ſimulacris ad ſeruiendum Deo viuenti. Et Ambroſius lib. 9. in Lucam dicit, pullum aſinæ, ſuper quem nullus hominum ſederat, Chriſtuſque ptimus ſedit ingrediens Ieroſolimam Matth. 21., ſignaſſe populum gentilem, quia: *Nullus ante*

Chri-

Digitized by Google

Christum nationum populos uocauit ad Ecclesiam. Propterea etiam Magi dicuntur primitiæ gentium. Immo perfectam salutem gentium passionis, & resurrectionis tempori reseruauit, vt ait Hieronymus lib. 2. Comm. in cap. 15. Matth., ideoque, vt idem Hieronymus obseruat, Apostolis præcepit: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*. Et ipsemet mulieri Chananeæ dixit: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, Matth. 15. 24. Quamuis ergo tunc nonnullus fieret proselytus, non erat tamen generalis vocatio gentium; ideo nec ad gentes mittebat Prophetas, sed tantùm ad domum Israel, & ad domum Iuda; immo sinebat eas ingredi vias suas, vt dicitur Actuum 14. 16., & Hebræis dicebat: *Tantummodò vos cognoui de vniuersis nationibus terræ*, Amos. 3. 2.

Rursus. Proselyti non poterant habere Hebræam vxorem, etiam si ipsam defloraſſent, quia quælibet Hebræa debebat accipere virum de tribu, & cognatione sua Numero. 36., quare non poterat ex ipsis multiplicari populus Hebræus. Christus etiam de semine Abrahæ per Dauid carnem assumpturus erat, non de semine Proselytorum. At Ecclesia non carnaliter, sed spiritualiter multiplicanda est, cùm ad omnes gentes pertineat gratia Euangelii iuxta illud: *Euntes docete omnes gentes*, Matth. vltimo.

7. Potest etiam hic quæri: Cur tantæ multitudinis debuerit esse populus Iudaicus, vt etiam per polygamiam esset multiplicandus.

Respondetur, ad honorem Christi pertinuisse, vt gens eius prænuntia, verumque Deum colens ampla esset; sic enim, & magnificentior erat Dei cultus, & euidentiores, spectabilioresq; figuræ rerum futurarum; qua ratione quoq; non per breue tempus, sed per multa sæcula ipsę figuræ præmissæ sunt; immo ab exordio mundi. Certè Deus promisit Abrahæ semen numerosum, sicut stellas Cæli, & sicut arenam maris; quod, licèt maximè intelligendum sit de semine spirituali, idest, de iis, qui sectantur vestigia eius fidei, tamen intelligendum est etiam de semine carnali. Tandem in hac re quiescere oportet in Dei beneplacito, sicut in multiplicatione ipsius generis humani, & duratione sęculi.

8. Superest explicandus August., qui 22. contra Faustum ca. 49., & 16. de Ciuit. cap. 25., excusat Abraham de inductione Agar supra Saram, non ex ratione, quòd intenderit multiplicare populum fidelem,

Digitized by Google

lem, ſed quia obediuit Saræ iure coniugali id ei præcipienti; qua ratione etiam eodem libro contra Fauſtum cap. 47. excuſat Iacob de inductione ancillæ ſupra Liam, quia, ſcilicet, Liæ obediuit. Quod autem grauius eſt, de Bono coniugali cap. 15. ſubdubitat, vtrum & modò id liceat: *Vtrum*, inquit, *& nunc fas ſit, non temerè dixerim*. Quamuis inclinet in partem negatiuam, ſubdens: *Non eſt nunc propagandi neceſſitas, quæ tunc fuit, quando, & parientibus coniugibus, alias propter copioſiorem poſteritatem ſuper inducere licebat, quod nunc certè non licet*.

Reſpondetur primò, poſſe obedientiam ibi ſumi non ſtrictè, ſed largè, ideſt, pro prompta, & ſtudioſa voluntate obſequendi; & ſimiliter præceptum, pro iure congruo petendi. Rationabiliter enim Sara ſterilis petebat, vt Abrahæ copularetur Agar, vt ſaltem ex vtero ancillæ, qui iure dominii erat quodammodò ſuus, haberet filios; & Abraham promptè obſequebatur voluntati dilectæ, & ſanctæ coniugis; quia, ſcilicet, tunc licita erat polygamia ad multiplicandum populum fidelium; ad quam multiplicationem, cùm non poſſet Sara propter ſterilitatem concurrere per ſe ipſam, volebat ſaltem per vterum ancillæ concurrere. Certè enim non habent eam mutuam poteſtatem coniuges ſupra corpora, vt poſſit alter alteri præcipere nuptias, vel copulam cum aliis; quis enim dicat, poſſe virum vxori præcipere, vt alteri viro miſceatur? At coniuges non iudicantur ad imparia cap. *Si quis* 32. quæſt. 1. & cap. *Apud nos* ibidem quæſt. 5.; ergo nec vxor poteſt præcipere viro, vt alteri mulieri copuletur. Igitur præceptum, & obedientia ibi ſumi poſſunt in ſenſu ptedicto, & ita ſumenda ſunt in Iacob copulante ſibi ancillam Liæ.

Reſpondetur ſecundò; in facto Abrahæ poſſe etiam ſumi obedientiam, & præceptum ſtrictè; etenim ex voluntate Dei Saram illud ſibi præcepiſſe putauit Abraham, vt dicit Auguſtinus 22. contra Fauſtum cap. 32.: *Coniugali*, inquit, *poteſtati obtemperauit, credens hoc Saram Dei nutu voluiſſe, qui iam ex ſe ipſo illi hæredem promiſerat, ſed ex qua fœmina non prædixerat*.

Non dubitat autem Auguſtinus, an illud modò licere poſſit fidelibus, quibus propter Sacramentum nuptiarum nullo modo licet pluſquam vnicum vno tempore habere coniugium; ſed, an infidelibus, in quibus nuptiæ Sacramentum non ſunt; & ſta-

Digitized by Google

& statim resoluit negatiuè; quare illud dubium potest censeri ab eo doctrinæ gratia excitatum, & pro sua humilitate, & modestia ea verba vsurpasse: *Non temerè dixerim*. Tamen, si coniugia ex legitima causa dissoluantur, siue inter infideles, siue inter fideles, certum est, posse & mulierem a viro, & virum a muliere petere, vt hunc, vel hanc potiùs, quàm aliam sibi copulent.



DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO XLV.

Contra Propoſit. LI.

Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PROPOSITIO non excuſat ab omni peccato ſeruum ea miniſteria exhibentem, ſed tantùm a mortali; idque non ratione leuitatis materiæ, ideſt, leuis concurſus, aut imperfectæ deliberationis, ſed ratione metus notabilis damni imminentis. Quare, vel indicat, vel ſupponit, quòd, ſi ſeruus non ex eo metu ea faceret, peccaret mortaliter.

Igitur ad falſitatem eius oſtendendam, probandum eſt, metum illum non excuſare a lethali. Et quidem toruus domini aſpectus non eſt exitialis, veluti baſiliſci venena iaculantis; quare futilis

Digitized by Google

videri potest illa excusatio. Sed, quidquid sit de hoc, probamus, nullum metum, etiam mortis subeundæ, excusare posse illud opus a mortali;

Primò. Quia non potest dari ratio ita excusans in aliquo peccato, vt ipsum transferat de mortali ad veniale, sed, vel omnem aufert malitiã, vel si hoc non potest, relinquit ipsam in suagrauitate mortali. Probatur hoc primò à priori. Quia, vel facultas euitandi malum, vel procurandi, aut seruandi bonum prævalet præcepto prohibenti actum, vel non; si prævalet, tollitur omnis malitia transgressionis, si quidem cadit præceptum. Vbi autem non est præceptum, vel lex, nec prævaricatio, siue peccatum, Roman. 4; si non; ergo, & cadit illa facultas ex consistentia præcepti aduersùs ipsam; non enim datur facultas ad peccandum; ergo non potest excusare a mortali actum commissum contra præceptum, quod ad mortale obliget.

Fortè dicetur, quòd non cadit omnino; sed eò vsque viget, vt possit excusare actum a lethali, licèt non possit etiam à veniali.

Sed hoc gratis dicitur, & absurdè, quasi ita pugnent ad inuicem præceptum, & facultas, quemadmodum calor, & frigus, quorum vterque remittit vim, & actionem alterius. Talis pugna inter præcepta, & facultates non potest contingere; ratio enim iuxta qualitatem, & diuersitatem materiæ, & præceptorum diiudicat, quænam præcepta quibus facultatibus prævaleant, vel a quibus superentur: exemplũ. Facultas conseruandæ vitæ prævalet præceptis ieiunandi, audiendi sacrum, aliisue positiuis; sed præcepta Fidei, castitatis, aliaue naturalia prævalent facultati seruãdæ vitæ: potiùs enim toleranda est mors, quàm in ea peccandũ. Ita numquam potest dari pugna, & refractio virium inter præcepta, & facultates. Ergo et militat ratio insinuata, quòd nulla sit ea facultas, quæ exerceri nequeat sine peccato, etiam si id tantùm veniale sit, quia non potest dari facultas ad peccandum.

Probatur secundò a priori. Nam omne peccatum in materia graui est mortale; sed facultas illa non minuit grauitatem materiæ, immo relinquit eam in suo statu; ergo si non prævalet præcepto, non minuit malitiam mortalem transgressionis.

2. Probatur tertiò. Quia tunc venialia essent omnia mala, si committerentur metu grauis damni; fornicationes, adulteria, incestus, & si quæ graviora sunt carnis peccata: immo etiam si committantur ad tollendos graues æstus passionum ex violentia amoris, siue cupiditatis, qui aliquando morbos inducunt, vt legitur

Digitized by Google

tur de Amnon filio Dauid 1. Reg. 13:, & de Antiocho Seleuci Regis filio apud Valer. Max. lib. 5. c. 7., & Plutarchum in Demetrio: absurdè enim diceretur, id, quod præſtat malũ, quod timetur, nõ præſtare malũ, quod ſubſtinetur: quare ſequitur, Amnon violãdo Thamar venialiter tantùm peccaſſe. Homicidia quoq; ad liberandũ ſe de timore inimicorum, & periculis mortis. Ipſa idololatria, & abnegatio Fidei veniales erunt ex illo timore: ſicque Marcellinus Pontifex, qui idolis thus adhibuit, & Petrus Apoſtolus, qui Chriſtum negauit, venialiter tantummodò peccaſſe dicendi ſunt, quia timore perterriti, & ira de omnibus, qui Chriſti Fidem timore negarent; & per conſequens omnia martyria tolerata eſſe a Sanctis pro veniali vitando.

Probatur quartò. Quia quod fit timore mali, primordialiter fit amore boni oppoſiti: timor enim deſcendit de amore, ſicut vniuerſaliter fuga ex inclinatione, ſiue appetitu; & patet in propoſito, quòd, ſi ſeruus ille defert ſcalam pro ſtupro domini, ne malè tractetur, ne domo eiiciatur, eam defert, vt benè tractetur, vt domi retineatur; ergo amor grauis boni temporalis, vel retinendi, vel aſſequendi diminuet ad veniale peccatum ex natura ſua, ſiue aliàs mortale. At hoc falſiſſimum eſt. Intentio enim aſſequendi boni per media mala non refundit bonitatem in media electa, ſeu electionem illorum; immo propter malitiam electionis, ſiue mediorum vitiatur ipſa intentio iuxta communem ſententiam, quam Nos probauimns lib. 3. de Act. Hum. cap. 33. Ergo intentio aſſequendi per media mala bonum quantumuis magnum, & aliàs licitum, non poteſt eam bonitatem refundere in electionem, vel media mala, vt ea de mortali trãsferat ad veniale: immo ipſa quoq; per ea redditur mala: diminuere autem peccati malitiam de mortali ad veniale magnum bonum eſt.

Rursus, & fortiùs. Maius bonum eſt diminutio peccati de mortali ad veniale, quã fit malũ peccatũ ipſum veniale; nam malitia mortalis in infinitum excedit venialem; ſed, vt dicitur, amor magni boni temporalis diminuit ad venialem peccatu aliàs mortale; ergo maius bonum confertur peccatori ex illo amore boni temporalis, quàm inferatur malum ex tranſgreſſione legis Diuinæ naturalis, & perturbatione ordinis ab ea præſcripti; nam, ſi eam tranſgrederetur, & non ex illo amore, peccaret mortaliter, peccat autem venialiter tantùm, cùm ex illo amore tranſgreditur; ergo amor boni temporalis præualet amori legis Diuinæ, & ordinis naturalis, immo, & ipſi charitati erga Deum, & per conſequens bonum tem-

Digitized by Google

porale præualet bono Diuino, & ordini rerum. Sed amor, qui non est charitas, est cupiditas; ergo cupiditas præualet charitati; & cũ ipsa sit arbor mala, quæ non potest fructus bonos facere, Matth.7., tantum bonum pariet ei, a quo habetur, vel potiùs, quem habet, vt eius peccatum diminuat de mortali ad veniale.

Probatur quintò. Quia, vt omnes dicunt, nec venialiter peccat ægrotus omittens Sacrum in die festo, vel carnes comedens tempore ieiunii: similiter existens in necessitate, & mutuum petens ab vsurario: Iudæus quoque, qui pro sui defensione Sabbato pugnaret, vt patet in Machabeis; qui tamen aliàs mortaliter peccarent. Ergo ex amore, vel facultate boni temporalis acquirendi, vel conseruandi non minuitur ad veniale peccatum aliàs mortale, sed, si ea facultas præualet præcepto, tollitur omne peccatum; si autem non præualet, non potest diminuere quantitatem peccati; nã ipsa cadit ex vi præcepti, & non adest facultas cum peccato. Aduersùs autem præcepta Diuina naturalia nulla datur facultas ea transgrediendi pro bono temporali, quantumuis magno, quinimmo omnia bona, & ipsa vita pro eorum obseruantia abiicienda sũt. Aduersùs autem præcepta humana datur hæc facultas, quia & ipsa, siue eorum latores non intendunt obligare cum graui detrimento; ideo illi, de quibus supra, non peccant, neque venialiter.

3. Probatur sextò ex Augustino, qui apertè contra Mendacium cap.8. docet, esse quidem excusabilius, seu minoris grauitatis peccatum commissum ex bono fine, puta, misericordiæ erga nos, vel proximum, quàm si ipsum committatur ex libidine; tamen non amittere suam grauitatem mortalem, immo si ex suo genere sit grauius alio opere facto ex libidine, retinere illam grauitatem. Sic .n. loquitur: *Dicet aliquis: Ergo æquandus est fur quilibet ei furi, qui misericordiæ voluntate furatur? Quis hoc dixerit? Sed horum duorum non video, quemquam esse bonum, quia peior est vnus. Peior est enim, qui concupiscendo, quàm qui miserendo furatur; sed si furtum omne peccatum est, ab omni furto est abstinendum. Quis enim dicat, esse peccandum, etiam si aliud sit damnabile, aliud veniale peccatum? Nunc autem quærimus, si hoc, vel illud quisquam fecerit, quis non peccauit, siue peccauit, non quis grauiùs, leuiùsque peccauit. Nam & ipsa furta leuiùs lege puniuntur, quàm stupra. Sunt autem vtraque peccata, quamuis alia leuiora, alia grauiora; ita vt leuius habeatur furtum, quod concupiscendo, quàm stuprum, quod subueniendo committitur. In suo quippe genere aliis eiusdem generis peccatis leuiora fiunt, quæ bono animo videntur admitti; cùm tamen, & ipsa alterius generis peccatis ipso suo gene-*

genere leuioribus inueniantur eſſe grauiora. Grauius eſt enim auaritia, quàm miſericordia furtum facere, itemque ſtuprum grauius eſt luxuria, quàm miſericordia perpetrare; & tamen grauius eſt adulterare miſericordia, quàm furari auaritia. Ergo ſecundùm Auguſtini doctrinam ſeruus ille peccat mortaliter, quia concurrit ad ſtuprum ex ſuo genere mortale, quamuis minùs grauiter peccat, dum id facit ex bono fine, ideſt, conſeruandi ſibi ſubſidia vitæ, quàm ſi faceret ex complacentia ſtupri; ſicut minùs grauiter peccat, qui miſerendo, quàm qui concupiſcendo furatur; cùm tamen vtrobique mortalis culpa ſit. Sicut autem, vt Auguſtinus ait, grauius eſt adulterare miſericordia, quàm furari auaritia, quia, ſcilicet, ex ſuo genere grauius eſt adulterium, quàm furtum, nec finis ille miſericordiæ poteſt tollere ab adulterio eſſentialem ſui grauitatem, qua ſupergreditur furtum; ita grauius peccat ille ſeruus, dum ex miſericordia erga ſeipſum cooperatur ſtupro domini, quàm, ſi ex auaritia cooperaretur furto eiuſdem. Sed dum ex auaritia cooperatur furto, peccat vtique mortaliter; ergo a fortiori, dum cooperatur ſtupro, licèt ex miſericordia erga ſe ipſum; quia, vt dictum eſt, finis ille miſericors non poteſt tollere ab ea cooperatione ad ſtuprum, malitiam furto grauiorem, ſolùmque præſtat, vt minoris ſit grauitatis, quàm, ſi ex libidine ea cooperatio fieret. Ergo falſa eſt doctrina Recentiorũ de metu notabilis damni minuente ad veniale malitiã actus ex ſuo genere mortalis, cũ neq; minuere poſſit illã infra, vel vſq; ad malitiam mortalem alterius actus, qui ex ſuo genere ſit malitiæ mortalis inferioris, ſolùmque minuat malitiam, quam haberet idẽ actus ſi non ex metu, ſed ex libidine committeretur. Et per hęc quidem ſufficienter oſtenditur falſitas Ptopoſitionis.

4. Verùm ipſa occaſionem ingerit generaliùs, & fuſiùs diſputandi de peccatis, quæ committuntur concurrendo, ſeu cooperando peccato alterius: quæ materia & grauiſſima eſt, & latiſſima, cùm tot viis, & modis, ſiue mediis poſſit dari ille concurſus. Cùmque aliquando concurſus iſte excuſetur a peccato, vt omnes admittunt, & patebit infra; aliquando non, vt in caſu ſerui, de quo loquitur Propoſitio, video hic generaliter dilucidandum, quando talis concurſus ex graui metu, vel cauſa excuſabilis ſit a peccato, quãdo verò minimè; id, quod a nullo, ſaltem in terminis generalibus reſolutum reperitur, quamuis in particularibus concurſibus diſquirere ſoleant, an in eo ſit peccatum, nec ne: in quo ipſo & contradictiones, & doctrinæ inconſtantiæ apud nonnullos arguuntur.

Grauitas igitur materiæ diligentius expetit examen, vtque ad

Digitized by Google

ad principia vniuersalia, & per se nota reducatur decisio tantæ controuersiæ, quibus ad particularia applicatis, possit in quocumque casu haberi decisio. Longiuscula igitur erit hæc Disputatio, sed, vt spero, apprimè vtilis. Sit ergo,

CAPVT II.

Quinam concursus ad peccatum alterius, & quanam ratione sit excusabilis a peccato, quinam verò minimè.

1. CIrca hanc quæstionem dicendum arbitror. Concursus in genere causæ efficientis ad peccatum alterius est omnino inexcusabilis a peccato; concursus verò in alio genere causæ est ab eo excusabilis, si adhibeatur ex graui causa, vel necessitate. Hæc Resolutio primò explicanda est, deinde probanda.

Concursus in genere causæ efficientis non solùm est in cooperatione immediata ad eumdem effectum, vt, cùm plures occidunt eumdem hominem, vel furantur eamdem pecuniæ quantitatem; sed etiam in remotione impedimentorum, dispositione, excitatione, consilio, auxilio; siue id fiat physicè, siue moraliter, siue efficienter propriè, & formaliter, siue æquiualenter secundùm rectum rationis iudicium. Exempla. Qui tradit ensem petenti illum ad occidendum, quamuis non feriat, concurrit efficienter physicè ad homicidium, quia dat media physica ad illud. Qui iubet, aut consulit homicidium, concurrit efficienter moraliter, quia moraliter mouet, & quasi occidit per alium. Sic passio Christi tribuitur Pilato, & Pontificibus Iudæorum; sic passiones Martyrum Imperatoribus, Præfectis, & Iudicibus. Ad hoc genus pertinent, qui prauis, vel verbis, vel exemplis alios scandalizant, siue inducunt ad peccatum. Qui aperit ostium, vt aliquis ingredi possit ad occidendu, aut fornicandum, concurrit efficienter ad hæc peccata; nam remouet impedimenta physica, quod pertinet ad actionem Agentis intendentis effectum suum. Quodlibet enim Agens remouet impedimenta suæ actionis, vt ignis humiditatem, & frigus a ligno. Sic etiam qui disponit; nam, & hoc pertinet ad virtutem, & actionem principalis Agentis, siue immediatè, siue mediante virtute sibi subordinata, vt instrumento. Seruus deferens scalam, vel submit-

Digitized by Google

mittens humeros pro aſcenſu domini ad ſtuprum, concurrit efficienter moraliter, ſiue æquiualenter ad illud; quamuis enim ſcala non videatur concurrere efficienter ad aſcenſum, ſed tantùm ſubiectiuè, ſubſtinendo aſcendentem, & ita etiam ſubmittens humeros: tamen in eo eſt efficientia æquiualenter, quia perinde eſt id facere, vt alius aſcendat, ac ipſum deferre ſurſum; quod erga Antonium funibus feciſſe legitur Cleopatra apud Plutarchum, cùm ianuã pro eius ingreſſu aperire noluiſſet. Humano.n. artificio ad eum finẽ fabricata eſt ſcala, vt poſſimus aſcendere ſurſum; ergo deferre ſcalam pro alterius aſcenſu eſt dare illi vires, & viam ad aſcendẽdum, & ſic æquiualenter ipſum eleuare. Aliquod enim, etiam in naturalibus, eſt cauſa efficiens motus, etiam ſi illud, quod confert, vel contulit ad motum non actiuè, ſed paſſiuè tantùm concurrat ad illum. Patet ex quæſtione de cauſa efficienti motus grauium, & leuium, quæ a Thomiſtis, & Ægidianis dicitur generans, quatenùs dedit formam grauitatis, & leuitatis, licèt hæc non actiuè, ſed paſſiuè tantùm, vt volunt, concurrat ad motum: vnde Ægidius expreſsè dicit 8. Phyſicorum dub. 3. ſuper text. 32. quòd generans graue illud actiuè mouet deorſum, licet grauitas ab eo impreſſa ſit cauſa tantùm paſſiua illius motus. Sic deferens ſcalam actiuè concurrit ad aſcenſum alterius ſurſum, licèt ſcala tantùm ſubſtentatiuè ad id concurrat; hinc rectè hic definitur, ipſum neq; ratione grauis metus excuſari a mortali. Retinens hominem, ne fugere poſſit, dum ab alio percutitur, concurrit efficienter moraliter, ſiue æquialẽter ad percuſſionẽ; nam illud perinde eſt, ac vires dare aggredienti, vt aſſequatur ad percutiendum. Iſti modi, & ſimiles cõcurrendi ad actionem alterius, tales ſunt, vt rectè, & prudenter eſtimetur, eos, qui illos adhibent, cõcurrere efficienter ad alterius actionem.

2. Sunt & alii concurſus, qui non pertinent ad genus cauſæ efficientis, ſed poteſt fortè dici, quòd pertineant ad genus cauſæ obiectiuæ, vel materialis extrinſecæ, & ſubſtentatiuæ, quia ſcilicet, ſunt exhibitio obiecti, ſiue materiæ, vel occaſionis, circa quę, vel in quibus noſcitur alius peccaturus, vel ſunt ſubſtentatio peccantis, dum peccat. Sic ſe habet, petens mutuò pecunias ab vſurario: non enim concurrit efficienter ad peccatum vſuræ, quod conſiſtit in receptione vltra ſortem; nam ipſe non tantùm non recipit, aut concurrit ad recipiendum, ſed etiam exercet actionem oppoſitam, quæ eſt datio, ſeu ſolutio; præbet tamen illi materiam, ſiue occaſionem vſuræ exercendę; quòd, cùm facit ex graui neceſſitate,

& quia

& quia non reperit gratis mutuantem, excusatur a peccato. Sic exigentes iuramenta ab infidelibus; non enim simul cum ipsis iurant, aut aliquid faciunt, quod efficienter concurrat ad iurandum per falsa numina; sed tantùm illis occasionem tribunt iurandi, quod iuramentum posset fieri per verum Numen, sicut illa mutuatio pecuniæ potest fieri gratis; cùmque ex necessitate firmandæ pacis id faciant, immunes sunt a peccato. Sic etiam fortè, qui idola vendunt gentibus ea adoraturis; nam neque hic adest concursus efficiens ad idololatriam, sed tantùm exhibitio obiecti. Sic dapiferi, qui scienter cibos prohibitos inducunt in mensam, modò ne os Domini aperiant, aut moueant ad manducandum, vt impii illi 2. Machab. 6. a quibus Eleazarus aperto ora hians compellebatur carnem porcinam manducare; aut, ne eum hortentur, vt manducet, quod etiam illi fecerunt; nam in iis efficientia est. Sic qui substentaret idololatram in actu idololatriæ. Sed de his postremis diligentiùs dicetur infrà c. quarto, & vndecimo.

3. His igitur sic explicatis, prior pars nostræ Resolutionis est: quòd quicunque concurrit efficienter aliquo ex prædictis modis ad peccatum alterius, est omninò inexcusabilis a peccato. Probatur a priori.

Quia peccator se habet ad suum peccatum in genere causæ efficientis; idem enim est peccare, ac malè facere, cui opponitur bene facere. Hinc ad contrahendam culpam requiritur libertas, quæ non est nisi virtutis actiuæ, quia peccatum est actio, siue efficientia, & culpa est peccatum liberè commissum; ergo, sicut ea ratione quis est peccator, quia efficit actum malum, ita & qui concurrit efficienter ad peccatum alterius; simul enim cum illo efficit peccatum, siue compeccat, etiam si istrumentaliter tantùm concurrat. At non coefficit actum malum, neque compeccat, qui concurrit in alio genere causæ; nam neque materia, neque forma, neque finis dicuntur coefficere rem; sed materia est, ex qua fit res, forma est quæ fit, finis, propter quem fit. Qui igitur concurrit efficienter, compeccat, non quidem semper coefficiendo eumdem actũ peccati, ad quem dicitur concurrere, non enim deferens scalã, stuprat cũ domino; sed quia facto suo concurrit efficienter ad illud.

Probari potest secundò, Quia non alia ratio assignari potest, cur aliquis concursus ad peccatum alterius sic inexcusabilis a peccato, alius excusari possit, nisi diuersum istud genus concursus, siue causalitatis, quod aliquatenus potest patere ex dictis, & magis patebit ex dicendis; & si quis aliam meliorem rationem afferat, non

solùm

Digitized by Google

ſolùm libenter ſuſcipiam, ſed et gratias agam.

4. Secunda verò pars noſtræ Reſolutionis probatur. Nam qui non concurrit efficienter ad peccatum alterius, propriè ad illud non concurrit; præter enim efficiens, tria ſuperunt genera cauſarum, materialis, formalis, & finalis; at actio vnius non poteſt cõcurrere materialiter, vel formaliter ad actionem alterius, ſed neque finaliter; finis enim eſt, propter quem eſt actio; ergo qui non concurrit efficienter ad actionem alterius, propriè non concurrit ad eam: poteſt quidem præbere actione ſua materiam, vel occaſionem, circa quam, vel in qua alius agat; vel aliquid præſtare, ſine quo alter agere non poſſit; ſed, propriè loquendo, ad eam non concurrit, niſi aliud genus cauſę, vel cauſalitatis præter illos quatuor comminiſci velimus. Eſt autem proculdubio contra charitatem præbere alteri materiam, vel occaſionem, in qua noſcitur peccaturus, cùm ex charitate teneamur ſaltem fraternis correptionibus proximum auertere a peccato. Sed hoc præceptum non vrget cum graui noſtro damno; ergo ex graui neceſſitate licet alteri præbere prædictam occaſionem, ſiue materiam, niſi id ſit ſpecialiter interdictum; non intendendo tamen peccatum alterius, neque in illo complacendo, ſed tantùm remedium noſtræ neceſſitatis; & ita excuſatur a peccato petens mutuas pecunias ab vſurario, dum grauiter eget, & non alium reperit mutuautem; & qui exigit iuramentum ab infidelibus, &c. Immo id poteſt eſſe laudabile, ſi ex laudabili cauſa fiat. Pietatis enim commendatur Luitprandus Rex Longobardorum, quòd magno pretio corpus M. P. Auguſtini, ne ei illuderetur a Barbaris, redemerit, in quo tamen eis occaſionem præbuit ſimoniæ, & auaritiæ exercendæ. Et plura ſimilia reperiuntur.

Limitandum tamen eſt, niſi ex tali concurſu inferatur neceſſariò peccatum; tunc enim non licet illum præſtare; vt ſi quis ingereret in os alterius cibos illicitos ad manducandum. Hoc tamen, an contingere poſſit, dum concurſus non eſt efficiens, non pertinet ad preſentem controuerſiam. Certum tamen eſt, id non contingere in petitione mutui ab vſurario, nec in petitione iuramenti ab infidelibus; nam, & mutuum poteſt tradi ſine vſuris, & iuramentum præſtari per verum Numen; & ita in ſimilibus.

Ex hoc igitur principio, quod ſtabiliuimus, ſoluenda ſunt omnia Argumenta pro Propoſitione damnata, & quęcumque dubia in hac materia occurrere poſſunt; quod infra præſtabimus.

Digitized by Google

CAPVT III.

Examinatur doctrina excusans a peccato cooperantem peccato alterius remotè, non proximè.

1. QVamuis, vt dixi in fine capitis primi, nullus, quem videre potuerim, Recentiorum generalem, aut resolutionẽ tradat, aut difficultatem tractet de excusabilitate, vel inexcusabilitate cooperantis ad peccandum, tamen dum in particularibus casibus de hoc agunt, solent ipsi excusare cooperationem remotam, non proximam. Sic excusant locantem domum meretici, vel vsurario, etiam si nulla grauis causa concurrat (re vera autem in capite *Vsurarum* de Vsuris in 6. sub censuris Ecclesiasticis inhibetur locatio domus vsurario publico alienigenæ, seu loci non oriundo) quia, inquiunt, locatio domus nimis ab illis peccatis remota est. Sic ministrantes res indifferentes ei, qui illis malè vtitur, & aliàs transgressurus esset præceptum, si illę res non sint proximè ad peccatum ordinatę. Sic Christianos captiuos apud infideles ædificantes propugnacula, machinas, sarcinas, & arma ad bellum contra Christianos, quia, licèt peccatum, ad quod cooperantur, pernicioſum sit, tamen illorum cooperatio non est adeo propinqua, vt siue illa damnum non inferretur; non enim deessent alii. (Quę ratio inanis prorsus est; non enim ideo cooperatio non est proxima, quia alii possent cooperari, sed tantùm non est necessariò ab illis: aliter, etiã si illi captiui pugnarent, vel tormenta exploderens aduersùs Christianos, non peccarent, quia ipsis nolentibus, vel deficientibus non deessent alii, quid id facerent) Et passim apud Recentiores inuenies huiusmodi excusationes. Aliquando excusant etiam cooperationem proximam, dummodo actio ex natura sua sit indifferens, & graue damnum immineat recusanti. Ita Palaus excusat seruum deferentem scalam pro ascensu domini ad stuprum. Hurtadus autem ratione vtilitatis inde prouenientis excusat huiusmodi cooperatores.

2. Itaque hęc doctrina distinguens de cooperatione proxima, & remota nec apud ipsos Recentiores constans, & firma est. Cùmq; nec definiant, quęnam cooperatio sit proxima, quęnam remota, rem

rem non elucidant, immo caligine inumbrant.

Hæc igitur ſit prima ratio contra eam: quia, ſcilicet, inſufficiens eſt; non definiens, quinam ſit concurſus proximus ad peccatum alterius, quinam remotus, vt ſciri poſſit, quinam ſit neceſſariò peccaminoſus, quinam minimè. Si enim illum dicunt tantùm concurſum proximum, per quem coefficitur ipſe actus, in quo alius peccat, vt, cùm plures ſimul furantur, vel occidunt, primò. Hîc nõ adeſt peccatum præcisè ex concurſu ad peccatum alterius; ſed actus vniuſcuiuſque eſt per ſe peccatum.

Secundò. Multi concurſus excuſabuntur a peccato, qui reuera inexcuſabiles ſunt, vt tradere gladium petenti illum ad occidendum, retinere fugientem, vt hoſtis eum aſſequatur, deferre ſcalam pro aſcenſu, aperire oſtium pro ingreſſu alterius ad ſtuprum, occidere alium per aſſaſſinos. & generaliter præcipere, atque conſulere peccata, eiſque fauere. Si autem hoc non dicunt, debent definire, & declarare, quinam concurſus cenſendus ſit proximus, qui minimè.

Sed nec rectè procedit; debet enim diſtingui de concurſu, ſiue cauſalitate efficienti, & in alio genere; non enim quælibet cauſa dicitur facere opus, ſed tantùm efficiens; efficere autem opus prauum, illud eſt peccare. Ergo diſtinguendum erat de genere cauſalitatis. Quæ omnia patent ex dictis cap. 2.

Secunda ratio ſit. Quia etiam cauſalitas remota eſt vera cauſalitas. Sol enim cum homine dicitur generare hominem; licèt Sol ſit cauſa remota illius generationis: omnes etiam effectus ſublunares tribuuntur cauſis ſuperçeleſtibus. Ergo etiam, qui concurrit efficienter remotè ad peccatum alterius, facit cum eo peccatum illud; ſed quicumque facit peccatum peccat, ſeu compeccat; ergo etiam, qui concurrit efficienter remotè ad peccatum alterius peccat cum illo.

3. Tertia. Quia dupliciter cauſa poteſt dici remota, tempore, & cauſalitate: tempore, quia poſt eius concurſum, ſiue opus multum temporis fluxit ante effectum. Cauſalitate, quia multæ aliæ cauſæ intercedunt inter ipſam, & effectum. Primum genus remotionis non præſtat, vt illa cauſa verè, & propriè non ſit, & dicatur effectiua effectus, ad quem concurrit. Nam Adam dicitur culpa originali inquinare omnes ſuos poſteros vſque ad finem mundi, immo, vt loquitur D. Thom. 12. qu. 81. art. 1., mouere eos motu generationis, ſicut voluntas mouet manum ad homicidium. Omnibus etiã, qui ſuo, vel præcepto, vel conſilio, vel exemplo fuerunt cauſa, vel

Digitized by Google

erunt, vt alii peccarent, vel peccent etiam post longissima tempora, tribuuntur peccata eorum. Sic idololatria plurium Regum Israel tribuitur Ieroboam, qui erexit vitulos aureos in Bethel, & Dan. 3. Regum 12., idololatria, scilicet Nadab cap. 15. Zambri, & Amri cap. 16., Ochozię cap. 22. Ioram 4. Regum 3., semperque de Ieroboam repetitur, quòd peccare fecit Israel. Sic Hęresiarchis tribuuntur peccata hęreseos omnium eos sectantium, quamdiu durat eorum secta, vnde augetur eorum pęna in inferno. Sic e contra Apostolis, aliisque primis Prędicatoribus Euangelii, tribuitur Fides, & sanctitas omnium, qui eorum doctrina, disciplinisque eruditi sunt, erudienturque vsque ad finem sęculi. Et exinde crescit eorum gloria in Cęlo, & gratię, laudesque iis debentur ab omnibus posteris; de quo grauiter monet Romanos erga D. Petrum, & Paulum Leo Papa serm. 1. in eorum Natali.

4. Secundum genus remotionis neque prędat, vt primum mouens, siue concurrens verè, & propriè non si causa effectus. Quod patet iisdem exemplis de causalitate primi motoris, & mobilis in effectus sublunares, & Adę, & Ieroboam in peccata posterorum. Quicumque autem est causa efficiens peccati, peccat. Nec distingui potest de causa remota, & proxima; nam semper militat illa ratio; quòd causare efficienter peccatum, idipsum est peccare; sed etiam causa efficiens remota causat efficienter peccatum; ergo etiam ipsa peccat. Certè, si aliquis de præsenti strueret ordinem causarum, etiam plurimarum, etiam per multa temporum interualla sibi succedentium, per quem aliquando peccatum committendum foret, reus esset illius peccati; sicut, si strueret eumdem ordinem pro damno alicui euenturo, reus esset damni illati.

Non ergo hic distinguendum est de causa, vel concursu proximo, & remoto, sed de concursu determinato, vel non determinato ad malum: determinato, inquam, vel ex natura ipsius actionis, vel ex intentione, vel etiam ex scientia agentis; nam, vt concursus ad peccatum alterius sit peccaminosus, sufficit, vt sciatur opus ab illo alio esse ordinatum ad malum, vel malum exinde sequuturū; per hoc enim malum illud est volitum indirectè, nec requiritur ad culpam, vt sit directè volitum. Concursus verò, qui neque ex natura sua est malus, neque ex intentione concurrentis ordinatur ad malū, neq; scitur ordinatus ad malum ab eo, pro quo adhibetur, excusatur a malitia, etiam si de facto ab alio ordinetur ad malum, & hoc exinde prodeat. Sic seruus deferens scalam non peccaret, si nesciret dominum per eam ascensurum ad stuprum, peccat autem, cùm scit.

5. Ex

Digitized by Google

5. Ex his patet, inanes eſſe rationes illas, quibus Recentiores excuſant a peccato ea opera, quę initio huius Capitis recenſuimus. Locare enim domum meretrici immune eſt a peccato, non, quia illud ſit concurrere ad fornicationem non proximè, ſed remotè, ſed, quia non eſt noncurrere efficienter, immo nullo modo propriè loquendo, ſed tantùm dare locum, ad habitandum, & commoditatem ad opera exercenda, vel vtilia, vel neceſſaria huic vitæ, vel etiam honeſta. Quamuis autem locans domum ſciat, meretricem ea commoditate abuſurã ad fornicandum, non tamen peccat, quia locatio domus non eſt concurſus efficiens ad fornicandum; ſolus autem concurſus efficiens euadit neceſſariò, & inexcuſabiliter peccaminoſus, ſi adhibeatur cum ſcientia ordinationis eius ad malum, vel mali inde ſequuturi. Sic Principes Chriſtiani, qui exigunt ab infidelibus iuramenta pro pace, vel fœdere, ſciunt vtique, illos per falſa Numina iuraturos, non tamen peccant, quia non concurrunt efficienter ad illud iuramentum; ſimiliter, qui mutuum petit ab vſurario, ſcit, illum mutuaturum ſub vſuris, nec tamen peccat propter eamdem rationem; & plura ſimilia.

Si verò domus locetur determinatè ad fornicandum, peccatum eſt, etiam ſi tunc dicatur, locationem illam eſſe concurſum non proximum, ſed remotum ad fornicationem; quare patet, rationem illam eſſe prorſus inanem: immo re vera neq; tũc propriè adeſt talis concurſus, quia non in genere cauſæ efficientis; ſed eſt peccatum, quia tunc eſt volita fornicatio.

Miniſtratio rei indifferentis non excuſatur a peccato, ſi ipſa res, vel miniſtratio efficienter concurrat ad malum vſum cognitum. Hac ratione damnatur peccati mortalis ſeruus, qui defert ſcalam, ſciens per eam dominum aſcenſurum ad ſtuprum; nam aliàs delatio ſcalæ, & ipſa ſcala ſecundum ſe res indifferentes ſunt.

Nec ſufficit, quòd ille, cui miniſtratur, aliàs tranſgreſſurus eſſet præceptum; nam inde non fit, vt verè tunc non miniſtretur ad malum. Chriſtiani captiui apud Turcas non excuſantur a peccato, ſi fabricent determinatè arma contra Chriſtianos, ſicut nõ excuſatur commodans gladiũ petenti determinatè ad occidendum aduerſarium. Excuſantur autem, ſi fabricent ea indifferenter ad vſum belli, quia bellum poteſt eſſe etiam iuſtum cum aliis infidelibus; ſicut excuſatur, qui inter Chriſtianos fabricant arma. Non.n. omittenda eſt res, vel opus, e quibus poſſunt prodire bona, eò quia ex eiſdem poſſunt prodire etiam mala: aliter nec Deus dare poſſet hominibus facultates, & potentias, quibus illi ſępe vtuntur ad malum;

immo

Digitized by Google

immo nec hominem creare. Omnia etiam bona destruenda forent, vel omittenda ad vitanda omnia mala. Itaque non ex ratione concursus non proximi, sed remoti, sed ratione causalitatis non determinatæ ad peccatum, vel non efficientis illi excusari possunt, & debent.

Ineptè quoque dicitur, illum concursum non esse proximum, quia non dessent alii, qui concurrerent. Quid enim hoc ad remotionem, vel proximitatem concursus tunc præstiti? Numquid Paulus, exem. gra., interficiens inimicum, non proximè causat homicidium, si adsint alii parati ad idem homicidium committendum? Sic sanè nullus peccaret in eo malo patrando, quod, ipso cessante, patrarent alii.

Impellentes autem remorum pulsu triremes, aut aliis modis alia nauigia infidelium ad prælium contra Christianos, omnino inexcusabiles sunt, quia plus operæ præstant ad malum in Christianos, quàm seruus deferens scalam pro ascensu Domini ad stuprum, qui tamen hic peccati mortalis damnatur.

Cæterùm hæc ex occasione sint dicta. Illud tamen remaneat hoc capite stabilitum, & ostensum, non rectè adhiberi pro excusatione concursus ad peccatum alterius distinctionem de concursu remoto, & proximo; quasi concursus remotus excusetur, non verò proximus. Immo, omnem concursum efficientem ad peccatũ alterius, siue proximum, siue remotum esse omnino inexcusabilem a peccato. Concursum verò in alio genere causæ excusari posse, si adhibeatur ex graui metu, vel causa; proinde de genere concursus, seu causalitatis esse distinguendum, non de proximitate, vel remotione concursus. Quod ostendimus supra cap. 2., & magis patebit ex dicendis in tota hac Disputatione.

Quòd autem Palaus excusat etiam concursum proximum ad peccatum, si ille ex natura sua sit indifferens, & aliàs magnum malum immineat recusanti; si intelligat de concursu efficienti, qui solùs propriè est concursus, non est aliud, quàm dare licentiam peccandi pro euitatione mali temporalis, & conseruatione boni, quod etiam ex dictis, & dicendis patebit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Soluuntur Argumenta excuſantia a peccato concurſum efficientem ad peccatum alterius; vel de eo accuſantia concurſum non efficientem, etiamdum ex graui cauſa adhibetur.

1. COntra traditam doctrinam graues inferuntur difficultates. Prima, ex reſponſo Eliſæi ad Naaman Syrum 4. Regum 5. 19. Naaman veri Dei cultor petiit pro ſe ab Eliſæo preces ad Deum pro peccato (vt timebat) eò quia ex ſui officii munere brachium ſubſtentabat Regis ingredientis ad colendum Idolum, ſimulque cum eo genua flectebat ad eumdem ſubſtentandum. Cui Eliſæus reſpondit: *Vade in pace*. Quare videtur nullum in eo opere agnouiſſe peccatum, cùm tamen illud videatur concurſus efficiens ad idololatriam. Ergo excuſabatur Naaman, quia illum exhibebat ex metu grauis mali, ne, deiiceretur a ſtatu, ne dignitate, aut bonis, ne fortè vita priuaretur; ergo grauis metus excuſat a peccato concurſum etiam efficientem ad peccatum alterius.

Nonnulli Interpretes, ac Theologi non excuſantes Naaman a peccato dicunt, Eliſæum ita reſpondiſſe, quia deſperabat, correptionem ſuam tunc fore ſalubrem: in tali enim caſu non militat præceptum correptionis.

Sed primò id eſt diuinare, vel gratis loqui. Ex verbis enim Naaman potiùs colligitur oppoſitum, cùm ipſe conſcientia trepidus preces Eliſæi expoſceret. Secundò. Licèt Eliſæus ex deſperatione correctionis excuſaretur ab obligatione correptionis, tenebatur tamen ſaltem docere de malitia operis, vt Naaman eam cognoſcens, aliqua aliquando occaſione exorta, vel accepta exueret ſe illo officio; aliter ſemper in illo, atque adeo in peccato permanſiſſet. Doctrina enim ſemper tradenda eſt, cùm adeſt periculum erro-

Digitized by Google

erroris; & tunc maximè, cùm petitur, vel præstatur occasio tradẽdi; nec requititur spes probabilis correctionis. Apostolus enim ait 2. Timot. 4.: *Insta opportunè, importunè*: opportunè, cùm spes adest profectus, importunè, cùm deest.

Tertiò. Eliseus Naaman ad agnitionem, cultumque veri Dei adduxerat: eratque Propheta in Israel. Prophetæ autem non tantùm deficiente spe correctionis, sed etiam contradictionibus, immo & persequutionibus instantibus tenebantur corripere peccantes etiam Reges, & Sacerdotes, vt patet Isaię 65. 2., Ieremiæ 1. 10., Ezechielis 2., & 3., & alibi. Ergo in ea occasione petitionis Naamã videtur Eliseus nullo modo pretermittere potuisse sine peccato correptionem, vel saltem doctrinam de malitia illius operis.

Tamdem Eliseus non solùm non corripuit, nec monuit Naaman, sed etiam absoluisse videtur ab omni peccato, dum respondit: *Vade in pace*. Eo enim dicto pacificasse, & tranquillasse videtur eius conscientiam, ne scrupulis angeretur; ergo prorsus in eo nullum agnouit peccatum.

2. Respondet Auersa de Fide qu. 3. sect. 3. obiectione 3., Elisẽu eo responso promisisse Naaman suas preces apud Deum, quas ille petierat, non resoluisse autem, an in illo opere esset peccatum, nec ne, de quo non fuerat interrogatus.

Sed hoc non sufficit. Primò. Quia nil ad salutem prodesse poterant Naaman orationes Elisei, dum in peccato perseueraret; perseueraſſet autem semper, dum de eo admonitus non erat.

Secundò. Quia, etsi Naaman non proposuit expresse dubium illud Elisęo, tamen ipsa petitione precum satis aperte ostendit, se dubitare, ne in illo opere esset peccatum, pro quo diluendo preces ad Deum postulabat; ergo Elisæus eo modo respondendo eximere voluisse videtur ab eo scrupulum illum; quod non rectè feciſſet, si in eo opere peccatum agnouisset; tenebatur enim monere Naaman de peccato, si in illo opere erat.

Videtur itaque dicendum, nullum fuisse peccatum in illo opere: aliter non tantùm Naaman, sed etiam Elisęum ipsum peccati reatu adstringimus. Sed hoc ea ratione defendit Abulensis qu. 25. in cap. 5. Lib. 4. Regum; quia, inquit, si puella Christiana officium haberet retinendi, ne in terram fluerent vestes dominæ suæ paganæ, posset cum ea templum Idoli ingredi, & simul genua flectere ad illas vestes retinendas.

Sed in hoc dicto nulla est vis rationis; sed est tantùm propositio casus similis, atque adèo eidem difficultati subiecti: pariter enim dubi-

Digitized by Google

dubitari poteſt, an puella illa peccet. Vltra quod ſubſtentatio veſtium genua flectentis non ita videtur eſſe cooperatio ad motum genuflexionis, ſicut ſubſtentatio corporis.

3 Negandum eſt igitur, quòd Naaman efficienter concurreret ad idololatriam Regis. Etenim tantummodò ſubſtentabat Regem; ſubſtentare autem operantem non eſt illi cooperari. Hinc, quamuis nonnulla difficultas ſit, ne Deus videatur concurrere ad peccata, eò quia concurrit ad peccantium actiones, nulla tamen de eo difficultas eſt, quia conſeruat, vel ſubſtentat peccantes, dum peccant. Poterat ſanè Rex genua flectere innixus ſcabello, vel ſedi, nec tamen ſcabellum, aut ſedes dicerētur efficienter concurriſſe ad eius genuflexionē, aut illi cooperata eſſe, ſicut nec terra eum ſubſtentans. Ergo Naaman tantùm ſe habebat vt cauſa materialis extrinſeca, non vt efficiens.

Fortè dicetur. Si Rex ſine opere Naamā nō potuiſſet genua flectere, tunc Naaman efficiēter concurriſſet ad illius genuflexionem, tāquā æquiualēter addens ei vires, quod ad cauſalitatem efficientem ſine dubio pertinet. Sed fortè erat impotens Rex, aliter non requiſiſſet ſubſtentantem; & ſaltem in eas anguſtias res redigitur, vt, ſi Rex potuiſſet genua flectere non ſubſtentatus, abſoluatur Naaman, ſi verò non potuiſſet, reus teneatur. Hoc autem vix cognoſci poterat; ergo ſaltem periculo peccati ſe exponebat Naaman, adeoque peccabat.

Reſpondetur, hoc Argumento concludi, terram, ſiue pauimētum concurrere efficienter ad omnia, quæ facimus; niſi enim ab eo ſubſtentemur, nihil operis facere poſſumus. Quare falſum eſt, quòd faciens, vel præſtans aliquid, ſine quo alius operari non poteſt, concurrat efficienter ad operationem illius. Certè vſurarius non poteſt exercere vſuras, niſi alio mutuum petente; nec tamen petens concurrit efficienter ad exercitium vſuræ. Verum eſt tamen, quòd ſi Naaman addidiſſet vires Regi, efficienter concurriſſet ad eius genuflexionem; credendum tamen eſt, de facto rem non ita ſe habuiſſe, idque de facili iudicari poterat ex viribus Regis in aliis motibus. Nec quidquam valet, quod dicitur, Regem non fuiſſe requiſiturum ſubſtentantem, ſi abſque eo genua flectere potuiſſet; nam huiuſmodi miniſteria exiguntur a Principibus potiùs ad decus, & maieſtatem, quàm ad neceſſitatem: plurima enim ſunt, quæ ſe ſolis facere poſſunt, & tamen miniſtros, ſeu adiutores requirunt, maximè cùm in publico agendum eſt.

Sed hinc vrgeri poteſt. Ergo ſubſtentare in actu idololatriæ

Digitized by Google

Regem validum, siue iuuenem, peccatum non est: imbecillem, siue senem est peccatum; hoc autem videtur absurdum.

Respondetur, negando Consequentiam; tantùm enim ex data Responsione sequitur, quòd addere, vel submministrare vires idololatræ, vt cultum idolo exibere possit, sit peccatum; simpliciter verò sublentare, minimè. Nec per hanc doctrinam res redigitur in angustias; nam clarum est discrimen inter eum, qui concurrit efficienter ad opus, & eum, qui sublentat operantem; nam ille dicitur coefficere opus, non autem hic. Doctrina moralis Christiana subtilissimè procedit, vt patere potest versatis in ea.

4. Verùm ad maiorem rei intelligentiam, & excusationem Naaman addendum est, licitum esse habere curam non tantùm vitæ, & salutis Principis, sed etiam indemnitatis, & dignitatis, etiam dum actu peccat; etenim id longè diuersum est a concursu ad peccatum illius.

Et de vita quidem patet; nam hæc non nisi nefario scelere ei per vim eripi potest, cum magno quoque damno, vel periculo Reipublicæ; ergo rectè, & laudabiliter habetur eius cura. Hinc Valentinianus Imperator huius nominis primus, cùm sub Iuliano Apostata Tribunus esset Prætoriæ cohortis, eidem in templo immolanti Idolis ad defensionem adstabat armatus, ex Theodoreto lib. 3. cap. 5. Qui tamen adeo Christianam Fidem zelabat, vt Sacerdotem profanum, qui ipsum etiam execrabili aqua intinxerat, pugnis coram Imperatore cæciderit, vestisque partes ea aspersione maculatas gladio absciderit, vt narrat Sozomenus lib. 6. cap. 6. Illud enim non ad fomentum idololatriæ, sed ad salutem hominis, & Reipublicæ, & per hoc ad exercitiũ charitatis Christianæ pertinebat, ne Imperator in actu peccati occisus, æternùm damnaretur. Quo sensu charitatis Augustinus docet Epist. 54. ad Macedonium, officii Sacerdotalis esse, pro reis ad mortem damnatis intercedere, vt spatium habeant pœnitentiæ agendæ.

Colligitur hæc doctrina clarè ex verbis Dauid ad Abner, cæterosque custodes Saul primo Regum 26. Hi enim, cùm somno sopiti non sensissent ingressum Dauidis in tabernaculum Saul, quando contentus ille hastam, scyphumque auferre, eius vitæ pepercit, his verbis ab eo increpantur: *Quare non custodisti dominum tuum Regem? Ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret Regem dominum tuum. Non est rectum hoc, quod fecisti. Viuit dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum Christũ Domini.* Indubie autem peccabat Saul persequens Dauid innocentem, & per con-

Digitized by Google

conſequens peccabant Abner, & omnes, qui eum ad perſequendũ adiuuabant, ſi conſcii erat innocẽtiæ Dauidis; & tamen ipſe Dauid pronuntiat, Abner, & cuſtodes corporis Saul eſſe reos mortis, eò quia non cuſtodiſſent vitam Saulis etiam aduersùs Dauid, quem innocentem perſequendo peccabant. Longè igitur diuerſa ſunt, cooperari peccato alterius, & habere curam vitæ, vel ſalutis illius; ita vt primum ſit iniquitatis, ſecũdũ charitatis; quæ charitas credenda eſt efferbuiſſe in corde Dauid, cùm ita grauiter increpauit cuſtodes Saul, qui negligentia ſua eum periculo expoſuerant, vt in peccato occiſus, mortem æternam ſubiret.

5. Quòd autem etiam indemnitatis, & dignitatis Principis, etiã cùm actu peccat, cura licitè habeatur, patet; tum quia hoc pertinet ad dilectionem, & reuerentiam erga eum; tum quia aliter renouatur error iampridem damnatus in Concilio Conſtantienſi Valdenſium, Huſſitarum, Vuiclephiſtarum, docentium, Principem per peccatum mortale omne ius ſuę poteſtatis, ac dignitatis amittere. Si ergo illud non amittit, conſequenter debetur ei amor, & honor, de quo deſcendit cura vitæ, ſalutis, indemnitatis, & dignitatis eius.

Hinc non peccaret, qui Principi pergenti ad tẽplum Idoli ſterneret, vel ornaret viam; vel ipſi genuflectenti puluinar ſubmitteret, vel vmbellam adcaput ſuſpenderet, ne lęderetur a Sole; vel ipsũ pergentem comitaretur; omnia enim hæc ad honorem pertinent eius, non ſunt cooperationes ad idololatriam eius. Ioannes quidem Fridericus Dux Saxoniæ, & Philippus Lantgrauius Haſſiæ, cùm Lutherano ſpiritu non crederent Corporis Chriſti permanentiam in Sacramento Altaris, renuerunt intereſſe proceſſioni in eiuſdem Sacramenti honorem a Carolo Quinto indictæ; cùmque eis diceretur, vt pro aſſocianda perſona Cæſaris venirent, reſponderunt, ſe in aliis occaſionibus libenter Cęſari ea obſequia præſtituros, ſed tunc Religione retineri, ne ſuſpicionem ingererent propriæ idololatriæ in cultu panis, vel fomentum darent alienę. Certè iſti Principes longè diſtabant a ſenſu Propoſitionis, quæ ſeruum non tantùm comitantem, ſed etiam adiuuantem herum ad ſtuprum excuſat a mortali; ſed tamen in eo fallebantur, quòd illũ ſimplicẽ comitatũ tamquam peccatum declinabant. Quam delicatæ conſcientiæ oſtentationem de hæretico tumore deſcendiſſe, iudicari poteſt. Ex his ſequitur, quòd, quamuis ſeruus, de quo loquimur, peccet deferendo ſcalam, qua dominus aſcendat ad ſtuprum; non tamen peccat, ſi, domino iam aſcendente, eam ſubſtineat, ne ille labens, vel mortem,

Digitized by Google

vel graue corporis damnum subeat. Ita etiam, si domino actu stupranti assistat armatus, ne ab alio occidatur, vtiq; in peccato. Immo hæc ad charitatem erga dominum pertinent.

6. Secundò Argui potest. Non peccat coniux redens debitum alteri coniugi etiam petenti ex libidine; sed hîc videtur adesse concursus efficiens ad peccatum alterius, saltem quando vir debitum reddit mulieri; ergo etiam concursus efficiens ad peccatum alterius est excusabilis a peccato. Maior patet ex doctrina Christi Domini prohibentis viro dimittere vxorem, ne faciat eam mæchari Matt. 5. & 19., sed faceret eam mæchari, etiam non dimittendo, nisi debitum rederet petēti ex libidine; ergo illud etiam tunc est reddendum; ergo reddens tunc non peccat, aliter teneremur ad peccandum. Item. Apostolus prima Corint. 7. præcipit absolutè reddi debitū coniugi, nec distinguit de motiuo petitionis: immo non reddere vacat fraudem ibi: *Nolite fraudare inuicem*; ergo reddere est opus iustitiæ, atque adeo non est peccatum. Augustinus etiam de Bono coniugali cap. 7. dicit, cauendum esse charitati coniugali, ne, dum sibi quærit, vnde amplius honoretur (ex continentia) coniugi faciat, vnde damnetur (ex mæchia) Ergo reddere debitum coniugi etiam petenti ex libidine, ne ruat in mæchiam, est actus charitatis, atq; adeo non malus, immo bonus; & tamen est cooperatio efficiens ad peccatum alterius coniugis exercētis copulam ex libidine.

Respondetur, negando Minorem; copula enim, & si vna vox sit, non est tamen vnica res, sed, vel duæ duorum actiones coniunctæ, vel actio ex parte viri, passio ex parte mulieris; in qua re quidquid dicatur, non obest nostro proposito. Si enim dicatur secundum, certum est, quòd actio non est cooperatio ad passionem, immo id repugnat; aliter actio esset passio, & econtra; neq; potest intelligi concursus efficiens ad passionem, quæ non est efficientia. Si dicatur primum; duarum actionum coniunctarum, quāuis vtraque sit in eumdem effectum, neutra tamen est in aliam. Patet in trahentibus nauem; vnusquisque enim agit in nauem trahendo ipsam, nullus tamen in alterum, siue actionem, aut tractum illius; immo nec potest; nam nullius actio potest crescere, siue confortari, nisi confortata virtute eius, a qua procedit; at nullus ex trahentibus agit in virtutē, aut roborat brachium alterius, immo vnusquisque trahit secundùm virtutem propriam; ergo trahitur nauis ab omnibus, quę non potest a singulis, non per virtutes, aut actiones veluti mutuò roboratas singulorum, sed per singulas virtutes, & actiones omnium con-

Digitized by Google

coniunctas. Aliter enim fit viſio a lumine gloriæ, & intellectu, aliter tractus nauis a pluribus trahentibus. Lumen eleuat virtutem intellectus, præſtatque, vt hic poſſit efficere viſionem, quam ſe ſolo nullo modo, ideſt, neq; ſecundùm totum, neque ſecundùm aliquam partem poteſt: vnde non ponit in numerum in ratione cauſæ cum ipſo, tamquam concauſa partialis; ſed conſtituit cum intellectu vnam cauſam ſecundùm vnicam virtutem, & actionem; de quibus in Opere de Viſione latè diximus.

At vnus ex trahentibus non roborat brachia alterius, nec facit, vt alter poſſit agere, ſed vnuſquiſque agit iuxta virtutem propriam, ideoque ibi plura ſunt agentia partialia, pluresque actiones. Nulla igitur cauſa partialis concurrit efficienter ad actionem alterius, ſed omnes agunt in eumdem effectum; & vnaquæque iuxta propriam virtutem; quia autem ſingulæ ſingulorum non ſufficiunt ad totum effectum, licèt ſufficiant proportionaliter ad partem eius, ideo requiruntur omnes. Si ergo coniugum ſunt duæ actiones in eadem copula, nullus agit, ſeu concurrit efficienter in actionem alterius, quamuis ambo concurrant ad effectum prolis.

7. Sed fortè arguetur. Copula non poteſt exerceri niſi a duobus; ergo alter coniugum præſtat alteri, vt ea poſſit exerceri; ergo quilibet concurrit efficienter ad actionem alterius.

Reſpondetur, quòd neque actio poteſt haberi ſine paſſione, nec paſſio ſine actione, & tamen neque agens concurrit efficienter ad pati, neque paſſum ad agere; aliter actio eſſet paſſio, & paſſio actio, vt ſupra dictum eſt. Copula non poteſt exerceri niſi a duobus, quia nominat opus duorum; ſed non id conſiderandum eſt, quod clariſſimum eſt, ſed, an alter copulatorum habeat ab altero, ſiue actione eius, vt poſſit exercere munus ſuum in copula; & ſtatim patet, quod non; ergo Argumentum nullum eſt. Monachus, vt huiuſmodi exemplo vtar, non poteſt e Monaſterio egredi ſine ſocio; non tamen ſocius, vel etiam Superior, ſi ipſe aſſocietur, concurrit efficienter ad eius egreſſum, immo, neq; ex vi ſuę aſſociationis vult illum egredi, ſed tantùm vult permittere, vt egrediatur, quia aliter ille non poteſt, vt ſupponitur, egredi. Sic coniux exercens cum coniuge copulam, in qua alter peccat ex libidine, non concurrit ad peccatum illius, nec ad libidinem, ſed tantùm illam permittit, quia, ſcilicet, ille aliter non poſſet copulam exercere. Ita etiam Deus concurrens cum homine ad actum malum, non vult illum, ſed tantùm permittit ob eamdem rationem.

Adhuc replicabitur. Proximior, & intimior eſt actio reddentis

Digitized by Google

tis debitum actioni exigentis, quàm actio serui deferentis scalam actioni domini ascendentis; sed seruus concurrit efficienter ad illũ ascensum, vt dictum est; ergo multò magis reddens debitũ concurrit efficienter actioni peccaminosæ petentis ex libidine.

Respondetur, negando Consequentiam: non enim attendenda est proximitas actionis ad actionem, sed causalitas. Iubens, vel cõsulens homicidium potest longissimè, & loco, & tempore distare ab homicida, & ab homicidio, & tamen efficienter concurrit ad ipsum: vnus ex trahentibus nauem proximè adstat alteri, & tamen non concurrit efficienter ad tractũ alterius, vt dictum est. Cùm ergo coniux reddens non sit causa, seu non det vires petenti, vt hic possit exercere operationem suam in copula, non concurrit efficiẽter ad illam, licèt actio sua sit proxima, & coniuncta actioni alterius, & sit ad eumdem effectum, nempe prolem. Hac ratione excusandus est a peccato coniux reddens debitum petitum ex libidine: nam, quod nonnulli excusant, quia id facit ad retinendum coniugem a grauiori peccato mœchiæ, insufficiẽter dicitur, sicut enim generaliter peccat, qui facit minus malum, ne faciat maius, vt qui vulnerat, ne occidat, ita etiam peccat, qui concurrit ad faciendum minus malum, ne alius faciat maius. Debet quidem debitum reddi ex illo fine, ideſt, non ex libidine, quia aliter malè redderetur; sed finis ille non posset excusare a malitia, si reddens concurreret efficienter ad peccatum petentis.

Tertiò potest argui. Potest seruus deferre scalam, aperire ostium, submittere humeros, non vt dominus fornicetur, sed ex debito obedientiæ erga dominum, & vt consulat necessitatibus suis, quia, si a domino expellatur, non habet, vnde viuat; illæ quoque actiones sunt ex natura sua indifferentes; ergo poterit excusari a peccato.

Consequentia probatur; quia offerre occasionem, siue materiam, in qua, vel circa quam alius noscitur peccaturus, excusatur a peccato, dum fit ex graui necessitate, vt diximus. Sed non plus videtur facere seruus ille, quàm offerre materiam, qua dominus abutitur ad malum; & actiones illæ non sunt ex sui natura determinatæ ad malum, sed possunt exerceri licitè; ergo, licèt peccet dominus, qui illis abutitur ad malum, est excusabilis seruus, qui illas ex natura sua indifferentes ex graui necessitate exercet.

Respondetur, hoc Argumento probari, seruum illum neque venialiter peccare, quod Propositio ipsa proferre non audet. Probare etiam, quòd rectè, & meritoriè operetur; quia opera indifferen-

Digitized by Google

rentia cadunt ſub obedientia, & tunc rectè, & laudabiliter fiunt propter ipſam obedientiam. Igitur hortandi etiam eſſent ſerui ad illa miniſteria, tamquam ad opera obedientiæ; & peccaret illa diſſuadens, tamquam retrahens ſeruos a debito obedientiæ. Ex quo vlterius ſequitur, peccaſſe, quod abſit, ipſum Sanctiſſimum Dominum noſtrum, qui illam Propoſitionem damnauit.

9. Dicitur ergo, quòd concurſus ille efficiens, quamuis aliàs, vel ex natura ſua ſit indifferens, hic, & nunc eſt determinatè malus, & peccaminoſus exhibenti, dum ſcitur ordinatus in malum finem ab eo, pro quo exhibetur. Patet; nam aliàs non eſſet malũ porrigere enſem petenti ad occidendum, quia porrectio enſis de ſe indifferens eſt; immo eſſet bonum, & laudabile, ſi fieret a ſeruo, qui tenetur obedire domino, vel ab eo, apud quem depoſitus erat, quia tenemur reddere depoſitum. Sed nullus, vt arbitror, laudabit, immo nec excuſabat hos; ſicuti neque ſernum, qui domino ægrotanti, & noxia ad ſalutem petenti ſcienter exhiberet illa, quamuis exhibitio eſſet ex natura ſua indifferens, vt, ſi ferrum in remedia poſceret, vt Alexander apud Curtium lib. 10, & Herodes Aſcalonita apud Ioſephum; aut venenum, vt multi, ad finiendos dolores morte acriores. Si ergo peccatum eſt exhibere miniſterium etiam ex ſe indifferens, quãdo ſaluti corporis noſcitur obfuturum, quantò magis, quando ſaluti animæ? Paulus peccauit mortaliter, etiam ſi non miniſtrauerit lapides cedentibus Stephanum, ſed tantùm eorum veſtimẽta ſeruauerit, quod proculdubio opus erat indifferens. Et in cap. *Sicut dignum* de Homicidio voluntario, dicitur, non eſſe immunes a culpa, qui, licèt eſſent ignari de machinatione in cædem D. Thomæ Cantuarienſis, tamen *eis, quos ſicarios eſſe ſciebant, in ſarcinis cuſtodiendis miniſterium tribuerunt*. Cuius rei ratio eſt; quia non tantùm tenemur abſtinere ab operibus ex natura ſua, ſiue ex obiecto malis, ſed etiam ab indifferentibus, immo bonis, ſi ex eis tamquam a cauſa efficienti malum aliquod noſcimus ſequuturum; immo etiam ſi ſint tantùm occaſiones, vel materiæ, circa quas alios ſcimus peccaturos, ſi aliqua grauis cauſa non vrgeat. Etenim, vt docet communis ſententia cum D. Thoma 22. qu. 45. ar. 3., ipſa bona opera ſunt occultanda, vel differenda, ſi ex eis proximus ſcandalizatur. Tenemur enim viuere non ſolùm nobis, ſed etiam Reipublicæ, & proximo, maximè autem Deo; ergo ſi ex opere noſtro videmus ſequuturam Dei offenſam, vel aliquod detrimentum Reipublicæ, vel proximo, tenemur ab illo abſtinere, etiam ſi opus ex natura ſua non ſit malum. Ergo non licet ſeruo deferre ſcalam, etiam

Digitized by Google

etiam iussu domini, dum scit, dominum per eam ascensurum ad stuprum. Etenim effectus mali sequentes nostras, non tantùm operationes, sed etiã omissiones deputantur nobis ad culpam, si sunt prę-uisi; quia tunc sunt voluntarii in causa, vt cum communi sententia Nos ostendimus Lib. 1. de Actibus Humanis; nec requiritur, vt sint directè voliti, quia sufficit, vt sint voliti indirectè, ideſt, in causa, quod verificatur eo ipso, quò apponimus causam, ex qua scimus sequuturos, vel non remouemus, ne sequantur. Sic gubernatori non regenti nauim, tribuitur eius submersio, quamuis proculdubio directè non volita. Igitur etiam si seruo non placeat, immo directè displiceat ascensus domini per scalam ad stuprum, adhuc stuprum est illi voluntarium indirectè, dum scienter scalam portat, aut præparat, qua ille ascendat ad stuprandum. Et displicentia, quam habet, est veluti displicentia proiicientium merces in metu naufragii, quæ vincitur a cupidine seruandi vitam; displicentia enim de peccato illo stupri vincitur a cupiditate manutenendi gratiam domini, & comparandi subsidia vitæ, atque adeo magis tunc diligitur dominus, ac temporalia bona, quàm Deus; quod vtique peccatum est. Ita Aaron peccauit conflans vitulum, licèt non ex complacentia, immo cum magno idololatriæ horrore id fecerit, quia magis dilexit temporalem vitam, vel gratiam populi, quàm Dei honorem.

Cùm autem dicitur, quòd licet ex graui necessitate afferre materiam, circa quam alius noscitur peccaturus. Respondetur, id esse verum, sed non ad propositum: seruus enim ille non offert materiam, sed aliquid facit, quod æquiualenter est, trahere dominum sursum, vt cap. 1. diximus; quare concurrit efficienter ad peccatũ domini, & non tantùm, vt afferens materiam.

9. Quartò Argui potest. Qui metu mortis adigitur ad tradendam clauem, qua aperiatur ostium, vel arca proximi, vt inde rapiantur pecuniæ, videtur licitè eam tradere; non enim tenetur cum dispendio suæ vitæ custodire bona externa proximi; sed hic concurrit efficienter ad furtum, sicut efficienter concurrit ad stuprum, qui aperit ianuam pro ingressu alterius ad illud, vnde peccati mortalis reus est, vt in damnatione huius Propositionis definitur; ergo concursus efficiens ad peccatum alterius potest aliquando excusari a peccato.

Pisani super hanc Propositionem concedit, licitum esse tunc tradere clauem propter rationem in Argumento allatam.

Sed id admitti non potest, si traditio clauis est concursus efficiens

Digitized by Google

ciens ad furtum: inuincibilis enim eſt illa ratio; quòd peccare eſt efficere actum malum; ergo, efficienter concurrens ad peccatum alterius, coefficit illud, ſiue compeccat. Aut ergo peccatum non eſt, ad quod efficienter concurritur; aut, ſi eſt, ſicuti non poteſt non eſſe peecati reus, qui efficit illud, ita nec qui coefficit.

Rurſus. Sicut non tenemur cum diſpendio vitæ, aut graui damno ſeruare bona externa alterius, ita nec pudicitiam, aut aliud bonum, quod eripi poſſit; ergo excuſabitur a peccato ſeruus deferens ſcalam pro ſtupro domini, ſi grauia mala timeat, quia non tenetur cum graui ſuo detrimento ſeruare pudicitiam puellæ, vel ipſius domini.

Hinc apparet decèptio Piſani; putat enim, inde argui peccati tradentem clauem in illo caſu, quia non ſeruat pecuniam proximi; quod falſum eſt; quis enim dicat, teneri ad ſeruandam illam cum propria morte, quando nec vitam proximi teneretur propria morte ſeruare? Non ergo inde arguitur; ſicut nec inde arguitur peccati ſeruus defereus ſcalam, eo quia non ſeruat pudicitiam domini, vel puellę; ſed, quia, tradendo clauem, concurrit efficienter ad furtum, tamquam remouens impedimenta eius, & ideo adiuuãs fures ad furandum, tamquam ſocius eorum. Id autem indiſpenſabile eſt a peccato. Tenetur igitur potiùs ſubire mortem, non vt proximum indemnem ſeruet in pecuniis, ſed, vt ſe ipſum immunem a conſortio furti. Non tenetur autem reſiſtere, ſi fures velint rapere clauem; quia non reſiſtere non eſt cooperari, ſed tantùm permittere, & ipſe non tenetur ſeruare bona externa proximi cum damno ſuæ vitæ.

10. Tamdem arguitur, quòd etiam concurſus materialis, ſiue obiectiuus tantùm ad peccatum alterius ſit inexcuſabilis a peccato, quacumque de cauſa adhibeatur.

Primò. Qui tantùm permitteret, ſe coli vt Deum, inexcuſabilis eſſet a peccato, etiam ſi metu mortis id permitteret (Paulus, & Barnabas omni conatu eum cultum erga ſe prohibuerunt, Actuum 14.) at ille tantùm obiectiuè, ſiue materialiter concurreret ad aliorum idololatriam; ergo, &c.

Confirmatur. Quia non eſt excuſabilis a peccato Aaron, qui conflauit vitulum adorandum a Iudęis, quamuis metu mortis id fecerit; immo nec mulieres, qui pro eo conflando aurum tradiderũt; ſed Aaron formauit tantùm, illę verò ſimpliciter materiam tradiderunt, ex qua formaretur idolum; ergo a fortiori inexcuſabilis eſt à peccato, qui vt obiectũ concurrit ad peccatũ idololatrię alterius.

Digitized by Google

Respondetur, illam permissionem, non vt concursum ad peccatum alterius, sed secundùm se esse a peccato inexcusabilem: est enim contra præceptum: *Non habebis Deos alienos coram me*. Si nec habere alios Deos licet præter verum Dominum Deum, vtique nec se gerere, vt Deum: ita autem se gerit, facto saltem externo, qui se adorari permittit. Infert igitur iniuriam vero Deo, sicut infert Principi, qui se coli sinit, vt Principem, cùm non sit; quod Ephialtion non tulit a Syſigambe Darii matre; immo eam de errore admonuit ex Plutarcho in Alexandro, & Curtio lib. 3. Rursus. Ille recipit honorem alienum; non licet autem recipere, vel retinere aliena, etiam si ab aliis ad nos delata, siue depoſita sint: hinc Tobias præcepit, reddi agnum ab vxore in domum suam allatum, si furtiuus esset. Tobię 2.

Aaron, & mulieres illæ peccauerũt peccato proprio, etiam præscindendo a concursu, siue occasione data ad aliorum idololatriam; quia facto ipso honorarunt idolum, quod Aaron formauit adorandum, illæ verò materiam, ex qua formaretur, tradiderunt; nã dederũt fundamenta, & initia cultus eius, vt fusiùs dicetur infra c. 9.

12. Secundo. Mulier scienter sinens, carnem suam a libidinoso amatore tangi, peccat inexcusabiliter, etiam si non propria libidine id permittat, sed vel victa precibus, aut graui metu, siue necessitate inducta; & tamen non efficienter, sed obiectiuè concurrit ad illum actum; ergo, &c.

Nec potest dici, ideo eam tunc peccare, quia se habet efficientes ad fouendam tangentis libidinem, vel quia se exponit periculo próprię libidinis ſuscitandæ. Nam sequeretur, peccare etiam coniugem reddentem debitum coniugi illud petenti ex libidine, tamquam fouentem illius libidinem, & se propriæ libidinis periculo exponentem; quod repugnat Doctrinæ Christi, & Apoſtoli.

Respõdetur Primò, ex Argum. sequi, quòd etiã voluntariè admittens, siue patiens in suo corpore manus iniustè cædentis, aut vulnerantis, peccet, quia est causa obiectiua, siue materialis verberum, & vulnerum; & sic peccasset, quod absit, Christus admittens in se manus Iudæorum, & Martyres admittentes manus carnificum, vtique peccantium; ergo non in concursum obiectiuum ad peccatum alterius, sed in aliquid aliud refundendum est peccatum illius mulieris.

Secundò. Quòd obiectio, quæ contra responsionem suppoſitam affertur, destruit se ipsam. Si enim concurrere obiectiuè ad pecca-

Digitized by Google

peccattm alterius peccatum eſt, vt contenditur, non poteſt excuſari a peccato coniux præbens ſe vt obiectum copulæ libidinoſæ coniugis; quare vtrumque affirmare eſt ſibi contradicere.

Tertiò directè, mulierem tunc peccare peccato proprio, non popter concurſum ad peccatum alterius; non enim licet admittere libidinem alienam veneream in proprio corpore, etiam ſi nulla adſit propria libido: aliter non ſolùm tactus, & oſcula, ſed etiam concubitus liceret pati, ſi abſque propriæ libidinis ſenſu admitti poſſent, vt fortè accidit in patientibus ſodomiam, At tanta eſt turpitudo illius libidinis, vt & eorum corpora polluat, a quibus, & ſi non ex libidine, voluntariè tamen quacumque de cauſa admittitur. Hinc Apoſtolus de actibus libidinis loquens: *Non ſolùm*, inquit, *qui faciunt, ſed qui conſentiunt illis*. Infamia meretricum eſt non ex propria libidine, qua agunt, ſed ex aliena, quam patiuntur; hinc in earum fornicarios eadem infamia non redundat. Immo, etiam ſi non voluntariè admittatur, ſed per vim ſubſtineatur aliena libido, nonnullum dedecus, & infamia eſt patientis. Hinc Thamar ad Amnon: *Noli frater mi, noli comprimere me. Ego enim ferre non potero opprobrium meum*. Et poſtquam compreſſa eſt, *aſpergens cinerem capiti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens, & clamans*, 2. Regum 13. Ideo Deus a Sanctarum Virginum, Martyrumque ſuarum corporibus, quamuis non ignem, ferrũ, beſtias, alienam tamen libidinem miraculis ſæpe auertit. Adeo vt Auguſtinus 1. de Ciuit. cap. 28. loquens de Virginibus, quas in vaſtatione Romanæ Vrbis a Gothis comprimi Deus permiſit, dixerit, id iuſto Dei iudicio permiſſum, quia, vel illæ de virginitatis decore ſuperbierant, vel periculum erat, ne ſuperbirent. Tamdem de venereis, vel ſermo ſolus pudorem ingerit (propterea dicit Apoſtolus Epheſ. 5. 12.: *Quæ in occulto faciunt, turpe eſt & dicere*) qui non ingeritur, cùm de aliis rebus etiam ſceleſtiſſimis loquimur; quanto magis actus? Hinc puella etiam per vim, aut furtim viri oſculum paſſa, non reperit ſponſum; ſicut nec reperit Thamar filia Regis ab Amnon fratre ſuo per vim compreſſa, Regum loc. cit.

13. At verbera, vulnera, cędes patienter pro Deo tolerata nõ polluunt, ſed ornant. Sic Chriſtus, ſic Martyres cicatricibus ſuis ornantur, quibus & aureola, ideſt, ſpecialis decor, & ſplendor in reſurrectione retribuitur. Placet enim Deo tolerantia malorum, licèt diſpliceat actio iniuſtè ea inferentium. Abſit autem, vt ſimiliter credatur placere Deo tolerantiam alienæ libidinis, licèt diſpliceat

Digitized by Google

ipsa libido, libidinis, inquam, venereæ, per quam polluitur animatũ Dei templum, & membra Christi fiunt membra meretricis, vt dicitur 1. Corinth. 6. Agnoscendum est igitur, latum intercedere discrimen inter illa.

Verbera enim, & vulnera iniustè inflicta ex sui natura nõ polluunt patientem; & eorum admissio descendere potest ex studio patientiæ, humilitatis, charitatis, fidei ostendendæ, aut alterius exercendæ virtutis; quod Deo gratum est. At aliena libido venerea ex natura sua polluit patientem; prouocat etiam eius libidinem; numquam autem licet admittere, immo semper fugere tenemur pericula excitandæ nostræ libidinis; & Sancti, etiam cùm penè emortua esset eorum caro, pericula illa, quamuis remotissima fugerunt; vnde S. Petrus de Alcantara, in extremo morbo a fratre sibi inseruiẽte, nec leuiter quidem se passus est tangi. Nec licet eã admittere ex studio experiendæ, vel exercendæ nostræ castitatis, aut animi firmitatis; nam, vt sapienter monet Augustinus ser. 150. de Tempore, propter magnam carnis fragilitatem timendum est, ne ex ipsa sui captiuitate consurgat aduersùm nos libido, & ibi incurramus opprobrium, vbi sperabamus obtinere triumphum.

Ergo mulier sinens, se a libidinoso contrectari, non in eo peccat, quia concurrit obiectiuè ad peccatum alterius, sed quia permittittit in se alienam libidinem veneream, quæ, & natura sua polluit admittentem, & eius libidinem prouocat.

Fortè recitabuntur verba Augustini 1. de Ciuit. cap. 18.: *At enim, ne vel aliena libido polluat, metuitur. Non polluet, si aliena erit. Si autem polluet, aliena non erit*; ergo falsò Nos dicimus, alienam libidinem polluere.

Respondetur, Augustinum loqui de libidine per vim in alieno corpore exercitam, non de voluntariè admissa, quamuis non ex propria libidine; nam & B. Lucia Tyranno dixit: *Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*. Hæc igitur certè non maculat, quasi culpam traiiciens; & tamen nonnullum dedecus est ipsam patientis; vnde & a B. Lucia eam Deus remouit, & de Virginibus, quæ illam passæ sunt a furentibus Gothis, dicit Augustinus, quòd opprobrium substinuerint; tanta, scilicet, est, vt diximus, turpitudo venereæ libidinis. Atqui eam voluntariè admittit, etiam in pollutione culpæ est; quamuis non ex libidine admittat.

14. Ad difficultatem de coniuge, qui tenetur pati libidinem coniugis petentis debitum ex solo fine voluptatis, respondetur, id con-

Digitized by Google

contingere per accidens; debitum enim coniugis, ſicut & ipſum fœdus nuptiale per ſe eſt ad procreandam prolem. Verùm, quia per illud fœdus traditur poteſtas mutua in corpora quantùm ad copulam, tenetur coniux ferre libidinem alterius, ne ille ruat in mœchiam. Quare illud re vera non eſt libidinem, ſed poteſtatem pati coniugis etiam libidinoſi; cumque id ſit ad auertendum eum a mœchia, potiùs eſt auertere, quàm pati libidinem.

Fruſtra autem memoratur, quòd tunc coniux periculo ſe exponat propriæ libidinis excitandæ; nam non ſolùm periculum, ſed certitudinem illius mali patitur, quoties accedit ad copulam, etiã ſi ſolùm gratia procreandæ ſobolis; nam copula ſine ſenſu libidinis, eoq; magno exerceri non poteſt in hac corruptione naturæ. Sed, ſicut non peccat, cùm ad eam accedit gratia prolis, quia tũc non operatur ex libidine, ſed benè vtitur malo libidinis, vt ſæpiùs, maximè in libris de Nuptiis, & Concupiſcentia dicit Aug., ita nec peccat, cùm ad eam deſcendit rogatu coniugis libidinoſi, quia & tunc benè vtitur malo libidinis ad reddendũ debitum, ad quod ex iuſtitia tenetur, & ad auertendum coniugem a mœchia, quod pertinet ad charitatem.

Ex dictis reſolui poſsũt pleraq; dubia ortum habentia ex eo, quòd aliquis videatur, vel non videatur actione ſua concurrere efficienter ad peccatum alterius.

Primum.

CAPVT V.

An ex graui metu liceat nautis, ſellularijs, lecticarijs, aurigis, alijſq; baiulis, ſiue vectoribus ſcienter deferre mulieres, ſeu viros ad loca, ſiue perſonas, in quibus, vel cum quibus fornicandum ſit.

1. AFfirmant Diana, Merolla, aliiq; ſed eſt omnino negandũ. Si enim neq; ſcalam deferre licet, per quam alius aſcendat ad fornicandum, vt in hac Propoſitione definitur, quantò minùs perſonam ipſam deferre? Ipſe motus, ſeu iter harum perſona-

Digitized by Google

narum ad fornicandum, peccatum est, dùm est ad eum finem; ad eum autem motum sine dubio efficienter concurrunt vectores, seu gestatores; ergo concurrunt efficienter ad peccatum alterius, & non tantùm exhibendo materiam, circa quam peccandum sit; ergo inexcusabiles sunt.

Quòd si mulier nesciat, se ad fornicandum accersiri, sed putet, id esse ex aliqua honesta, vel non mala causa, gestator autem sciat, etiam tunc iste peccat, non quidem ex concursu ad peccatú mulieris pergentis, quod tunc nullum est, sed quia eam scienter exponit periculo proximo peccandi: quod periculum, sicut, si nobis immineat, tenemur effugere, vt in hoc Decreto definitur Propositione 61. 62., & 63. ita proximo non adstruere. Etiam; quia grauem iniuriam illi irrogat non secus, immo magis ac, qui eidem verba amatoria dicit, aut litteras scribit, aut defert, etiam alterius nomine. Grauem enim iniuriam Sanctis Virginibus intulerunt Tyranni, ac milites, qui eas ad loca duci iusserunt, vel detulerunt, vbi eorum pudicitiæ illuderetur, quod in Sancta Lucia etiam miraculo Deus impediuit.

Fortè dicetur: Non plus operę impendunt gestatores, dum personas scienter ducunt ad loca fornicationis, quàm dum ignoranter: sed, cùm ducunt ignoranter, non peccant; ergo neq; cùm scienter.

Respondetur, negando Consequentiam: effectus enim mali consequentes actiones non imputantur ad culpam, nisi cognoscentibus illos, quia sine cognitione non sunt voluntarii, neque indirectè, seu in causa. Non ergo requiritur, vt plus operis fiat, sed, vt cognoscatur sequela effectus mali.

Secundum.

CAPVT VI.

An ex graui metu, vel causa liceat pro alio dictare, vel exarare, vel deferre litteras amatorias, vel amatoria verba referre.

1. AFfirmat Palaus, licèt dubitanter. Sed est omnino negandum. Primò, Quia id est prouocare ad libidinem, ideſt, effi-

Digitized by Google

efficienter concurrere ad illam excitandam. Si enim perſona, cui deferuntur illæ litteræ, flectitur, proculdubio a dicentibus, & ſcribentibus flectitur, & iſti ſe habent, vt accendentes ignem libidinis; delator vero, vt iniiciens illum in animum eius, cui defert; ſed prouocare ad libidinem natura ſua peccatum, & quidem lethale eſt; ergo, &c.

Secundò. Quia ſi perſona amans marte ſuo componat, & ſcribat huiuſmodi litteras, certè excitat, vel excitare conatur in ea, cui ſcribit, libidinem, nulluſque excuſaret eum a peccato; ergo neque excuſari poſſunt ij, qui eidem ad dictandum, & ſcribendum ſuam operam præſtant. Probatur Conſequentia. Non enim in priori caſu ideo excitatur libido in legente illas litteras, quia compoſitæ ſunt immediatè per ipſum amantem, ſed propter laſciuos ſenſus, & blanditias, ſiue preces, aut promiſſa in ipſis contenta; ergo quicumque illas dictat, vel ſcribit, aut defert excitat ad libidinem.

Confirmatur. Quia inſtrumentum, licèt non agat, niſi motum a principali agente, efficienter tamen concurrit ad effectum illius; nam ipſum inter cauſas efficientes numeratur; ſed illi, qui pro alio huiuſmodi litteras vel dictant, vel ſcribunt, vel deferunt, ſunt inſtrumenta moralia illius, ab eo mota ad id faciendum; ergo concurrunt efficienter ad excitandam alterius libidinem.

Tertiò. Quia commodare alteri gladium ad occidendum lethale eſt, & pertinet ad culpam homicidii; ergo commodare alteri operam ſuam, vt tertius incitetur ad libidinem, culpa lethalis eſt, & pertinet ad homicidium ſpirituale hominis interioris.

2. Quartò. Quia dedecoroſum, & pudendum cenſetur communiter huiuſmodi munus, eſt enim lenocinari, verbo, vel ſcripto, & fungi legatione amoris; ſed pudor oritur de libidine, vt patet, & Nos diximus ſupra Propoſitione 49.; ergo huiuſmodi munia excitant ad libidinem; ſed excitare ad libidinem peccatum eſt; ergo, &c.

Quintò. Quia exercentibus huiuſmodi munia grauis pœna irrogatur a legibus: ſeueriſſima autem apud Palæſtinos, vt refert Bremond. lib. 3. capit. 12. ſui itineris per Ægyptum, & Palæſtinam; ſed grauis pœna non imponitur niſi pro peccato, eoque graui; ergo, &c.

Sextò. Quia grauis iniuria irrogatur perſonæ, ad quam ſolicitandam huiuſmodi munia exercentur, vnde illa iuſtiſſimè indignatur; ſed graui iniuria afficere proximum graue peccatum eſt;

ergo,

Digitized by Google

ergo, &c, Alexander Macedo excanduit aduersùs suum Præfectum, qui non quidem expresè solicitauerat ipsum, sed per litteras, celebrata forma quorumdam adolescentium, interrogauerat, an ad se eos transmitti vellet.

Septimò. Quia impressores librorum hæreticalium rei sunt peccati mortalis, obnoxii quoque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quia per eos spargitur praua doctrina, tamquam zizania in agro Dñi, licèt eam non ipsi, sed Authores librorũ protulerint; ergo rei sunt peccati mortalis dictantes, scribentes, deferentes litteras excitantes ad libidinem, licèt non pro se ipsis, sed pro aliis id faciant.

3. Octauò. Quia famulis, etiam imminente metu mortis, non licet pro dominis scribere cartas duelli, vt fert communis opinio; quia illud est prouocare ad duellum; ergo neque licet dictare, scribere, deferre pro aliis litteras amatorias, quia id est prouocare ad libidinem.

Nonò. Clericis non licet dictare, aut ferre sententiam sanguinis, immo nec dictare, aut scribere litteras pro vindicta sanguinis destinandas, cap. *Sententiam* Ne Clerici, vel Monachi: id enim est concursus efficiens ad illam pœnam, siue vindictam; ergo pari ratione non licet scribere, &c. litteras amatorias, quia id est concurrere efficienter ad libidinem excitandam. Item in Clementina vnica de Vsuris excommunicatur, qui scribit, vel dictat statuta approbantia vsuras; quia, scilicet, id est mouere ad vsuras, vel remouere impedimenta ad eas exercendas; ergo pari ratione, &c.

Decimò. Quia D. Ginesius Martyr in Romano Martyrologio 25. Augusti, quamuis non esset Clericus, maluit mortem subire, quàm edicta scribere nomine Imperatorum contra Christianos, licèt ipse Exceptoris officio fungeretur, quia, nimirum, censebat, se illa scribentem concurrere ad eorum persequutionem; ergo, &c.

Ex his solui possunt, quæcumque in contrarium adducentur.

Tertium.

***

C A-

Digitized by Google

CAPVT VII.

An liceat ex graui cauſa imagines Deorum vendere, vel tradere gentibus, a quibus creduntur colenda.

1. ET reſpondendum eſt licere, ſi grauis vrgeat neceſſitas, quia id non eſt efficienter concurrere ad peccatum idololatriæ, ſed tantùm materiam præbere, erga quam alii peccant: & abſolutè ipſę imagines poſſunt teneri, & non coli, ſicut tenentur à Fidelibus; quare illa venditio non trahit ex ſui natura earum cultum, neque is, vt ſupponitur, intenditur a vendente; ſed ſequitur ex prauitate ementis. Licet autem prouidere noſtris neceſſitatibus per actus, qui de ſe nō ſunt mali, nec malū de ſe inferunt, quamuis ad illos ex aliorum malitia ſequatur. Sic licet egenti petere mutuas pecunias ab vſurario, quamuis noſcat, ea occaſione mutuantem prauè vſuram ad exercendas vſuras; quia mutuatio, quæ petitur, non infert ex ſe exercitium vſurę, immo poteſt rectè, & ex charitate fieri. Sic licet exigere iuramenta ab infidelibus pro confirmanda pace, quia iuramentum poteſt rectè fieri per Deum verum, & ex impietate iurantium deſcendit, vt reddatur per falſa numina. Conſtantinus quidem de Bragantia Prorex Goenſis, cùm ad Indis Gentilibus quingentorum millium pretio ſolicitaretur ad vendendum eis dentem ſimiæ albæ, quæ pro magna Deitate ab eis culta fuerat, variantibus Theologorum ſententiis, maluit illum in puluerem redigere, quàm cum conſcientiæ ſcrupulo eam auri ſummam lucrari. Laudabilior certè, quàm Ezechias Rex Iſrael conterens ſerpentem æneum, ne a Iudeis coleretur 4. Regnum 18., hic enim nil perdidit, ille vero igens pecuniæ pondus. Sed, ſi ipſe propter belli expenſus, vel alia iuſta de cauſa pecuniis indiguiſſet, poterat abſque ſcrupulo dentem illum vendere ex ratione iam dicta.

2. Sed hic arguitur. Non licet tradere hoſtibus Fidei imagines Chriſti, vel Sanctorum, quia creduntur eaſdem dehoneſtaturi, vt non ſemel ab ipſis, maximè verò a Iudæis factum eſt; ergo

Digitized by Google

neque licet vendere imagines Deorum iis, a quibus creduntur adorandæ. Antecedens videtur certum; Traditorum enim titulo infamati sunt Christiani, qui metu mortis ad Imperium Diocletiani sacros codices gentibus tradiderunt; immo hoc peccatum adeo graue visum est Donatistis, vt eo ommes Ecclesias, quæ iisdem traditoribus communicauerant, commaculatas dicerent, proindeque Ecclesiam Christi in sua tantùm secta remansisset, vt patet per Augustinum contra Donatistas tomo 7., non minùs autem malum est tradere gentibus imagines Christi, & Sanctorum, quàm sacros codices. Hinc Valerianus Episcopus in Romano Martyrologio 15. Decembris, de humani conuictus, ac societatis iure se depelli, omni habitatione, & receptione in domo, & in agris ipsi interdicta, nudoque sub aere egestate, & ærumnis confici maluit, quàm Ecclesiæ vtensilia tradere Vuandalis; id enim fuisset contemnere illa, quia tradere contempturis, & dehonestaturis, vel saltem a cultu Diuino ad alios vsus translaturis. Tarpicius etiam Martyr ibidem 15. Augusti, cùm corporis Christi Sacramenta portans a Paganis inquireretur, quid gestaret, indignum ratus porcis prodere margaritas, fustibus, & lapidibus vsque ad extremum spiritum mactari substinuit: reuoluto autem eius corpore, nihil sacrilegi discussores Sacramentorum Christi in manibus, aut vestibus eius inuenerunt; ita nimirum Deo religionem eius approbante, & Sacramentorum suorum honori consulente. Legitur quidem de Sancto Ludouico Francorum Rege, quòd Altaris Sacramentum tradiderit Ægyptio Soldano in pignus pecuniæ, quam pro sui redemptione transmissurum se pollicebatur. Sed credendum est, quòd ipsum per Sacerdotes honorificè seruandum curauerit, & cauerit. Id etiam videtur præceptum a Christo Matth. 7. 6.: *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.*

3. Respondetur, negando Consequentiam; nam in venditione imaginum Deorum exhibetur tantùm materia, circa quam gentes noscuntur peccaturæ; nullus verò tunc eis exhibentur honor, immo spernuntur eò ipso, quò venduntur, quia magis æstimatur pecunia, quàm ipsę. Falaniæ Romano equiti crimini datum esse, quòd simul cum horto imaginem Augusti vendidisset in eo locatam, tamquam hoc facto Augustum dehonorasset, tradit Tacitus primo Annali.cap.15. At in traditione imaginum Christi, & Sanctorum adest contemptus earum, dum traduntur eis, a quibus creduntur conspurcandæ. Nemo enim sibi caros traderet iis, a quibus crederet

Digitized by Google

deret lædendos. Iudas fortaſſe non odio in Chriſtum, cuius nulla cauſa aderat, atque adeo, non voluntate, vt a Iudæis proderetur, ſed cupidine lucri ipſum vendidit: diſertè enim ipſe ad Iudæos: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* Matth. 26. 15. Et tamen grauiſſimi ſceleris reus eſt propter hoc ipſum, quòd Chriſtum eis tradidit, a quibus noſcebat offendendum. Conſimilis autem ſceleris eſt imagines tradere læſuris, ac perſonas; ſicut conſimilis bonitatis perſonas venerari, ac imagines; in imagine enim honoratur, vel læditur perſona. Ergo ſicut Iudas, qui tradidit Chriſtum Iudæis, & illi qui Martyres tradiderunt perſequutoribus, & ſi non odio Fidei, aut perſonarum, ſed alia de cauſa id fecerint, læſerunt ipſos, ita & qui eorum imagines hoſtibus Fidei tradunt, a quibus credunt dehoneſtandas, quacumque cauſa id faciant.

Grauiſſimè ergo peccarunt ſacrorum codicum traditores: cuſtodiendi enim erant, honorandi, & legendi illi libri, non gentibus tradendi ad comburendum. Atque doctrinam ſpiritualem Fidei non eſſe tradendam immundis iuſſit Chriſtus, dum vetuit, ſanctum dari canibus, vt explicat Auguſtinus de Adulterinis coniugiis cap. 27. Credendum eſt, inquit, Dominum ſignificare voluiſſe, quòd *Lucem intelligentiæ ſpiritualis immunda corda non portant. Et ſi portanda Doctor ingeſſerit, qui non rectè accipiunt, quia non capiunt, vel reprehenſionis morſibus lacerant, vel contemnendo conculcant.* Quo etiam ferè modo explicant Theophylactus, & Lyranus. Hinc Apoſtolus ait prima Corinth. 3.: *Lac potum dedi vobis, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis.* Et ipſe Chriſtus Ioann. 16.: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.*

Quartum.

CAPVT VIII.

An ex graui metu liceat Templa adificare Idolis.

1. ID eſt omnino illicitum, quia pertinet ad idololatriam. Templum enim non ædificatur niſi Deo, hominibus autem

Digitized by Google

domus, vel palatia. Hinc vrbes illæ, quæ Templa apud Tacitum ædificarunt Augusto, Tiberio, aliisque Romanis Principibus eosdē Deos professæ sunt. Ergo ædificare templum Idolo, est habere, & colere illum vt Deum. Ideo Salomon idololatriæ arguitur, quia templa ædificauit Diis vxorum suarum; sicut pietatis, & fidei commendatur, quòd templum in Ierusalem ædificauerit vero Deo. Iulianus Apostata, cùm illud templum reexcitare molitus est, Iudaicā Religionem visus est vel tenere, vel fouere. Ambrosius autem etiā terrores mortis substinuit, ne Basilicam vnā Mediolani Imperatrice instante traderet Arianis, subinde ingeminas: *Non trado Christi hæreditatem*: ea enim traditione Arianam perfidiam approbasse visus esset: perinde enim est, Basilicam ædificare, ac tradere ædificatam. Sic in Romano Martyrologio die octaua Maii Auda, vel Abda Episcopus Martyrium substinuit, ne excisum a se Idolorum templum reexcitaret. Hanc enim causam ad Martyrii coronam promerendam idoneam esse, docet Ambrosius Epistola 17 ad Theodosium, & notat Baronius in notis ad Martyrologium eo die. Sicut enim contumelia afficitur idolum, cùm eius templum destruitur, ita honore, cùm ædificatur: in ignominiam enim facinorosorum, quandoque publico iudicio eorum domus diruuntur, sicut in honorem benemeritis ædificantur; ergo honorat idolum, qui templum ei ædificat, atque adeo idololatra est.

2. Fortè dicetur. Laudatus est a Iudæis Centurio Matth. 8. nec a Christo reprehensus, quòd Synagogam ipsis ædificasset, cum Iudæus ipse non esset; ergo Centurio sine crimine eam Religionem honorauit, a qua alienus erat; ergo videtur, posse fidelem sine crimine ædificare Moschæas pro Mahometanis, aliisque infidelibus, maximè si metu, aut alia graui causa moueatur.

Respondetur, Centurionem fuisse cultorem veri Dei, quamuis Iudaismum non profiteretur, ad quod non tenebatur, quia Lex Mosaica non toti mundo, sed Iudæis particulariter imposita erat. Rectè ergo Synagogam Iudæis ædificauit, qui vnà cum ipso veri Dei cultores erant. Fuisset autem a Iudæis fortè laudatus, etiam si verum Deum non agnouisset, quia non rectitudinem, sed honorem, & commodum suum in eius opere appendissent; sicut ab iisdē laudatus fuit impius Iulianus, qui Ierosolymitanum templum ipsis reædificare tentauit. Mendoza 22. disp. 76. sect. 6. §. 181. putat, etiam modò licitum synagogam ædificare Iudæis. Sed audiendus non est.

3. Ad-

Digitized by Google

3. Adhuc dicetur. Non peccat locans domum meretrici, etiam ſi ſciat, fornicationes ibi exercendas; non enim propterea cooperatur fornicationi, ſed tantùm dat locum, in quo illas ſcit exercendas; ergo non peccat ædificans templa Idolis, quia non propterea colit ea, ſed tantùm dat locum, in quo illa colenda nouit.

Reſpondetur, ipſam ædificationem templi pro Idolo eſſe cultum illius, vt dictum eſt; non ergo ibi eſt peccatum ob cooperationem peccato alterius, ſed ipſa ædificatio ex natura ſua peccatum eſt.

Quintum.

CAPVT IX.

An ex graui metu liceat effigies formare Deorum.

1. SI hæc formantur ad honorem, eadem ratio eſt ac de ædificatione templi; quare vtrumque pertinet ad idololatriam. Hinc reprehenditur idololatriæ Aaron, quòd bouem Iudæis conflauerit, quem adorarent, Exodi 32. Similiter, & Ieroboam Rex Iſrael, quòd vitulos aureos locarit in Bethel, & Dan. 3. Reg. 12.

Hinc SS. Martyres Claudianus, Nicoſtratus, Symphorianus, Caſtor, & Simplicius in Romano Martyrologio 8. Nouembris maluerunt mortem ſubire, quàm ſtatuas formare Deorum, cùm ſummi ſculptores eſſent.

Lazaro item Monacho, eò quòd ſacras imagines pingeret, iuſſu Theophyli Iconoclaſtæ manus candenti ferro combuſta eſt, quę tamen diuino ei eſt opere reſtituta: itidem in Romano Martyrologio 23. Februarii. Adeo, & gentilibus, & hæreticis pro certo fuit, formationem imaginis ad honorem ſpectare eius, de quo formatur. Qua ratione etiam in Indice Librorum prohibitorum vetantur imagines hæreticorum, immo & eorum nomina, ſi ſint Hæreſiarchæ, etiam ſi iam impreſſa ſint, iubetur deleri.

Sicut autem peccat formans Idolum ad honorem eius, ita & qui materiam præbet, vnde formetur. Non ſolùm enim Aaron, qui

Digitized by Google

qui vitulum conflauit, sed & mulieres dantes annulos, inaures, armillas pro eo conflando, peccauerunt; nam & ipsæ honorarunt Idolum, dantes materiam, vnde formaretur adorandum. Sed non semper formantur ad honorem, vt templa, aliquando & ad ignominiam. Sic formatur imago Dæmonis, aut Iudę proditoris; quod vtique licet.

Solent etiam formari, & haberi in honorem alicuius artis, vel scientiæ, cuius illi inuentores finguntur. Mercurius enim, Musæque dicuntur authores scientiarum, vnde in Musæis earum imagines teneri solent etiã a Christianis, qui easdem, ne dum nõ Deas, sed nec vllo modo fuisse credunt; ergo id tantùm fit ad honorem scientiarum, immo ipsæ scientiæ repræsentantur imaginibus illis Musarum, non personæ, quæ non creduntur esse, nec fuisse. Hoc autem modo honorare scientias non est illicitum, modò non honorẽtur veluti Deæ, quod a Fidelibus non fit; nam & Tullius, & Virgilius, gentilesque Philosophi solent haberi picti, vel sculpti in Musęis, non ad honorem impietatis eorum, sed prȩcellentiæ in arte, vel scientia.

Formantur etiam quandoque in monimentum celebris facti ad eruditionem, & subsidium memoriæ. Sic enim etiam Poetarum figmenta, ideſt, fictorum hominum ficta gesta ab Homero, Virgilio, Tasso, Arioſto, alioue Poeta decantata, quia celebria propter ipsos Authores reddita sunt, depinguntur in tabulis, sculpuntur ęre, vel marmore, & lanificio, vel serico opere repræsentantur; quod videtur immune a peccato.

2. Sed dubium est: An liceat Deorum imagines formare ob solum finem, & spem vendendi idololatris, indeque lucrandi.

Et respondendum negatiuè. Id enim est malum ex se, ideſt, etiam præscindendo a cooperatione ad peccatum alterius. Quod probatur. Primò. Quia peccauit Aaron fundendo vitulum petitũ ad cultum, & si nulla voluntate idololatriæ, sed tantùm ad effugiẽdam mortem id fecerit; ergo etiam peccasset, si præscius, vel suspicans petitionem illam populi, antea illum fudisset ad citiùs periculum euitandum; ergo peccant, qui formant idola ob solum finem, & spem succurrendi inopiæ ex eorum venditione idololatris: immo tantò certiùs, tantoque grauiùs peccant, quàm Aaron, quantò leuius est periculum inopiæ, quàm mortis, & præsens, certumque malum, quàm futurum, & incertum bonum.

Secundò. Aaron facto ipso honorauit idolum, quod formauit, quamuis petitionem eius ad cultum exhorruerit; ergo peccat

Digitized by Google

cat formans idolum, quod tradat petentibus ad cultum, etiam ſi nolit eiuſdem cultum. Antecedens patet; nam peccatum Aaron fuit peccatum idololatriæ, non enim aliud dici poteſt. Illa autem eſt honor, vel cultus exhibitus idolo; ergo Aaron honorauit idolum, quod formauit. Formare quippe idolum, dum petitur ad cultum, eſt parare illi cultum, & veluti fundamenta eius iacere: immo & maius beneficiũ illi conferre, quàm ſit ipſum exornare; ſicut maius beneficiũ conferre videtur nobis Deus creando, quàm alia bona conferendo, ſaltem naturalia. Hinc Tertullianus lib. de Idololatria: *Idolum tam fieri, quàm coli Deus prohibuit. Quantò præcedit, vt fiat, quod coli poſſit, tantò prius eſt, ne fiat, ſi coli non licet. Quidquid idololatra committit, in artificem quemcumque, & cuiuſcumque idoli deputetur, neceſſe eſt.* Sed exornare, & fabricare idola eodem criminis reatu adſtringit eodem libro dicens: *Sunt & aliæ complurium artium ſpecies, quæ, & ſi non contingant idolorum fabricationem, tamen ea, ſine quibus idola nil poſſunt, eodem crimine expediunt. Nec enim differt, an extruas, vel exornes. Maior eſt eiuſmodi opera, quæ non effigiem confert, ſed auctoritatem.* Sicut enim deſtruens idolum, ex natura actionis deſtruit fundamentum cultum eius, ita qui formar, dum ad eum finem petitur, ex natura pariter actionis iacit fundamenta cultus eiuſdem: & ſicut facto ipſo honorat Principem, qui eum in ſede locat, vbi eſt colendus, etiam ſi non voluntate honorandi, immo inuitus id faciat, ſimili, vel etiam fortiori ratione honorat idolum, qui ipſum formar, dum eſt colendum.

Et ex hoc patet diſparitas inter vendentem gentilibus idolum, quod iam habet, & inter facientem, vt vendat, etiam ſi vtrumque fiat ob finem inopiæ ſubleuandę; nam in venditione eius, etiam dum venditur colentibus ipſum, nullus eſt honor idoli ex parte vendentis, ſed potiùs contemptus, vt ſupra dictum eſt; at in conſtructione eius, dum fit ad finem vendendi cultoribus eius, eſt honor idoli, immo primus, & fundamentalis, vt etiam dictum eſt.

3. Tertiò. Si intentio vendendi idolum gentibus propter lucrum eſt abſoluta, abſolutè quoque volita eſt petitio gentilium ad cultum eius; ſed hæc petitio eſt peccatum; ergo abſolutè volitum eſt peccatum, & cultus idoli; ergo ex hac etiam parte peccaminoſa eſt illa intentio. Si autem eſt intentio ſub conditione, ſi accedant emptores, tunc idolum non fit abſolutè ob ſolum finem ven-

Digitized by Google

venditionis, quę contingens est, vt potè dependens a conditione contingente, sed propter alium finem.

Quòd autem non excusęt prætextus paupertatis, & necessitas seruandæ familiæ, vt fiat idolu ob finem vendendi colentibus ipsum, acriter ostendit Tertullianus lib. de Idololatria: *Iam illa obijci solita vox: Non habeo aliud, quo viuam, districtiùs repercuti potest. Viuere ergo habes? Quid tibi cum Deo est? Si tuis legibus, &c.* Et post aliqua: *Quomodo renunciauimus Diabolo, & Angelis eius,, si eos fasimus? Quod repudium diximus ijs, non dico cum quibus, sed de quibus viuimus? Quam discordiam suscepimus in eos, quibus exhibitionis naturæ gratia obligati sumus? Potes lingùa negare, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto struis? Vnum Deum prædicare; qui tantos efficis? Verum Deum prædicare, qui falsos facis? Facio. ait quidam, sed non colo: quasi ob aliquam causam colere non audeat, nisi ob quam, & facere non debeat, scilicet, ob Dei offensam vtrobique. Immo tu colis, qui facis, vt coli possint. Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicuius, sed tuo proprio, nec anima pecudis impensa, sed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam occidis. Plùs es illis, quam Sacerdos, cùm per te habeant Sacerdotem. Diligentia tua Numen illorum est. Negas te, quod facis, colere? Sed illi non negant, quibus hanc saginatiorem, & auratiorem, & maiorem hostiam cędis salutem tuam. Tota die ad hanc partem zelus Fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de aduersaria fucina in domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, &c.* Inde exclamat: *Proh scelus. Semul Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendas.* Ratio igitur nostra superior, quòd, scilicet, formans idolum ad colendum ex natura actionis primordialem, & fundamentalem cultum illi exhibeat, etiam ex Tertulliano, & cum magna quidem amplificatione, habetur.

4. Ex his patet, non tantùm ex perfectione Fidei, & Religionis, sed ex necessitate euitandæ idololatrię Sanctos illos, de quibus supra, maluisse tormenta, mortemque subire, quàm imagines formare Deorum ad petitionem gentilium ad cultum eas petentium.

5. Exportare autem eas de vno locò ad alium etiam ad petitionem, vel imperium gentilium licet baiulis, aut seruis Christianis, sicut cætera mobilia: exportatio quippe ipsa non confert honorem,

cùm

Digitized by Google

cùm, & vaſa facta in contumeliam exportentur; non autem licet ea locare in templo, vel in baſi, in qua colenda ſunt, id enim eſſet ipſa honorare.

Septimum.

CAPVT X.

An liceat locare domum meretrici.

1. AD hoc reſponſum eſt affirmatiuè ſupra cap. 3., & 8. in fine, quantùm eſt ex cooperatione efficienti ad peccatum alterius, nam hic ea non interuenit. Additur, quòd domus nō locatur ad fornicandum, ſed ad plura vtilia, neceſſaria, & honeſta, licèt meretrix abutatur ea ad prauum illum finem; ergo non eſt ei deneganda domus pro habitatione; aliter denegandę eſſent, aut tollendæ facultates naturales eis, qui eiſdem aliquando abutuntur ad malum; quas tamen magno Dei beneficio omnes habemus, vtpotè, quibus plura bona facere poſſumus. Concupiſcentiam, quę eſt determinatè ad malum, & propterea non eſt nobis a Deo, ſed a diabolo, conantur excindere quicumque eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, vt ait Auguſtinus 4. contra Iulianum cap. 2., non verò facultates, quibus rectè vti poſſumus.

Equidem in cap. *Vſurarum* de Vſuris in 6. inhibetur commodatio domus vſurario publico, qui non ſit loci oriundus. Sed inde non infertur, commodationem illam eſſe de ſe malam tamquam concurſum efficientem ad vſuras, aliter etiam ſi fieret vſurario nō publico, & loci oriundo eſſet mala; ſed redditur talis ex illa prohibitione facta in odium publicarum vſurarum.

Si autem determinatè commodetur domus ad fornicandum, vt, ſi fornicariis paratis ad ſcelus, nec loci opportunitatem habentibus, ad eorum petitionem commodetur eis domus; nec tunc quidem adeſt concurſus efficiens ad peccatum; ſed tamen malum eſſet, quia contra charitatem Dei, & proximi præberetur indiuiduali-ter alteri commoditas ad peccandum, cùm potiùs teneamur ſaltem fraternis correptionibus fratrem a peccato auertere. Si autem grauis metus vrgeat, excuſabile eſt.

Digitized by Google

Sed, si aperiretur domus ad dandum illis ingressum, esset inexcusabile, quia esset concursus efficiens ad peccatum, vt in hac Propositione definitur de seruo aperiente ostium hero ingredienti ad stuprum; qui reus dicitur peccati mortalis, etiam si metu notabilis damni id faciat.

Septimum.

CAPVT XI.

An ex graui metu liceat coquo praparare cibos vetitos pro domino, dapiferisque illos inferre in mensam.

1. HAnc difficultatem tactam supra Cap. 2. remisimus diligentiùs excutiendam capite præsenti. Dicimus igitur: Non licere illud ministerium coquo, licere autem sua ministeria dapiferis ex graui, vt supponitur, causa.

Probatur primum. Quia coquus præparans cibos concurrit efficienter ad peccaminosam domini comestionem; sed concursus efficiens ad peccatum alterius est inexcusabilis a peccato, vt pluries dictum est; ergo, &c.

Maior probatur. Nam disponere materiam ad susceptionem formæ est concurrere efficienter ad eius inductionem: idem quippe agens naturale, quod inducit formam, remouet a materia impedimenta, & disponit ad eã suscipiendam. Ignis per calorem tamquam sui instrumentum tollit a ligno frigiditatem, & humiditatem, & ignefacit. Neque obstat, si dicatur cum Scotistis, formam ignis non per calorem, sed per formam substantialem ignis induci, & quòd calor tantummodò disponat; nam adhuc calor disponens cõcurrit efficienter instrumentaliter ad productionem formæ, vt ipsi Scotistæ fatentur.

Nec etiam obstat, si dicatur cum aliis, dispositiones inductas non concurrere efficienter, sed tantùm materialiter ad inductionẽ for-

Digitized by Google

formę; nam, quidquid ſit de hoc, in omnium ſententia calor, qui eſt in igne inducens diſpoſitiones in materia ligni efficienter concurrit ad productionem formæ ignis. Natura enim pro efficientia, ſiue actione formæ ſubſtantialis, vt producat ſibi ſimile, dedit illi accidens, quo diſponat materiam, & attingat productionem formæ ſaltem mediatè. Sed coquus remouet a cibis impedimentum cruditatis, aut aliud, & diſponit eos, vt ſint apti ad comeſtionem; ergo ex natura actionis concurrit efficienter ad comeſtionem. Ita etiam, qui eos in partes, ſeu fruſtra diuidit, vt commodiùs ſumi poſſint.

2. Probatur ſecundum. Quia dapiferi non concurrunt efficienter ad comeſtionem, ſed tantùm exhibendo, ſeu præſentando comeſtibile; concurſus autem non efficiens ad peccatum alterius excuſabilis eſt a peccato, ſi ex graui cauſa adhibeatur, vt etiam pluries dictum eſt; ergo, &c.

Maior probatur. Quia virtus agens in paſſum approximatum non eſt virtus ad idem approximandum, neque vniuerſaliter habet virtutem ſibi ſubordinatam ad illum effectum. Patet: aliter omnia agentia poſſent approximare ſibi paſſum ad agendum in ipſum, atq; adeo poſſent agere in diſtans; ſicut agens, quod inducit formam, poteſt diſponere materiam ad eius ſuſceptionem. Quamuis autem in aliquo agente adſit duplex hęc virtus, ex. gr. in animali perfecto, quod poteſt, & per calorem naturalem calefacere corpus, & per virtutem locomotiuam illud ſibi approximare, non tamen virtus locomotiua eſt ſubordinata veluti inſtrumentum virtuti calefactiuæ, ſicut calor igni; nec ipſa virtus locomotiua poteſt approximare ſibi paſſum diſtans, ſed tãtùm poteſt illi approximare animal, cuius eſt virtus, vt illud tangat; quare tantùm vtraq; virtus ſubeſt motioni voluntatis, vel appetitus, quæ poteſt ordinare vnam ad finem alterius; ergo approximare paſſum agenti non pertinet ad actionem virtutis agentis in idem approximatum; & conſtat, quòd etiam agens frigidum poteſt approximare lignum igni, vt calefiat, & comburatur, frigidum autem non eſt inſtrumentum ignis, vel caloris, nec eius actio pertinet ad calefaciendum, vel igniendum; ergo approximare cibos comedenti non eſt concurrere efficienter ad comeſtionem, ſed tantùm exhibere, vel præſentare comeſtibile; exhibere autem materiam, circa quam alius noſcitur peccaturus, excuſatur a peccato, dum fit ex graui neceſſitate, vt in præcedentibus probatum eſt; ergo licet dapiferis ex graui cauſa inferre cibos inhibitos in menſam Domini.

Digitized by Google

3. Fortè dicetur. Distantia passi est impedimentum actionis in ipsum, hocque impedimentum remouetur ab approximante; sed remouere impedimenta actionis est concurrere efficienter ad eam, vt pluries dictum est; immo inde probatum est, quòd aperiens ostiũ pro ingressu alterius ad stuprum concurrat efficienter ad ipsum; ergo, &c.

Respondetur, falsam esse Maiorem propriè loquendo: tunc enim propriè impeditur actio, cùm aliàs potest exerceri ex virtute agentis, & natura passi: nec enim producens agens, & passum dicitur remouere impedimenta actionis, quamuis hæc sine agente, & passo exerceri non possit. Sicut ergo aliud est producere ea, quæ possunt agere, & pati, vel dare illis virtutem agendi, & facultatem patiendi, aliud remouere impedimenta actionis, & passionis, quæ supponunt earum possibilitatem, ita aliud est approximare passum, aliud remouere impedimenta actionis in passum; nam ad agendum in distans non datur virtus, ex limitatione siue naturali, siue etiam essentiali virtutis agentis; impedimentum autem propriè est, quod procedit ab extrinseco, supposita sufficientia virtutis agentis, & capacitate passi. Ita non dicitur impediri actio agentis non existẽtis, siue in passum non existens, sed tantùm, si illa existant, & proxima sibi sint. Ita fecit Deus in fornace Babylonis erga ignem maximæ virtutis, & homines in medio eius existentes.

Si quis autem contentiosè velit, etiam distantiam inter impedimenta actionis computandam, potest distingui Maior de impedimento distantiæ, alioue; & concedi de alio, negari de distantia; cuius diuersitatis ratio abundè patet ex dictis.

4. Sed fortè replicabitur. Proiiciens hominem, vel aliam rem in ignem, reus est mortis hominis, & consumptionis rei damnantur enim homicidii carnifices, qui iussu Magistratuum Sanctos Martyres in ignem proiecerunt, nec tamen amplius fecerunt, quàm approximare passum agenti; ergo pariter dapiferi, qui approximant cibos vetitos ad dominum, rei sunt illicitæ comestionis.

Respondetur negando Consequentiam: actio enim ignis in combustibile necessaria, ac naturalis est; comestio autem de illicitis cibis, etiã si alicui præsentes sint, libera. Effectus autem sequentes necessariò, siue naturaliter formam tribuuntur datori formæ, non verò, qui sequntur liberè: sic motus grauium, & leuium tribuũtur generanti, non verò motus hominum tribuuntur parentibus. Quantùm autem ad effectus naturales perinde est approximare agens

Digitized by Google

agens paſſo, ac paſſum agenti: perinde enim comburitur ſtipula, ſiue ea in ignem proiiciatur, ſiue ignis ei applicetur: ſic igitur rei erant homicidii carnifices, ſiue ignem ad corpora Sanctorum Martyrum applicarent, in quo propriè erat concurſus efficiens ad combuſtionem ſequentem, ſiue eos in ignem proiicerent, quod eſt approximare paſſum agenti, nam & hoc ipſum eſt applicare eorum corporibus ignem propter naturalem paſſionem combuſtibilis ab igne, & naturalem actionem ignis in combuſtibile. Non eſt autem ſic de dapiferis: aliter quælibet exhibitio, vel præſentatio materiæ, circa quam alius noſcitur peccaturus, eſſet peccaminoſa, quod nullus dicit, neque dici poteſt, vt patet ex dictis in tota hac Diſputatione.

5. Adhuc obiicitur. Præſentans hominem eius inimico, a quo ſcit occidendum, & vtiquæ non neceſſariò, ſed liberè, reus eſt homicidii ſequuti, & tamen non ampliùs facit, quàm approximare paſſum agenti libero; ergo approximans cibos illicitos ſuo Domino, a quo ſcit comedendos, reus eſt comeſtionis illicitæ.

Reſpondetur, præſentationem illam eſſe inexcuſabilem a peccato, non quidem propter concurſum efficientem ad actum inimici occidentis, nam talis concurſus non adeſt, ſed quia exponit hominem morti, quod eſt æquiualenter occidere; ſicut ſi quis duceret hominem ad locum, vbi ſciret hiatu terræ, vel ruina lapidum opprimēdum. Quod erga viros ſibi infenſos feciſſe legitur Ochus, ſiue Darius Perſarum Rex apud Valer. Max. de Crudelit. extern. quinto, qui proinde eos interfeciſſe dicitur. Quamuis enim liceat pro ſeruanda noſtra vita, vel etiam bonis externis permittere mortem proximi, non eſt tamen licitum eũ morti exponere. Sic peccauit Dauid, cùm pro celando ſuo adulterio iuſſit, Vriam morti exponi; nec tantùm ipſe, ſed etiam Ioab, & commilitones, qui ipſum inter fortiſſimos, ac confertiſſimos hoſtes ſolum reliquerunt, præuidentes ab illis occidendum.

Tamdem arguitur. Inexcuſabilis eſſet a peccato ingerens cibos illicitos in os alterius, vt manducet, ſicut fecerunt impii illi erga Eleazarum 2. Machab., & tamen illud non ampliùs faceret, quàm approximare cibos, ſicut paſſum agenti; ergo inexcuſabiles ſunt a peccato dapiferi inferentes cibos illicitos in menſam, nam approximant eos comedenti.

Reſpondetur, illud eſſe amplius quiddam, quàm approxima-

re

Digitized by Google

re cibos, nimirum esse etiam adiuuare ad comedendum; nam manus ingerentis cibos in os deseruiret loco manus eosdem comedentis: esse etiam disponere cibos ad comestionem diuidendo eos in bolos, vt mandi possent, & traiici. Est etiam concurrere determinatè ad actum, qui non potest fieri absque peccato, quod non est in simplici approximatione, possunt enim non manducari cibi, quamuis approximati; ergo non est eadem ratio.



Digitized by Google

DISPVTATIO XLVI.

Contra Propoſitionem LII.

Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 SI hæc Propoſitio ſupponat generaliter, Eccleſiam non poſſe præcipere ſub mortali, deſtruit poteſtatem, atque adeo diſciplinam Eccleſiaſticam. Tollit etiam ſententiam excommunicationis pro inobedientia mandatorum Eccleſiæ, ſiquidem illa, cùm ſit pœna grauis, non debet ferri niſi pro mortali, cap. *Nemo Epiſcoporum* 11. qu. 3. Sequitur etiam, Eccleſiam abſolutè ſub pœna peccati non poſſe præcipere; ſi quidem, ſi hoc poteſt, quando præceptum eſt in materia graui, natura ſua, eius tranſgreſſio eſt mortalis, adeo vt ſub dubio ſit, an ſuperior poſſit in materia graui præcipere ſub veniali. Cùmque probabile ſit, etiam ſæculares poteſtates præcipere poſſe ſub peccato mortali (certis enim tranſgreſſionibus infligunt pœnam mortis, vel priuationis omnium bonorum, quæ non eſt infligendæ pro veniali): multò irrationabiliter dicitur, id non poſſe Superiores Eccleſiaſticos. Certè autem putare, quòd Eccleſia nil poſſit præcipere ſub mortali, eſt ipſam contemnere; quod etiam iuxta Propoſitionem eſt mortale.

Si verò intendat ſpecialiter, præceptum ſeruandi feſta non obligare ſub mortali, gratis hoc dicit: & eodem pacto dicere poterat, neque præceptum abſtinentiæ Quadrageſimalis, aut a carnibus ſextis feriis, Sabbato, atque Vigiliis Sanctorum obligare ſub

Digitized by Google

sub mortali, quod damnatum est in priori Decreto Alexandri VII. Propositione 23., & in 2. Propositione 32. In cap. *Licèt* de Feriis, quo præcipitur obseruantia festorum, non fit quidem expressa mentio de pœnâ peccati mortalis, sed ea verborum, & sententiarum grauitate constat, vt appareat, de re admodùm graui differere. Dicit enim, pagina vtriusque testamenti septimum diem ad humanam quietem esse specialiter deputatum, & tam eum, quàm alios dies Maiestati Altissimi definitos, nec non natalitia Sanctorum Martyrum ab Ecclesia decretum obseruari. Sed obseruantia diei septimi sub mortali præceptà fuit a Deo; ergo, si conformiter ad illum Ecclesia præcipit obseruari alia Domini festa, nec non Sanctorum, præcipit obseruantiam eorum sub mortali. Nec interest, quòd non adsit verbum, præcipitur, sed, decernimus. Primò. Quia si in eo sit vis, sequitur, quòd neque sub veniali festa sint seruanda, quòd Propositio ipsa proferre non audet. Secundò. Quia in pluribus Capitibus non adest verbum, præcipimus, sed, decernimus; & tamen præcepta continet obligantia sub mortali; vt in cap. *Omnis vtriusque sexus* de Pœnitentia, & Remiss., quo præscribitur pœna Sacerdotis reuelantis Confessionem, & in aliis.

Quamuis autem ibi indulgeatur, vt in diebus festis, exceptis maioribus, attendi possit piscationi alecum, quia, nisi capiantur ipso die, quo apparent, dilabuntur, tame iubetur, vt de iis congrua portio detur Ecclesiis circumstantibus, & pauperibus Christi, quasi ad compensandam eleemosyna inobseruantiam festi.

In Cap. etiam *Conquestus* eodem titulo decernitur, vt in diebus festis, & feriis ad honorem Domini inductis, nec formentur processus, nec ferantur sententiæ, &, si fiant, irritantur; etiam si de consensu partium facta sint.

Rursus in Capite *Omnes dies* ibidem prohibetur in diebus Dominicis mercatura, & placitum, ideſt, litigatio, seu actio contentiosa in foro, iudicium, siue ad mortem, siue ad pœnam, & etiam præstatio iuramenti, nisi pro pace, vel necessitate.

Hæc autem omnia indicant, iudicio, siue sensu Ecclesiæ obseruantiam festorum esse rem valde grauem, atque adeo præcipi sub mortali.

2. Sub hac etiam obligatione fideles acceperunt hoc præceptũ; quod fatetur ipsa Propositio, dum ait, non esse mortale non seruare festum *Sepositò scandalo*; non enim de transgressione veniali ori-

Digitized by Google

oritur ſcandalum, ſaltem inter ſæculares: etenim etiam in Apoſtolis fuerunt venialia; vel, ſi oritur, illud inferre non eſt mortale. Sed Propoſitio dicit, eſſe mortalem inobſeruantiam feſti, ſi inde oriatur ſcandalum; ergo inobſeruantia illa, vel verè eſt, vel ſaltem habetur pro mortali a fidelibus. Sed obligatio acceptata, & conſuetudine communi firmata obligat re vera; ergo re vera inobſeruantia feſti eſt mortalis. Quare Propoſitio repugnat ſibi ipſi. Illud quidem ſcandalum auertere moliuntur Authores Propoſitionis, dum illam tranſgreſſionem dicunt, non eſſe mortalem. Verùm ſcandala tollenda ſunt, non abolitione, ſed impletione præceptorum.

Digitized by Google

DISPVTATIO XLVII.

Contra Propositionem LIII.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas eius partes, immo quatuor simul a diuersis celebrantibus audit.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 DE hac Propositione ita censet Schola Louaniensis in Censura Propositione 17. apud Fagnanũ: *Falsa est, & præceptorum Ecclesiæ elusiua; nec maiorem habet apparentiam de quatuor sacri partibus, quàm de viginti.*

Verùm hæc Censura, cùm nullam reddat sui dicti rationem, potest eludi. Dicetur enim, Propositionem non esse elusiuam, immo impletiuam præceptorum Ecclesiæ, quia reuera auditur sacrũ, dum quatuor eius partes eodem tempore, quamuis a diuersis celebrantibus, audiuntur. Nec esse eamdem rationem de quatuor partibus, ac de viginti; nam applicatio ad viginti non posset esse nisi debilissima, & cum magna interruptione; at applicatio ad quatuor posset esse sufficiens ad satisfaciendum præcepto, saltem ad duas; nam simul satisfieri potest obligationi audiendi sacrum, et recitandi officium, vt communiter dicitur; ergo qui audiret duas partes sacri eodem tẽpore a diuersis celebrati satisfaceret illi obligationi; quod tamen non est asserendum.

2. Ratio ergo falsitatis, iustæque damnationis Propositionis eruenda est ex cap. *Missas* de Consecr. dist. 1., sic enim habet: *Missas die*

Digitized by Google

die Dominico a ſæcularibus totas audiri ſpeciali ordine præcipimus. Tunc ſubſumitur: ſed qui audit plures partes Miſſę vno tempore a pluribus celebratas non audit Miſſam totam; ergo præcepto non ſatisfacit. Probatur Minor; nam Miſſa eſt actio ſucceſſiua Sacerdotis; ſucceſſiua autem habent vnitatem a continuatione partium, & totalitatem, ſiue complemẽtum ab vltimo inſtanti terminatiuo, vt patet ex phyſicis; ſed pars Miſſæ dicta ab vno Sacerdote non continuatur parti Miſſæ dictæ eodem tempore ab alio, neque phyſicè, neque moraliter; ergo qui audit plures partes Miſſæ a pluribus dictas eodem tempore non audit totam Miſſam.

Probatur Minor: non continuantur phyſicè: tum quia ad vnitatem motus requiritur vnitas mobilis ex 5. Phyſic., hic autem ſunt plura mobilia, ſcilicet, plures Sacerdotes, plures materiæ, plura loca, & plura inſtrumenta: tum quia continuatio non eſt niſi partis antecedentis ad ſubſequentem ſecundùm tempus: Miſſæ autem iſtæ dicuntur eodem tempore; tum quia pars Miſſæ dicta ab vno Sacerdote continuatur parti ſubſequenti dictæ ab eodem, & ideo eſt pars totius Miſſæ ab eo dictæ; ergo non poteſt continuari parti Miſſæ dictæ ab altero, aliter eſſet pars duplicis totius; &, cùm totum non ſit aliud, quàm ſuæ partes, vel vna pars eſſet plures partes, & ſic vnum totum plura tota, vel è contra plures partes eſſent vna; hoc autem repugnat. Sed neque continuantur moraliter: non enim aliunde iſtam moralem continuationem habere poſſent, quàm ab vnitate auditoris, & temporis; cætera enim diuerſa ſunt; ſed illa non ſufficiunt: aliter centum, vel plures Miſſæ eodẽ tẽpore dictę, & ab vno audit eeſſent vna Miſſa moraliter, etiam ſi vna eſſet pro defunctis, alia de Domino, alia de Beatiſſima Virgine, alia de Sancto, alia de pace, &c., quod non tantùm de centum, ſed etiam de duobus huiuſmodi Miſſis aſſerere abſurdiſſimum eſt.

Quare ſaltem oporteret limitare Propoſitionem ad Miſſas eiuſdem ritus. Adhuc: Non poteſt exiſtimatione morali ſucceſſiuum reddi permanens, id. n. deſtrueret naturam rei; ergo plures partes Miſſæ ſimul dictæ non reddunt vnam moraliter Miſſam ſucceſſiuam. Vlteriùs. Si vnitas auditoris poteſt hoc præſtare, multò magis vnitas celebrantis; & ſic Leo Papa, qui nouies in die celebrabat, non pluſquàm ſemel moraliter celebraſſet, nulluſq; Sacerdos poſſet eſſe reus plurium celebrationum in vno die. E contra au-

Digitized by Google

tem pluralitas auditorum plurificaret moraliter Missas; quæ omnia absurdissima sunt.

Rursus. Tunc vnus non posset simul audire plures Missas eodem tẽpore dictas, quia per ipsam vnitatẽ auditoris, & temporis ille omnes euaderent moraliter vna: cùm tamen generaliter cõstet, plures etiam moraliter actiones posse fieri eodem tempore, eodemque homine præsente; ergo qui audit plures partes Missæ eodem tempore a pluribus celebratas non audit vnam, aut totam Missam, vt iubet Ecclesia, sed audit plures partes plurium Missarum; nam illæ non vna, sed plures Missæ sunt, quarum audit partes: Verùm, quia solet dici, quod ille audiat plures partes Missæ (in singulari), inde fortè nata est occasio opinandi, quòd ille audiat vnam Missam, & satisfaciat præcepto.

3. Fortè dicetur. Sacerdote in actu celebrationis extincto alius prosequitur eamdem Missam; & pars dicta a posteriori continuatur parti dictæ a præcedenti; ergo ita in casu nostro.

Respondetur, benè in illo euentu partem sequentem continuari moraliter precedenti ad integrandam vnam Missam, quia in successiuis vnitas est per continuationem partis præcedentis ad subsequentem; ibique non sunt duo Sacerdotes simul celebrantes, sed vnus succedit alteri: at Propositio dicit, plures partes Missæ eodem tempore dictas a pluribus continuari ad faciendam vnam, quod non est aliud, quàm simultatem facere successionem, plures Sacerdotes conflare in vnum, & vnum tempus reddere duo.

Probatur secundò falsitas Propositionis. Quia fideles Missæ adstantes simul cum Sacerdote per ipsum offerunt idem sacrificium Deo; propterea eis dicitur. *Orate fratres, vt meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum*, & in Canone: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*; vbi ly, *Pro quibus*, refertur ad cæteros, ly *Qui tibi*, ad adstantes, & hoc est notissimum. Cùm ergo quis audit plures simul partes Missæ a pluribus dictas, quæritur per quem offerat, an per omnes, an per vnum tantùm. Si per omnes; felicior est conditio audientis, quàm celebrantis; siquidem hic non potest nisi vnum sacrificium vno tempore, siue vna celebratione offerre, ille verò plures: proinde hortandi essent fideles, vt quantas quantorum possent Sacerdotum Missæ partes audirent, quia plura sacrificia offerrent, ampliusque meritum, & satisfactionem apud Deum haberent. Si autem per vnũ tan-

Digitized by Google

tantùm; certè non niſi per eum, cui adſtant conſecranti; nam in cõſecratione offerri ſacrificium verior ſententia eſt, quam probat Gauantus ex S. Gregorio: etenim initio Eccleſiæ ab Apoſtolis Miſſa abſoluebatur recitando *Pater*, conſecrando, & ſummendo; non poteſt autem dici, quòd offerretur ſacrificium in illa recitatione; neque in ſumptione, quia tunc conſumitur ſacrificium, quod ſupponitur oblatum; ergo in conſecratione; & feria 6. in Paraſceue non dicitur Miſſa cap. *Sabbato* de Conſecratione d. 3. quia non offertur Sacrificium Domino, cùm ea die ſemet ipſum obtulerit Chriſtus, vt communiter dicitur: ea autem die non conſecratur; ergo in conſecratione offertur Sacrificium. Vide Gauantum in rubricas Miſſæ huius diei. Generaliter verò tunc res Deo offertur, cuni ſuper altare ad honorem eius ponitur; per conſecrationem autem Chriſtus venit ſuper altare. Sed Sacerdoti non licet conſecrare, niſi antecedentes Miſſæ partes recitauerit, ſiue compleuerit; nec ſufficit ab alio audire, vel recitari facere; ergo multò minùs poterit adſtans per illum offerre, niſi anteriores Miſſæ partes per eumdem audierit; ergo qui audit partes ab aliis dictas non offert Sacrificium, atque adeo non ſatisfacit præcepto. Probatur 3. Quia Eccleſia præcipiens totas Miſſas audiri, intendit, vt tamdiu fideles adſtent ſacris, quàmdiu durat vna Miſſa ab vno celebrata; hinc ex deuotione inductum eſt, vt in die Natiuitatis Domini tres Miſſæ ſucceſſiuè audiantur, quò diutius fideles ſacris aſſiſtant. Cùm autem ſimul quatuor partes Miſſæ per plures Sacerdotes dictę audiuntur, tempus præſcriptum ad adſtandum ſacris reſtringitur ad quartam partem, quod eſt in eluſionem præcepti, & ex magna indeuotione procedit; ſicut qui in die Natiuitatis tres ſimul Miſſas a tribus Sacerdotibus eodem tempore dictas audiret, non eam deuotionem oſtenderet, quàm ij, qui audiunt tres ſucceſſiuè.

4. Probatur 4. Quia in Miſſa repreſentatur vita, actiones, & paſſio Chriſti Domini, quod plures oſtenderunt, ſed diligenter Gauantus par. 2. tit. 15., ergo cùm audiuntur ſimul plures Miſſę partes confunditur repræſentatio, &, vt ſimul facta repræſentantur, quæ ſucceſſiuè acciderunt; hæc autem perturbatio ordinis in re tam ſublimi grauis eſt, et indubiè contra mentem Eccleſiæ; ergo non ſatisfit præcepto.

Ex dictis facilè ſolui poſſunt Argumenta pro Propoſitione, ſi quæ afferantur.

D I-

Digitized by Google

DISPVTATIO XLVIII.

Contra Propoſit. LIV.

Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PRimò. Quamuis partium Officii vna ſit longior, alia breuior, & vna priùs recitanda, quàm alia, nulla tamen eſt recitanda ratione alterius, ſed quælibet ratione ſui. Diſtributum eſt enim Diuinum Officium in plures partes, ſiue horas, vt pluribus temporibus laudetur Deus iuxta illud Propheticum: *Septies in die laudem dixi tibi*, vt dicitur cap. *Presbyter* diſt. 91. & cap. *Presbyter* de Celebratione Miſſarum; aut, ſi dicere quis velit, ſingulam partem eſſe recitandam ratione totius Officii, idem eſt; nam ſingula per ſe ipſam eſt pars Officii, & totum Officium non eſt niſi ſingulæ partes ſimul ſumptæ; quæ ſingulæ etiam habet particularem ſignificationem actionum Chriſti Domini; ergo, ſi ex impotentia ceſſat obligatio recitandi Matutinum, & Laudes, quæ ſunt partes longiores Officii, non ceſſat obligatio recitandi reliquas horas; non enim reliquæ ſunt recitandæ ratione Matutini, & Laudum.

Simile eſt in obligatione ieiunii Quadrageſimalis. Si quis enim ex infirmitate excuſetur ab obligatione ieiunii per maiorem Quadrageſimæ partem, non eximitur ab obligatione ieiunandi in diebus, qui ſuperſunt, eo quia pars maior trahat minorem; non enim ieiunandũ eſt vno die ratione alterius, aut ratione maioris partis, ſed ſingulo die propter ipſum, quia ſingulus per ſe ipſum eſt pars totius

Digitized by Google

totius temporis Quadrageſimæ, per quam totam eſt ieiunandum.

Confirmatur etiam a ſimili. Quia in eodem ieiunio Quadrageſimali, vel Aduentus Domini apud Regulares, ſi in aliqua communitate plures, vel etiam maior pars excuſetur ab obligatione ieiunii, non propterea excuſantur cæteri; quia ſingulus tenetur ieiunare non ratione alterius, aut maioris partis, ſed ratione ſui; ergo in eadem perſona excuſatio a recitatione Matutini, & Laudum nō infert excuſationem a recitatione cęterarum horarum. Probatur Conſequentia. Quia, quod ibi præſtat diſtinctio perſonarum, quatenus ſingula tenetur ieiunare ratione ſui, non alterius, hic præſtat diſtinctio horarum, quarum ſingula recitanda eſt ratione ſui, non alterius; & ſicut ibi pars maior non trahit ad ſe minorem, ita neque hic.

Confirmatur ſecundò. Quia omittens Completorium tantùm, non excuſatur a peccato, eo quia cæteras partes officii recitauerit; ergo multò minùs omittens horas diurnas, quas recitare poteſt, excuſari poteſt, eo quia neque Matutinum, & Laudes recitauerit. Conſequentia probatur dupliciter. Primò; quia valdè præpoſterum eſt, vt quis ex omiſſione, etiam ſi inculpabili Matutini, & Laudum, lucretur immunitatem ab obligatione recitandi reliquas horas, quas recitare poteſt; & ille, qui non tantùm inculpabiliter, ſed etiam laudabiliter, & meritoriè recitauit reliquas omnes partes Officii, non lucretur, vel ſolam immunitatem ab obligatione recitandi Completorium. Secundò. Quia eadem militat ratio de tractu partis minoris a maiori. Si enim ideo exemptio ab obligatione recitandi Matutinum, & Laudes trahit ſecum exemptionem ab obligatione recitandi reliquas horas, quia pars maior trahit ad ſe minorem, cur recitatio reliquarum partium Officii, non trahit ſecum recitationem Completorii, itaut habeatur pro recitato, etiamſi re vera recitatum non ſit? Magis enim videtur trahere id, quod eſt, quàm id, quod non eſt, poſitiuum .s. quàm carentia; ſed omiſſio eſt carentia, recitatio verò poſitiuum; ergo, ſi omiſſio maioris partis trahit ad ſe minorem, fortiùs recitatio; ergo ſequitur id, quod dicebatur. Ex quo etiam ſequitur, quod debens centum, ſi ſoluat ſexaginta, ad nihil aliud teneatur, immo habeatur, tāquam ſi centum ipſa ſoluiſſet, quia pars maior trahit ad ſe minorem.

2. Oſtenditur ſecundò. Quia, cùm omnis diſpenſatio requirat cauſam, ſiue neceſſariam, ſiue ſufficientem, non poteſt ea extendi vltra cauſam; quia diſpenſatio ſine cauſa tollit ſine cauſa bonum intentum a lege, id quod malum eſt. Hinc D. Thomas 1 2. qu. 97. art. 4.

Digitized by Google

art. 4. dicit, Superiorem, qui dispensat in lege pro sola voluntate, esse infidelem, vel imprudentem dispensatorem, quia, vel non habet intentionem ad bonum commune, vel ignorat rationem dispensandi. Præterea: dispensare sine causa est acceptio personarum, & quodammodo in iniuriam aliorum, pro quibus non dispensatur. Sed impotentia est causa, vt quis sit dispensatus a recitatione Matutini, & Laudum; ergo, si ea non militat in recitatione reliquarum horarum, super eam non potest cadere dispensatio; ergo tenetur ille recitare, & peccat, si non recitat.

3. Principium illud: *Maior pars trahit ad se minorem*, valet in actionibus, obligationibus, aliisque actibus ciuilibus communitatum. Electio enim facta a maiori parte tenet, ita vt minor pars teneatur adhærere; quia maior pars proximè accedit ad rationem totius, atque adeo habetur veluti tota communitas, penès quam est ius eligendi. Et nihilominus in aliquibus electionibus non sufficit maior pars, vt in electione Summi Pontificis, in qua requiruntur ex tribus partibus duæ. Et generaliter in electionibus Canonicis requiritur excessus supra medietatem eligentium: & possent fieri statuta magis stricta super hoc. Numerus etiam eligentium minor, sed dignior, & sanior præfertur numero maiori, si in modico excedatur, vt habet Glosa in cap. *Dudum* de Electione.

Similiter in obligationibus: si enim maior pars communitatis se obligat, aut obligationem acceptat, reliqua pars remanet obligata, eo quia maior pars censetur tota, vel repræsentat totam communitatem: *Turpis est autem omnis pars suo vniuerso non congruens*, vt ait Augustinus 3. Confess. cap. 8., & æquum est, vt voluntas minoris partis cedat, vel accedat voluntati maioris; nam aliter rarissimè, & difficillimè haberi possent electiones, & obligationes communitatum, cùm rarissimè singuli quique de communitate in vnam conueniant voluntatem.

Ex eo autem, quòd factum maioris partis censetur factum totius communitatis, vel obligat totam, inferre, quòd maior pars Officii ita trahat ad se minorem, vt excusatus a recitatione maioris partis excusetur a recitatione reliquarum, nescio cuius iudicii sit. Quæ enim comparatio? Aut, si volunt adesse iustam comparationem, sequitur id, quod supra inferebamus, quodque facillimum est videre, nempe, eum, qui recitauit maiorem partem Officii, non teneri ad reliquas recitandas, immo illas censeri, vt recitatas, quia maior pars trahit ad se minorem.

Sequitur etiam, vt supra dicebatur, quòd, si debitor ad centum satisfa-

Digitized by Google

ſatisfaciat pro ſexaginta, ad nihil vltra teneatur: ſicuti, ſi maior pars communitatis tempore præſcripto non ſeruat legem obligantem, reliqua pars eximitur ab obligatione, quia maior pars trahit ad ſe minorem. Videant igitur, quòd in omni obligatione, ſiue legis, ſiue contractus, ſiue officii, debet ſaltem fieri, quod fieri poteſt, ſi totum fieri non poteſt. Ita debitor pecuniæ, qui non poteſt pro maiori parte ſatisfacere, tenetur ſatisfacere pro ea, qua poteſt, & ſic in cęteris omnibus; aliter multæ obligationes tolluntur. Adeoque, qui non poteſt recitare totum Officium, vel longiores eius partes, tenetur ad recitandum, quas poteſt. Poteſt tamen admitti, quòd excuſatio a maiori parte trahat ſecum excuſationem a minori, quando minor pars ſeparata a maiori redderetur inutilis ad finem intentum; at nulla pars Diuini Officii, nullę preces, quamuis breu iſſimæ inutiliter recitantur.

Cæterùm, quamuis damnata ſit Propoſitio, contra quam hucuſque diſputauimus, non dicimus tamen damnatum principium illud: *Maiors pars trahit ad ſe minorem*; ſed indicatum eſſe, non rectè applicari ad propoſitum.

Digitized by Google

DISPVTATIO XLIX.

Contra Propoſit. LV.

Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1  ÆC Propoſitio in ſimili damnata fuit ab Alexandro VII. Propoſitione quartodecimo loco contenta in priori eius Decreto: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Non intendunt autem Authores eius, ſacrilegam Communionem non eſſe contra præceptum Diuinum, quod promulgauit Apoſtolus prima Corinth. 11.: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indignè iudicium ſibi manducat, & bibit*; ſed non eſſe contra præceptum Eccleſiaſticum de annua communione, eò quia, vt ſolet dici, Eccleſia non iudicat de internis (& habetur in cap. *Tua nos* de Simonia); ex quo inferunt, externum tantùm actum communionis, non internam diſpoſitionem præcipi poſſe ab Eccleſia, adeoque ſatisfieri eius præcepto per externam communionem, etiam ſi abſque interna diſpoſitione, ſiue ſacrilegè fiat.

Igitur videndum eſt, an Eccleſia præcipere poſſit actus internos. Diſtinguendum eſt de actibus internis, qui neceſſarii ſunt ad externos, vel vt ſimpliciter fiant, vel vt rectè fiant, ſiue qui coniunguntur cum externis; & de actibus merè internis. Et de primis

aſſe-

Digitized by Google

aſſerendum eſt, quòd non ſolùm ab Eccleſia, ſed etiam a ſæculari poteſtate præcipi poſſint. De ſecundis verò, quòd ſolùm cadant ſub præcepto Superioris Regularis.

2. Primum quoad primam partem probatur primò ex facto. Nam Eccleſia ſubdit excommunicationi hæreticum mentalem, ſi ſuam hæreſim verbo, vel ſcripto prodat, etiam ſi nullus, vel audierit, vel legerit; cùm tamen verba hæreſim continentia poſſint ſine vlla culpa, atque adeo ſine pœna proferri, vel ſcribi ad eam hæreſim confutandam, vel ad aliorum mentem referendam; ergo in tantùm hæreticus ex pœna punitur, inquantùm eius verba, vel ſcripta procedunt de hæreſi interna; ergo Eccleſia punit actum internum, dum prodit in externum; punit, inquam, malitiam actus interni, quia in externo nulla eſt ſecundùm ſe, ſed tantùm quatenus procedit ab interna; ergo punit malitiam internam; ergo poteſt præcipere de internis.

Item in Clementina prima de Hæreticis §. *Verùm* excommunicantur Inquiſitores, qui ex amore, odio, gratia, vel ob temporale lucrum non inquirunt in hæreticos; quæ excommunicatio non cõtrahitur, ſi ex alia cauſa, puta timore, vel negligentia omiſſio illa procedat; ergo punitur illa omiſſio, non ſecundùm ſe, prout, ſcilicet, omiſſio eſt, ſed prout procedit de internis illis affectibus; ergo illi affectus directè puniuntur, dum progrediuntur in externam omiſſionem.

Pariter in cap. *Significaſti* il 2. de Homicidio declaratur irregularis leuiter percutiens, dum percuſſus ex aliorum vulneribus ſimul percutientium moritur, ſi ille animum habuit occideudi; ſecùs, ſi talem animum non habuit.

Rurſus in Clementina: *Ne in agro* de Statu Monachorum §. *Quia verò* excommunicantur Monachi, aut Canonici Regulares adminiſtrationem non habentes, ſi curias Principum adeant, vt ſuis Prælatis, aut Monaſteriis noceant: non verò, ſi ex alia cauſa eas adeant; ergo Eccleſia punit actus internos malos, dum ad externa progrediuntur; ergo poteſt præcipere actus internos, qui coniunguntur cum externis.

Quoad ſecundam verò partem etiam probatur ex facto. Quia Princeps præcipit Iudicibus a ſe conſtitutis, vt iuſtè, & ſapienter iudicent, remoto quocumq; priuato affectu, aut inclinatione, vtq; tantùm reſpiciant ad merita cauſarum, & præſcripta iurium; & niſi ita iudicent, eos punit; ergo præcipit internam meditationem, & virtutem iuſtitiæ. Item præcipit militibus, vt fortiter pugnent, nec

Digitized by Google

declinent ab hostibus, sed eos sternant; fortitudo autem virtus interna est, quæ in periculis nec simulari potest; nam timor compellit in fugam.

3. Sed probatur vtrumque ratione. Primò. Quia aliter non possent superiores humani rectè disponere ordinem externum, qui sine controuersia illis subiacet; nam hic dependet ab actibus internis, actiones, inquam, externæ dependeat ab internis voluntatibus.

Secundò. Quia præceptum non imponitur, nec imponi potest nisi voluntati, quæ sola libera est, & monet ceteras potentias: ipsa autem potentia interna est; si ergo Superior humanus præcipere potest potentiæ internæ, immo non nisi potentiæ internæ præcipere potest, cur non etiam de actibus internis? Immo de facto semper de illis præcipit; cùm enim præcipit, vt fiat opus externum, non præcipit, vt fiat casu, vel violenter, sed electione voluntatis: præcipit, inquam, vt subditus velit illud facere; ergo præcipit actus internos. Sicut autem non potest præcipere voluntati subditi, nisi hic externos sensus habeat, quibus præceptum percipere possit, ita nec internam punire malitiam, aut præmiare bonitatem, nisi innotescat per actus externos, quia immediatè ad interna eius cognitio peruenire non potest. Et hoc est quod dicitur in cap. *Tua nos* sup. cit. *Nobis datum est de manifestis tantùm iudicare*, iudicare, inquit, non præcipere.

Tertiò. Quia finis, & effectus legis est reddere homines probos, vt ait D. Thomas 12. qu. 92. art. 1., qui proinde qu. 65. art. 1. docet, quòd pro hominibus bonæ indolis, quique, vt dicitur Sapientiæ 8. 19. fortiti sunt bonam animam, sufficit ad hunc finem paterna disciplina; pro iis verò, qui ad vitia proclives, & proterui sunt, requiruntur minæ, & terrores legum. Sed si Superior Humanus lege sua præcipere non posset nisi actus externos tantùm, non posset reddere subditos verè probos, nam vera probitas intùs in animo est; sed redderet illos hipocritas, & simulatores virtutis, quod est alieniissimum ab intentione legis; ergo, &c.

Quartò. Virtus obedientiæ in animo est, ipsaque conformat voluntatem subditi voluntati superioris, eamque subditus tenetur habere eo ipso, quo subditus est; ergo tenetur interna volitione obedire; ergo & interna subsunt authoritati Superioris humani, Rursus. Si actus externi tantùm caderent sub præcepto, subditus opere externo tantùm conformaretur voluntati Superioris, voluntas autem eius posset remanere auersa: hoc autem destruit virtutē obedientiæ. De qua tamen D. Thomas 22. qu. 104. art. 3. dicit, esse laudā-

Digitized by Google

laudabiliorem cæteris virtutibus, quia per illam ſpernitur propria voluntas, per cæteras autem bona externa, vel corporis. Et Diuus Gregorius vltimo Moralium cap. 12. dicit, obedientiam præponendam eſſe victimis, quia in victimis aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas ſacrificatur. Immo Dominus per os Samuelis 1. Regum 15. 22.: *Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs, vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quàm victima.* D. etiam Chryſoſtomus hom. 23. ſuper illa verba Apoſtoli: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, Roman. 13. ait: *Non dicit ſimpliciter, obediat, ſed, ſubdita ſit, ideſt, non ſolùm debet facere, quod præcipitur, ſed voluntatem, & iudictum ſuum cum voluntate Superioris conformare.* Quæ verba perperam interpretatur Peyrinus, quaſi tantùm perfectionem obedientiæ, nõ debitum ſignificent; nam & Apoſtoli verba ſunt imperatiua, & Chryſoſtomus dicit, *debet*.

Quintò. Ea ratione D. Thomas qu. citata art. 1, probat debitum obedientiæ in ſubdito, quia, ſicut in naturalibus corpora ſuperiora per excellentiam virtutis a Deo collatæ mouent inferiora, ita in humanis voluntas Superioris, poteſtate ordinata a Deo, mouet voluntatem ſubditi. Sed hæc ratio non probat tantùm ſubiectionem ſubditi quoad actus externos, ſed generaliter quoad omnes, immo directè probat de actibus voluntatis; ergo, &c.

4. Sextò. Prauitas voluntatis, ſi reſpiciat malum externum, etiam nondum ad opus progreſſa, poteſt a Superiore, ſi cognoſcatur, puniri, & coerceri, ne erumpat; ergo eius poteſtas extenditur etiam ad interna. Antecedens probatur ex facto Ioannis Sacerdotis Iudæorum, & Principis, qui, cùm ex relatione vnius viri audiſſet, veniſſe viros a Ptolomæo miſſos ad ſe occidendum, *comprehendit, & occidit eos; cognouit enim, quia quærebant eum perdere*, 1. Machab. vltimo. De iſtis viris non refertur, quòd aliquid adhuc egiſſent, vel attentaſſent contra vitam Ioannis, ſed tantùm, quòd cognita fuiſſet praua eorum voluntas; & tamen nece puniti ſunt; neque hoc factum improbat ſcriptura, immo probare videtur. Id etiam, ſi aduertamus, fit ab Eccleſia, quæ ſpiritali gladio, ideſt, excommunicatione ferit hæreticum mentalem ſuam hæreſim verbo, vel ſcripto aperientem; nam, vt ſupra dicebamus, verba illa poſſunt ſine culpa proferri, & ſcribi ad referendam mentem aliorum, vel ad finem impugnandi; ergo ideo hæreticus illa proferens punitur, quia ſignum ſunt internæ prauitatis eius; cùm enim eam non ſignificant, non punitur illa proferens, vel ſcribens, quia nec peccat;

Digitized by Google

cat; ergo punitur hæresis interna prolata per verba, vel scripturam externam.

Idem fit a Principibus seculi, dum puniunt opera externa non ad mensuram propriæ pravitatis, sed eius; quam ostendunt in voluntate operantis. Ex. gr. Catilina Patriam non incendit, nec incendere cæpit, & tamen tamquam incensor Patriæ capite truncatus est; quia innotuit ad eum finem præparasse arma, stuppam, & ligna, quę pręparatio non tanto supplicio punita fuisset, si ad eum finem non fuisset. Sic Ecclesia irregularitate punit leuiter percutientem, si animum habuit occidendi, cùm alias leuis percussio non sic puniatur, vt supra diximus. Eadem ratione, si rationabilis oriatur suspicio, quempiam malum concepisse contra Rempublicam, vel Principem, potest tormentis cogi ad aperiendam veritatem, & post confessionem puniri, etiam si nihil adhuc opere externo molitus sit.

Quare rectissimè Chrysostomus hom. 18. in Matth.: *Voluntas est, quæ aut remuneratur, aut punitur pro malis: opera autem testimonium sunt voluntatis.* Si ergo illa non punitur sine operibus, non est ex defectu potestatis in Superiore, sed quia non innotescit. Hinc Glosa in cap. *Si quis pulsatus* de Pœnitentia dist. 1.: *Actus exigitur, vt voluntas puniatur; aliter qualiter probaretur de voluntate?*

5. Cùm ergo non solùm Ecclesia, sed etiam secularis potestas præcipere possit de actibus internis, falsò dicitur, Ecclesiam præcipiente annuam communionem, non posse, aut non præcipere cordis præparationem ad eam requisitam: immo eam præcipit, quia vult, vt communio percipiatur sicut de iure Diuino percipienda est: sicuti prœcipiens Clericis recitationem Officii, præcipit etiam internam attentionem; ergo per sacrilegam communionem non satisfit prœcepto Ecclesiæ, sicut nec per recitationem Officii absque attentione.

Quòd autem Superior Regularis possit præcipere etiam actus merè internos, communis sententia est; quia ratione voti obedientiæ, quo subditi suam voluntatem ipsi submiserunt, & tradiderunt, non puram iurisdictionem, sed potestatem dominatiuam habet in eos; quare & eorum vota irritare potest, sicuti parentes vota filiorum impuberum, domini seruorum, coniugum coniuges, pupillorũ tutores, quod non possunt Superiores simplicem iurisdictionẽ habentes. Hinc in omnibus fere Ordinibus Regularium præcipitur oratio mentalis. Quare Superioribus Regularibus quantùm ad suos subditos subiacet per se etiam ordo internus rerum; cæteris verò non per se, sed prout pertinet, seu progreditur ad externum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Soluuntur Argumenta pro Propoſitione damnata.

1. ARguitur primò. Inutiliter datur præceptum, cuius tranſgreſſio non poteſt cognoſci, atque adeo nec puniri, ſicut inutilis eſt poteſtas præceptiua abſque coerciua, vt ait Philoſophus 10. Ethic. cap. 5., ſed poteſtas non data eſt inutiliter Superioribus; ergo non data eſt ad præcipiendum de actibus internis, qui cognoſci non poſſunt.

Reſpondetur, Argumentum militare tantùm contra authoritatem præcipiendi de actibus merè internis; nam prauitas actus interni coniuncti, vel coniungendi cum externo dignoſcitur ex ipſo externo. Et tamen adeſſe eam authoritatem in Superioribus Regularibus nullus negat, aut dicit eſſe inutilem: etſi enim homines prauæ conſcientiæ non moueatur ad implenda præcepta, niſi timore pœnæ temporalis, probi tamen mouentur ab honeſtate obediẽtiæ, a ſtudio placendi Deo, & meritum apud ipſum conflandi, a voluntate perfectionis acquirendæ, ab abominatione offenſę Diuinæ, vel tandem a timore pœnę ęternę. Quare non inutiliter dantur ea præcepta, nec inutilis eſt poteſtas dandi. Præterea, ſi dirigi, vel corrigi poteſt vita hominis per conſilia, monita, vel correptiones priuatas, cur non etiam per præcepta Superiorum? Quare Argumentum omnino nullum eſt.

Arguitur ſecundò authoritate Senecæ 3. de Beneficiis cap. 20: *Errat ſi quis exiſtimat, ſeruitutem in totum hominem deſcendere: pars melior eius excepta eſt: corpora obnoxia ſunt. & adſcripta dominis, mens quidem ſui iuris.*

Reſpondetur, per hæc verba, ſi intelligatur in ſenſu intento ab Arguentibus, deſtrui virtutem obedientiæ, quæ voluntatem ſubditi ſupponit voluntati Superioris. Deſtrui etiam præceptum Petri Epiſt 1. cap. 2.: *Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis.* Timor enim ad animum pertinet. Et Pauli Epheſ. 8.: *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus.* Et Roman. 13. *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiã pro-*

Digitized by Google

propter conscientiam. Fas autem est, vt arbitror, potiùs auscultare Petro, & Paulo Apostolis, quàm ethnico Senecæ. Qui tamen rectè intelligi potest loquutus de seruitute per vim, a qua liber est animus, quamuis adhibeatur in corpora; vel de seruitute, qua animus trahatur ad probanda iussa, vel facta domini; potest .n. hic ea improbare, quamuis exteriùs ea impleat, vel iis cooperetur.

2. Arguit tertiò Caietanus authoritate Apostoli 1. Corint. 4.: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus*.

Respondetur, non omnia iudicia inhiberi a Apostolo; non enim iudicia tribunalium de causis, siue litibus; nec iudicia prudétum de rebus futuris; sed tantùm iudicia temeraria contra proximum, vt pater ex contextu, & explicat Lyranus. Ex quo non video, quomodo inferatur, non adesse in Superiore potestatem præcipiendi de internis. De actibus internis, qui coniunguntur cum externis iudicari potest ex ipsis externis, & de merè internis non est necesse, vt iudicet Superior illos præcipiens, sed sufficit, vt subdantur conscientię, & iudicio ipsius subditi, & Dei, vt dictum est ad primum.

Arguitur quartò. Si per sacrilegam communionem non satisfit præcepto Ecclesię; ergo qui sacrilegè communicat in Paschate, duplici peccati reus est, contra duplex præceptum Dei, & Ecclesię, quod non videtur asserendum, cùm illa præcepta cadant supra eumdem actum ad eumdem finem.

Respondetur, vnum quidem actum vnum esse peccatum, quia ipse actus peccatum est; grauari tamen eius malitiam ex duplici inobedientia ad duplex præceptum, seu ex contemptu duplicis Superioris, quamuis isti ad eumdem finem præcipiant.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO L.

Contra Propositionem LVI.

Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter viuunt, est nota Prædestinationis.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1 SI Propositio loquatur de frequenti Confessione, & Communione sacrilega, quæ sola in gentiliter viuentibus supponi potest, scandalosissima est, vtpote, quæ non tantùm non retrahat, sed etiam incitet fideles ad illam impietatem: proinde Christiano homine indignissima. Scelus enim grauissimum, idque frequenter repetitum, quod magna nota est Reprobationis, dicit notam Prædestinationis.

Ostenditur igitur eius falsitas, & absurditas. Primò. Quia notę Prædestinationis, vel debent esse effectus eius, vt eam significent, tamquam effectus causam, vel conducere ad finem eius, qui est assequutio glorię, vt eam significent, tamquam causa effectum; significatio enim naturalis non est nisi effectus per causam, & causæ per effectum. Neque dicendum est, signa Prædestinationis esse ad placitum, nisi fortasse Dei, qui tamen, quale sit suum beneplacitum de illa significatione, non reuelauit; ergo significatio naturalis attendenda est, quæ non est alia, nisi causæ, & effectus. Sed peccatum non est effectus Prædestinationis, immo secundùm aliquos, neque permissio eius; non conducit ad assequutionem gloriæ, immo eam impedit; ergo non potest esse nota Prædestinationis. Patet a si-

Digitized by Google

nili: nam notæ Reprobationis, vel sunt effectus eius, nimirum secundùm permissionem Dei, non secundùm causalitatem; vel conferunt ad finem amissionis gloriæ, & damnationis; quare nemo hucusque dixit, nec, vt spero, dicturus est, bona opera esse notam Reprobationis; ergo neque dicendum erat, peccata esse notam Prædestinationis.

Secundò. Peccatum est causa amissionis gloriæ, & damnationis, atque adeo eam infert; ergo est nota reprobationis; ergo non potest esse nota Prædestinationis, nisi idē sit nota oppositorū, idq; ex natura rei; & causa sit signum effectus oppositi ei, quem causat.

Tertiò: Non quodlibet opus bonum, aut quilibet numerus eorum est nota Prædestinationis; requiritur enim saltem frequentia; aliter quilibet eam notam haberet; vt enim ait Augustinus de Spiritu, & littera cap. 27., sine aliquibus operibus bonis difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis traducitur; ergo multò minùs peccatum, idque grauissimum, & frequens potest esse nota Prædestinationis.

2. Quartò. Peccatum sacrilegæ Confessionis, & Communionis, idque frequens, ostendit animum maximè in malo obfirmatum, a Deo penitus auersum, ipsique quodammodo irreconciliabilem; ergo ineptissimum præ cæteris peccatis est ad significandam Prædestinationem. Antecedens probatur. Quia in illis actibus maiora, & fortiora motiua sunt relinquendi peccatum, Deoque adhærendi: in Confessione quidem, quia ad hoc ipsum instituta est, per eamque maximam illam gratiam recipimus remissionis peccati: in Communione verò, quia ibi excellentissima Christi Domini erga nos charitate fruimur, cùm tamquam cibus ad nos alendos nostra viscera ingreditur; qui ergo tam magnis Dei in se beneficiis abutitur, neque iis mouetur ad resipiscendum, immo, & in eorum vsu non veretur Deum grauissimè, & frequenter offendere, longè abest a signo conuersionis suæ, & saluationis animæ. Simile alicubi ait Plutarchus, quòd, scilicet, si in cæteris locis vir, & vxor rixentur, possunt facilè in mensa, vbi simul reficiuntur, vel in lecto ad pacem reduci; si autem, & ibi discordent; præclusus videtur eis omnis reconciliationis aditus.

Fortè dicetur, quòd plurium Theologorum sit sententia, permissionem peccati posse esse effectum Prædestinationis; ergo etiam Confessio, & Communio sacrilega potest esse nota Prædestinationis, tamquam effectus permissionis illius.

Sed in primis, quamuis plurium Theologorum, & nostra etiam

sit

Digitized by Google

ſit illa ſententia, nullus tamen hucuſque dixit, quòd peccatum ſit effectus Prædeſtinationis; ergo, etiam ſi permiſſio ſacrilegæ Confeſſionis, & Communionis poſſit eſſe effectus Prædeſtinationis, non ſequitur idem de Confeſſione, & Communione: permiſſio enim peccati non repugnat fini Prędeſtinationis, qui eſt gloria: peccatum verò repugnat.

Secundò. Licèt permiſſio peccati poſſit eſſe effectus Prædeſtinationis, quatenùs Deo largiente gratiam poſt lapſum, & eruente bonũ ex malo poteſt peccator acriùs incitari ad ſtudia virtutum, & reddi humilior, & cautior, non tamen poteſt eſſe nota illius; nam de ſe non ſignificat voluntatem Dei de danda gloria, ſed derelictionem peccatoris, vt inferatur in tentationem, quod potiùs eſt nota Reprobationis; non enim quidquid eſt effectus Prædeſtinationis eſt etiam nota illius.

Dato etiam, quòd illa permiſſio poſſit eſſe nota Prędeſtinationis, id ad ſummum verificari poſſet, quando eſſet admodum rara, & ſi ſtatim in peccante cõſurgeret acrius ſtudium virtutis; ſed Propoſitio dicit frequentem Confeſſionem, & Communionem ſacrilegam eſſe notam Prædeſtinationis; ergo prorſus abſurdiſſima eſt.

3. Si verò Propoſitio loquatur non de ſacrilega, ſed de legitima, puraque Confeſſione, & Communione; ea verò, neſcio, an poſſit eſſe frequens in gentiliter viuentibus. Quomodo enim taliter viuens, ideſt, in continuo voluntabro peccati, & tamquam Deũ non agnoſcens, vel timens, poteſt verè, & frequenter ſua deteſtari peccata ſuper omnia, firmumque propoſitum concipere ab iis in poſterum abſtinendi, id quod requiritur ad legitimam Confeſſionẽ?

Sed demus, id eſſe poſſibile; Diuus enim Amphilochius ſub finem Orationis de Pœnitentia narrat, fratrem quemdam eius mutabilitatis fuiſſe, vt per decem annos ſingulis diebus, & in libidinem prolaberetur, & facti verè pęniteret. Quod in cauſa fuit, vt Diabolus Chriſtum iniqui iudicii accuſaret, qui ſe propter vnum ſuperbiæ peccatum ad inferna detruſiſſet, fratrem autem illum quotidie mentientem, quotidie labentem, adhuc ſuſtineret. Quæ accuſatio a Chriſto eo reſponſo repulſa fuit, quòd, in quo inueniat, in eo & iudicet. Quæ audiens frater ille præ multo peccatorum ſuorum dolore expirauit.

Quamuis autem ab vno rariſſimo, & fortè ſingulari caſu non æquum ſit iudicare de iis, quæ frequenter, vel vt plurimùm accidũt, tamen demus ex ſuperabundanti, poſſe in gentiliter viuentibus reperiri frequentes Confeſſiones, & Communiones legitimas, & puras;

Digitized by Google

ras; non ideo tamen illæ poterunt esse notæ Prædestinationis, nam ad summũ substinent spem salutis. Etenim cum illa frequenti Confessione, & Communione frequentiora adsunt paccata, & habitus peccandi, dum traducitur vita gentilis; adest etiam frequens abusus gratiæ, & misericordiæ Dei largientis auxilia ad resurgendum a peccato; quare magis verendum est, ne Deus toties illusus contineat in ira sua misericordias suas, & peccatorem tamdem derelinquat. Certè Confessio, & Communio frequens cum vita Christiana nota est Prædestinationis; ergo eædem cum vita gentili non possunt esse talis nota; nam opposita non possunt significare idem, immo significant opposita; ergo illę potiùs sunt nota Reprobationis.

Multùm verò appendendum est, quod ait Apostolus Hebræorum 6.: *Terra enim, sæpè venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas, ac tribulos reproba est, ac maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Ergo contra doctrinam Apostoli dicitur, eos, qui in frequentibus Confessionibus, ac Communionibus adhuc gentiliter viuunt, idest, ducunt vitam in peccatis, notam gestare Prædestinationis suæ; cùm ipsi sint terra, quæ accipiens imbrem, profert spinas, & tribulos. Atque hęc contra Propositionem dixisse sufficiat; adeo enim absurda est, vt potiùs silentio aspernanda, quàm disputatione cohibenda videatur, vt in simili ait Augustinus de Dono perseuerantię cap. 10.



Digitized by Google

DISPVTATIO LI.

Contra Propoſit. LVII.

Probabile eſt, ſufficere Attritionem naturalem, modò honeſtam.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PER hanc Propoſitionem non explicatur, ad quid probabiliter ſufficiat attritio naturalis honeſta. Tamen, quia Propoſitio immediatè precedens loquitur de Confeſſione Sacramentali; de qualitate autem Attritionis requiſitę ad valorem eius confeſſionis eſt diſputatio inter recentes Theologos, ſiue Caluiſtas, intelligenda eſt de ſufficientia ad Confeſſionem Sacramentalem, vt, ſcilicet, ei ritè, & validè poſſit tribui abſolutio. Itaque primò explicandum eſt, quid ſit Attritio naturalis.

Quamuis autem plures ex recentibus Theologis diſtinguant actus naturales a ſupernaturalibus ex parte principii, et entitanis tantùmmodò, nulla poſita diuerſitate ex parte obiecti formalis eorum, nec gradus, aut intenſionis actus, tamen, & ſi hęc doctrina vera eſſet, quam Nos ſimpliciter falſam reputamus, idque oſtendimus Propoſitione 23., hoc modo diſtinguere Attritionem naturalem, a ſupernaturali in præſenti inutile eſſet: nam illa diſtinctio ex illo capite difficillimè dignoſci poteſt; debet autem cognoſci, an Attritio ſit naturalis, an ſupernaturalis, vt cognoſcatur, an ſufficiat, nec ne ad Confeſſionem Sacramentalem, & an Confeſſio ſit iteranda; ergo inutile eſt hic ex parte entitatis eas Attritiones diſtinguere: cùm non iuuet ad dirigendam conſcientiam

Digitized by Google

riam pœnitentis, sollicitudinemque amouendam: quo fine hęc Disputatio instituta est. Tridentinum autem sessione 14. cap. 4. ex parte obiecti distinguit Attritionem a Contritione, dum docet, Contritionem imperfectam, quæ dicitur Attritio, nasci, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, & pœnarum: ex quo sequitur, Contritionem perfectam oriri ex consideratione bonitatis diuinę offensę, nam aliud motiuum non supereſt: ergo distinguit Contritionem, & Attritionem ex parte obiecti; et ita communiter Doctores; ergo etiam attritio naturalis, & supernaturalis distinguendæ sunt ex parte obiecti.

Cęterùm, cùm de pluribus actibus controuertatur, an possint fieri viribus naturæ, an requirant supernaturale auxilium, vt patet in materia de Gratia, etiã hac ratione in re præsenti de Attritione naturali potest cõtingere error, vt, scilicet, putetur naturalis, quę re vera est supernaturalis.

Ad omnem igitur caliginem tollendam enumerandę sunt species Attritionis, vt videatur, quę nam sit naturalis, quę nam supernaturalis, deinde: An vlla naturalis sufficiat iuxta sensum Propositionis damnatę.

Quatuor autem distingui solent species Attritionis contradistinctę a Contritione, easque ita separat Toletus Instructionis lib. 3. cap. 4. Prima: vt sit detestatio omnium peccatorum super omnia, cum proposito ea vitandi in futurum, sed non propter Dei offensam, sed quia, vel fędant animam, vèl subdunt Diabolo, vel ex eis euenit, vel eueniet malum, siue temporale, siue ęternum. Hanc speciem Attritionis descripsit Tridentinum vbi supra.

Secunda: vt sit detestatio omnium peccatorum, quatenus offensa Dei sunt, sed non super omnia, ita vt attritus non mallet quodcumque sui malum subiisse, aut subire potiùs, quàm peccasse, aut peccare in futurum.

Tertia: vt sit detestatio peccatorum super omnia prout offensa Dei sunt, sed non cum proposito, aut eo non firmo vitandi peccata in futurum.

Quarta: vt sit dolor de carentia Contritionis, & desiderium eius; Contritionis, inquam, veræ, & perfectæ, ideſt, de peccatis super omnia propter Deum summè dilectum, & cum firmo proposito ea vitandi in futurum, non verò sit formaliter dolor de ipsis peccatis.

Plures fortasse species distingui possunt; quilibet enim do-

Digitized by Google

dolor de peccatis deficiens a vera Contritione dicitur Attritio: qui dolor variis modis poteſt ab ea deficere iuxta libertatem voluntatis, & modum cognitionis. Sed iſtæ quatuor communiùs aſſignantur, immo quidam enumerant tantùm tres.

De omnibus iſtis videndum eſt, an naturales ſint, an ſupernaturales; &, an omnes, vel aliqua ſufficiat ad valorem Confeſſionis Sacramentalis; & placet incipere ab vltima.

3. De qua primò diſputandum eſt, an ſit poſſibilis, ſcilicet, An poſſit dari ſimplex dolor de carentia contritionis, qui non ſit ipſa contritio, vel eam coniunctam non habeat, maximè ſi includit deſiderium eius, vt de ea dicitur. Auguſtinus enim Concione in Pſalm. 118. ſuper illa verba: *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas*, diſputat: An poſſit dari concupiſcentia deſiderii iuſtificationis, quæ non ſit ipſum deſiderium iuſtificationis, vel ipſum coniunctum non habeat: *Quomodo enim*, inquit, *haberi eius* (deſiderii) *concupiſcentia ſine ipſo* (deſiderio) *poteſt, cùm ſit ipſum deſiderium quid aliud, quàm concupiſcentia? Quomodo in vno, eodemque animo habco concupiſcentiam deſiderij huius, & ipſum non habeo deſiderium? Aut, quomodo iſta duo ſunt, & non vnum? Vt quid enim concupiſco deſiderare iuſtificationes tuas, & non ipſas iuſtificationes potiùs, quàm earum deſiderium concupiſco? Aut quo pacto poßum iuſtificationum deſiderium concupiſcere, & ipſas iuſtificationes non concupiſcere, cùm ideo earum deſiderium concupiſcam, quia ipſas habere concupiſco? Quod ſi ita eſt, iam ipſas vtique concupiſco. Quid igitur opus eſt, vt earum deſiderium concupiſcam, cùm iam id habeam, & habere me ſentiam? Non enim poſſum concupiſcere deſiderium iuſtitiæ, niſi concupiſcendo iuſtitiam.* Hæc Auguſtinus. Cuius dicta videntur aptari poſſe dolori de carentia contritionis, & contritioni ipſi. Non enim dolere poſſum de carentia contritionis, niſi ex deſiderio ipſius: quia timor, & dolor, omneſq; animi affectus oriuntur ex amore, amor autem rei non habitæ deſiderium habendi eſt; ergo cùm doleo de carentia contritionis, contritionem deſidero: ſi autem deſidero, iam habeo, quia contritio in affectu animi eſt; ergo non poteſt dari ſimplex dolor de carentia contritionis, quia ſemper eſt coniunctus cum deſiderio contritionis, & hoc deſiderium cum contritione ipſa.

Rurſus. Cur deſidero dolorem de peccatis, niſi quia ipſa peccata abominor, & deteſtor? Si autem deteſtor, de ipſis doleo. Si au-

Digitized by Google

autem doleo, non desidero dolorem, sed habeo. Nihilominus fatendum est, posse dari vtrumque. Sicut enim ex infirmitate animi est, vt non perseueret in sua voluntate, etiamsi perseuerare decreuerit, vt patet in Petro, qui Christo dixit: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, & tamen eum postea negauit, quod obseruat Augustinus de Gratia, & liber. arbitr. cap. 18.; ita & vt non habeat integras, & validas suas voluntates, etiam si habere desideret. Patet hoc in continere volentibus, nec tamen valentibus; & in omnibus, in quibus rogatur Deus, vt nostram adiuuet, & roboret voluntatem; vnde est illud: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam* Marci 9. 24. Prævalente enim, vel pugnante cupiditate, vel timore, vel consuetudine fit, vt voluntas plenè non velit, & ad solum desiderium, non ad integram perfectamque voluntatem perueniat. Ostendit hoc eleganter Augustinus 8. Confess. cap. 8., & 9. *Imperat*, inquit, *animus corpori, & paretur statim, imperat animus sibi, & resistitur. Et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, vt velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum, & quare istud?* Et respondet, quòd tunc *animus non ex toto vult, nec plenè imperat; si enim plena voluntas esset, nec imperaret, vt esset, quia iam esset; sed ægrotus animus non totus assurgit, veritate subleuatus, consuetudine prægrauatus: Non fortiter*, inquit, *& integrè vult, sed semisauciam huc atque illuc versat, & iactat voluntatem, partim assurgentem, cum alia parte cadente luctantem.* Et fine infirmitate animi, aut pugna affectus contrarii, potest hoc cõtingere ex sola libertate: quandoque enim dicimus: desiderarem hoc, vel illud; quo non desiderii rei immediatè, sed potiùs desiderium desiderii illius insinuatur; & hoc ex libertate voluntatis, non immediatè desiderantis rem, sed veluti remotè; aliter non diceret, desiderarem, sed desiro. Et ex hac ratione infirmitatis Augustinus in locum cit. Psal. 118. explicat, quomodo possit adesse concupiscentia desiderii iustificationis, quæ non sit ipsum desiderium iustificationis: vndè *Quis est*, inquit, *iste mirabilis, & inexplicabilis languor?* Et probat illud esse possibile, quia diligenda est ipsa dilectio, qua diligitur, quod oportet; ergo datur dilectio dilectionis, & vtique distincta à dilectione, quę diligitur. Ergo potest dari concupiscentia desiderii, scilicet, alterius concupiscentiæ. Et subdit: *Quid sunt iustificationes, nisi opera iusta non verba? Ac per hoc possunt infirmitate animi non desiderari, & ratione mentis vti. Videtur quippe, quàm sint vtiles, ac salubres, & ideo potest earum desiderium*

concu-

Digitized by Google

concupiſci: ſæpe enim quid agendum ſi, videmus, nec facimus, quia non delectat, vt agamus, & concupimus, vt delectet. Præuolat intellectus, & tardè ſequitur, immo aliquando non ſequitur humanus, atque infirmus affectus. Ideo ergo deſiderare concupiſcebat, quia bona eſſe cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem. Hucuſque Auguſtinus.

Eodem pacto poteſt dari dolor de carentia contritionis, qui non ſit ipſe dolor, qui eſt contritio, nec ipſum adiunctum habeat; quia, ſcilicet, non tanta eſt plenitudo doloris, ſeu voluntatis, vt conteratur de peccatis, ſed tantùm peruenit ad dolorem, quòd de eis non conteratur, & ad deſiderium conterendi, qui defectus ex infirmitate animi, vel etiam ex libertate deſcendere poteſt. Cùm autem dicitur: ideo deſidero dolere de peccatis, quia ea deteſtor.

Reſpondetur, id non eſſe neceſſarium: ſufficit enim ea cognoſci, vt mala, & deſtanda, vt inde oriatur deſiderium deteſtandi; quamuis id cognoſcens, & deſiderans nondum ea deteſtetur.

5. Suppoſito igitur, quòd detur dolor de carentia contritionis, videndum eſt, an ſit naturalis, an ſupernaturalis. Et ſi ſermo ſit de contritione propriè dicta, ideſt, charitate formata, quæ eſt dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum, dicendum eſt omnino, illum dolorem eſſe ſupernaturalem.

Nam talis dolor ſupponit deſiderium charitatis, a qua deſcendit illa contritio, immo ex illius deſiderio ipſemet procedit: deſiderium autem charitatis ſupernaturale eſt, nec concipi poteſt viribus naturæ; quod oſtenditur.

Primò. Quia illud deſiderium eſt iuſtum, & ſanctum, vtpotè deſiderium iuſtitiæ, & ſanctitatis; deſideria autem ſancta ſunt a Deo, non ex viribus arbitrii; dicit enim Eccleſia: *Deus, a quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera*; ergo & dolor, qui illa ſupponit, & ex eis deſcendit.

Secundò. Quia dolor de peccatis conceptus ex metu gehennæ, atque adeo deſcendens de amore proprio eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti, ſi excludat voluntatem peccandi, habeatque ſpem veniæ, vt definit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4.; ergo a fortiori dolor deſcendens ex deſiderio charitatis; magis enim ad charitatem accedit dolor iſte, quàm ille; ergo, ſi ex eo pœnitens viã ſibi parat ad iuſtitiam, vt ſubdit Tridentinum, multò magis ex iſto; nam deſiderium charitatis eſt quædam præhabitio, vel præpa-

Digitized by Google

statio eius; sed non possumus ex nobis parare nobis viam ad iustitiam, immo id ex dono Dei est; ergo, &c.

Tertiò. Quia victoria amoris proprii maxima, at difficillima est, adeo vt numquam plena in hac vita contingat, vt ait Augustinus de Natura, & Gratia cap. 31.; proinde omnino supernaturalis: sicut enim motus naturalis numquam transcendit locum suę sphęrę: ex. gr. grauis locum terrę, ita nec motus voluntatis descendens ex vi naturali eius transcendit sui naturam, proindeque omnia vult, & refert ad se ipsam; ergo non naturæ, sed Dei eam eleuantis est vincere amorem proprium, & amare Deum supra se ipsú. Sed desiderium charitatis est quædam eleuatio animi supra se ipsum, cùm sit conatus, & inceptio ad exuendum amorem propriú, qui conatus perficitur per diffusionem charitatis per Spiritum Sanctum; ergo non est a nobis, sed a Deo; aliter nos inciperemus, & Deus perficeret, quod est contra Apostolum Philippens. 2. 13., & vt impium damnatur ab Augustino de Prædestinatione Sanctorum cap 2; ergo etiam dolor proeedens ex illo desiderio non est a nobis, sed a Deo.

6. Quartò. Affectus ad fidem non est a nobis, sed ex Deo, vt definit Arausicanum cap. 5.: *Si quis*, inquit, *sicut augumentum, ita & initium fidei, ipsumq; credulitatis affectum, non per gratiæ donum, sed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, Apostolo dicente*: Confidimus, quia qui cępit in vobis opus bonum, ipse perficiet vsque in diem Domini nostri Iesu Christi. Ergo multò magis desiderium habendæ charitatis, quæ prestantior est fide, 1. Corint. 13.

Quintò. Hoc desiderium videtur esse meritorium: si enim meritorium est incipere credere in Deum, vt ait Augustinus Epistola 105., & de Prædestinatione Sanctorum cap. 2., etiam desiderium amandi ipsum; immo hoc magis, quia magis obligat amor, quàm credulitas; desiderium autem amandi initialis amor est: sed nullum meritum apud Deum viribus nostris comparare possumus, immo hoc asserere Pelagianum est; ergo illud desiderium non a nobis, sed a Deo est, atque adeo etiam dolor de illo descendens.

Sextò. Inclinatio ad motum sequentem aliquam formam est participatio eiusdem, aut dispositio ad eam; sed desiderium charitatis est inclinatio voluntatis ad actum, siue motum charitatis, immo magis, quàm inclinatio, nam hæc saluatur etiam in puro affectu, & complacentia; desiderium autem maius

Digitized by Google

ius quid eſt, quàm purus affectus; ergo eſt participatio charitatis, aut diſpoſitio ad illam; ergo illud deſiderium non naturale eſt, ſed ſupernaturale. Minor ſubſumpta probatur. Quia diſpoſitio ad formam ab eodem agente inducitur, a quo forma, & nihil naturale eſt participatio, aut diſpoſitio rei ſupernaturalis; ſed charitas inducitur a Deo, iuxta illud Apoſtoli: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, Rom. 5., neque ex nobis poſſumus diſponi ad ſupernaturalia; ergo, &c.

Igitur, etiam ſi talis Attritio, quæ eſt dolor de carentia contritionis charitate formatæ, ſufficeret ad valorem Confeſſionis Sacramentalis, non ſequitur, quòd Attritio naturalis ad illam ſufficiat; nam hęc, vt oſtendimus, non naturalis, ſed ſupernaturalis eſt.

7. Sed nec ipſa ſufficit; requiritur enim dolor cadens directè, & immediatè ſupra ipſa peccata: de iis enim debet directè, & immediatè dolere pœnitens, de quibus in confeſſione ſe accuſat, & veniam petit; debet enim, ſe cum dolore accuſare, & veniam petere; at per Confeſſionem pœnitens directè, & immediatè accuſat ſe de peccatis, eaque per abſolutionem ſibi dimitti poſcit; ergo de iis immediatè, & directè debet dolere. Hinc Dauid: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci:* Et Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; ideſt, omnia peccata, quæ per ſingulos annos commiſi, vnde ſubdit: *Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea.* Et in Confeſſione publica cum dolore vtique dicitur: *Confiteor Deo Omnipotenti, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, &c.* Hinc etiam attritio, ſicut contritio definitur dolor, ſeu deteſtatio de peccatis. At dolor de carentia contritionis non cadit ſupra peccata, niſi remotè, & indirectè quatenus, ſcilicet, contritio, de cuius carentia dolemus, eſſet de peccatis; immediatè verò, & directè cadit ſupra ipſam carentiam; ergo non ſufficit ad valorem Confeſſionis.

Refertur quidem de quodam Sacerdote, quòd mulieri dicenti, ſe non poſſe concipere dolorem de fornicatione, ex qua Petrum Lombardum, Gratianum, Petrumque Comeſtorem egregios, & Eccleſiæ Dei utiles Scriptores ſuſceperat, conſuluerit, vt ſaltem dolorem conciperet de carentia doloris: hancque hiſtoriam habet S. Antoninus 3. par. Summæ Hiſtorialis titul. 18. cap. 6.; eamque ſupponunt Tiraquellus lib. de Nobilitate cap. 15. num. 32.

Digitized by Google

Ioannes Canisius tract. de Beneficiis part. 3. c. 2., & Author vitæ Gratiani.

Sed, etiam si vera esset hæc historia, quam fabulosam iudicant idem Antoninus, Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Gratiano, Baronius ad annum Domini 1164. Huguitius antiquus Decretorum Interpres, & Raynaudus in Hopothecla sect. 2. serie 3. cap. 1., non potest ab imperitia defendi Sacerdos, illius consilii author. Videri potest Suarez tom. 4. in tertiam partem distinct. 20. sect. 1. num. 2.

Ex his a fortiori sequitur, quòd dolor de carentia contritionis non formatæ charitate insufficiens sit ad valorem Confessionis.

De secunda specie Attritionis, quæ tertio loco supra a Nobis recensita est, certum est, esse insufficientem. Est enim dolor de peccatis absque proposito, vel eo non firmo eadem vitandi in futurum: quare nec est vera detestatio peccati, nec vera voluntas reconciliationis cum Deo; siquidem non multùm curat de nouo peccato, nouaque Dei offensa. Quare, etiam si possit naturaliter haberi, non sequitur, aliquam Attritionem naturalem sufficere ad valorem Confessionis.


Idem dicendum de alia specie Attritionis, quæ est dolor de peccatis, non tamen super omnia: non enim proportionata est offensæ Dei, quæ est malum super omnia, sicuti bonitas, vel dignitas Dei omnia excedit: & propterea est virtualiter offensa Dei; quia, qui malum Dei non anteponit omni malo, consequenter nec bonum Dei anteponit omni bono, quod vtique iniuriosum Deo est. Ergo, quamuis hæc Attritio possit haberi ex viribus naturæ, non sequitur, aliquam Attritionem naturalem sufficere ad valorem Confessionis.

8. Super est Quarta species Attritionis, quæ supra primo loco posita est, scilicet, detestatio peccatorum super omnia cum proposito firmo ea vitandi in futurum, quamuis non prout offensa Dei sunt, sed prout macula animæ, ratio subiectionis ad Dæmonem, & mali eterni causa. Hanc ipsum Tridentinum sect. 14. ca. 4. declarat, disponere peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, quamuis sine Sacramento ad iustificationem perducere nequeat: ex quo sequitur, quòd sufficiat ad valorem Confessionis. Sed hanc esse supernaturalem declarat ipsum Tridentinum dicens, eam esse donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti: excludit quippe affectum ad peccata, quod ex viribus naturæ

Digitized by Google

ræ fieri non poteſt, vt teſtantur frequentiſſimę orationes Eccleſiæ, & dicta Patrum.

Hic tria aduertenda ſunt. Primum, nec vt probabilem poſſe defendi Propoſitionem, quia damnatur in ſuis terminis, quibus tantùm probabilis aſſeritur. Secundum. Quod ridiculum videri poteſt illud additum *modò honeſtam*; numquid enim dubitari poterat, an ſufficeret Attritio inhoneſta? Sed eius Aſſertores, ne viderentur omnino honeſtatis obliti, illam particulam addiderunt. Tertium. Propoſitionem videri damnatam a Tridentino can. 3. de Iuſtificatione, vbi dicitur, neminem poſſe pęnitere, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione. Non enim conſtat, ibi tantùm ſermonem eſſe de gratia iuſtificationis extra Sacramentum.



Digitized by Google

DISPVTATIO LII.

Contra Propositionem LVIII.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

Ostenditur falsitas Propositionis.

1  Vndamentum sententiæ est, quia consuetudo non grauat malitiam peccati ex ea commissi; ergo non apparet, cur sit aperienda, cùm neq; circumstantiæ grauantes intra eãdem speciem ex plurimorum sententia sint aperiendæ. Quinimmo videtur leuare, quia cõsuetudo grauiter inclinat ad peccatum, & per modum naturæ, vnde difficilè ei resistitur, sed peccata, quò minùs sunt libera minùs sunt grauia, & è contrario, vnde peccatum Adæ fuit grauissimum, quia plena omnino libertate commissum; ergo peccata ex consuetudine commissa minùs sunt grauia, quàm commissa non ex consuetudine; ergo explicare consuetudinem esset, vel eleuare, vel excusare peccatum; hoc autem tantùm abest, vt teneamur facere, vt potiùs teneamur non facere; ergo etiam si Confessarius interroget de consuetudine, eius interrogatio, tamquam de ignorantia, vel curiositate descendens, contemni potest.

Nihilominus Sẽtentia falsa est, meritòq; damnata; quod probatur a priori.

Nam peccator pœnitens est, & reus, & infirmus, reus ex offensa Dei, infirmus ex læsione animæ, siue conscientiæ: sicut & Confessarius est simul Iudex, & Medicus, vnde ab ipso imponi dicuntur pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ ſalutares, pœnitentiæ tamquam a Iudice puniente, ſalutares tamquam a Medico curante. Peccator ergo tamquam reus veniam petens tenetur fateri omnia mala commiſſa contra Deum: inter hæc autem eſt etiam generatio habitus, quo inclinaretur ad eum offendendum, & retraheretur a reconciliatione cum eo: id enim proculdubio contra Deum eſt; ergo tenetur id aperire.

Propter quod è contra Confeſſarius tamquam Iudex difficiliùs debet dare ei veniam, & acriores pœnitentias iniungere. Quod ſolet etiam fieri in foro ſeculari. Hinc Petrus Matth. 18. interrogauit Dominum, quoties dimitteret fratri peccanti; & an ſeptenarium numerum excederet, manifeſtè indicans, multæ in peccata reincidentiæ non facilè veniam tribuendam, vel etiam omnino denegandam; in quo tamen vltimo eius ſenſus a Chriſto fuit improbatus.

Tenetur etiam Confeſſarius, vt Iudex explorare, an dolor peccantis ex conſuetudine ſit verus, an fictus, &, an propoſitum non peccandi in futurum ſit graue, & firmum; cùm enim difficilè expediatur voluntas a conſuetudine, qua ligatur, facilè contingere poteſt, vt dolor, & propoſitum, ſi non ficta, leuia ſint, & inania, quo caſu irrita eſſet abſolutio. Si autem Confeſſarius tenetur explorare, proculdubio pœnitens tenetur fateri: aliter inanis eſſet obligatio, & ſtudium Confeſſarii.

Sed & tenetur pœnitens aperire conſuetudinem tamquam infirmus: quia Medico corporis aperiendus eſt omnis languor corporalis, vt curari poſſit: *Si enim*, verba ſunt Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. *erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat*. Ergo medico animæ aperiendus eſt omnis languor animæ; at habitus peccandi magnus eſt animæ languor; ergo aperiendus eſt Confeſſario.

Sicut autem medici corporum morbis habitualibus, vel in quos prona eſt natura, non ſolùm acriora remedia adhibent, ſed etiam cautelas per rationem vitæ, & victus, ne reſurgant; ita Confeſſarius peccantibus ex conſuetudine debet grauiores pœnas imponere, & cautelas ad impediendam reincidentiam; ad quod etiam pertinet denegatio, vel dilatio abſolutionis, donec experimentum habeatur de reſipiſcentia, vel continentia peccatoris, quod licitè, & rectè, immo ex debito fieri declaratum eſt per damnationem Propoſitionis 60., quæ oppoſitum aſſerebat.

2. Hic dicetur: Non grauatur ſingulum quodque peccatum, etiam dum plura committuntur, eo quia ex eis generetur habitus peccandi: cùm hoc enim ex natura rei ſit, pertinet ad propriam, & ab-

Digitized by Google

& absolutam malitiam singuli cuiusque peccati, sicut inclinatio deorsum, quæ datur a forma grauitatis, non auget vim, & naturam generationis grauis: & dato, quòd grauet, non videtur specialiter aperiendum in confessione; tum quia, cùm id sit ex ipsa natura actus, eo explicato consequenter explicatur illa eius vis, tum quia aliter in explicatione quorumcumque peccatorum quantumlibet specie, & genere diuersorum explicanda etiam esset eorum vis ad generandum habitum generalem peccandi: sicut enim ex frequentatione peccatorum eiusdem speciei, puta, fornicationis, vel mendacij generatur habitus fornicandi, & mentiendi, ita ex frequentia generali peccatorum generatur habitus, seu facilitas generalis peccandi, quidquid ea sit, magis.n.facilitatur homo ad peccandum, & infringuntur obstacula pudoris, timoris, religionis, vel alia ad non peccandum, iuxta illud Prouerb. 18.: *Impius, cùm in profundum malorum venerit, contemnit*; si ergo explicanda esset consuetudo peccati alicuius speciei, esset explicanda quoque consuetudo generalis peccandi; id quod a nullo adhuc videtur assertũ. Ergo duæ illæ rationes assignatæ reatis, & infirmitatis in peccante ex consuetudine nullæ sunt; tum quia, vt dictum est, non grauatur singulum peccatum per hoc, quod aptum sit generare habitum, & per consequens nullus specialis reatus ex hoc contrahitur; tum quia militarent etiam in quocumque genere peccati, seu in quacũque multiplicatione peccatorum, quod non dicitur.

Respondetur primò, grauari, dum aduertitur, sicuti debet aduerti, ad vim actuum, qui possunt generare habitum, ideoque frequentiam peccatorum eiusdem speciei, etiam propterea vitandam, ne generetur habitus; quod nullus fidelis, aut pius negabit: si enim vitanda sunt peccata, etiam inclinatio ad illa, ne saltem ex nostro opere oriatur. De inclinatione enim naturali ad peccata propter vim sensus repugnantis rationi omnes dolemus, & gemimus; ipsique gentium Philosophi hoc malum esse agnouerunt, vnde & naturam accusarunt; quia, scilicet, ignorantes peccatũ originale, putarũt illud malũ ad primordia pertinere institutæ naturæ, nõ ad supplicia damnatæ. Concupiscentiam, quæ scatebra est peccatorum, omnes pii doloribus; mortificationibus, ac afflictionibus carnis cõnãtur excindere. Quantò ergo cauendum est, ne ex libero nostræ voluntatis operæ per frequentiã peccandi generetur in nobis inclinatio ad peccatum? Tunc enim simile malum nobis inferremus, quale vniuerso generi humano suo peccato intulit Adam. Ergo malum fit, dum non tantùm non impeditur, sed & fit id, ex quo generetur

in no-

Digitized by Google

in nobis inclinatio ad peccandum; malum, inquam, ſupra illud, quod continetur in ipſo opere peccati ſecundùm ſe; quod cognouit etiam Plato grauiſſimè reprehendens adoleſcentem, eo quia luſiſſet; & excuſanti illi paruitatem peccati, ingeſſit: *At non parum eſt aſſueſcere*, vt narrat Plutar. in Apophtegm. Platonis. Ergo Plato conſiderauit in eo opere non eius malitiam ſecundùm ſe, ſed vim ad generandum habitum prauum. Hinc etiam peccata venialia ex conſuetudine poſſunt reddi mortalia, quia, ſcilicet, a conſuetudine difficilè abſtrahitur homo, vnde poteſt contingere, vt eam ſeruet, vel ſeruare velit, etiam ſi lethalis eſſet, aut eſſet cauſa lethalis, vt dicit D. Thom. 1 2. qu. 88. ar. 2. & 3. Nullus autem dicet, non eſſe magis vitanda venialia, eo quia poſſunt ducere ad lethale, quàm propter propriam ſuam malitiam; ergo neque debet dici, nō eſſe vitandam frequentiam peccatorū, cùm ex eis generetur habitus peccati.

3 Rurſus. Tenemur euitare id, quod nobis poteſt eſſe occaſio proxima peccandi, etiam ſi ſecundùm ſe malum non ſit; ſed habitus peccandi eſt occaſio proxima peccandi; ergo tenemur illū euitare; ergo tenemur euitare frequentiam actuum, quibus gignitur, etiā ſi per impoſſibile illi mali non eſſent. Maior eſt certa, & de ea dicetur infra Propoſit. 61. 62., & 63. quibus dicitur, licitum aliquando verſari in ea occaſione, & eam quærere. Minor verò etiam eſt certa; immo nulla proximior occaſio peccandi, quàm habitus contractus; eſt enim cauſa intrinſeca, inclinans per modum naturæ, & faciens, vt eum habens operetur ad finem eius, ſicut natura operatur ad finem ſuæ inclinationis per formam, atque adeo cum non modica delectatione, vt dicit D. Thomas 1 2. qu. 88. art. 3. Et propterea, vt communiter dicitur, eum habens tenetur, quotieſcumque eius memoria ſibi occurrit, conari ad deſtruendum illum per actus ei oppoſitos, ſicut tenetur euitare occaſionem proximam peccandi; ergo multò magis tenetur ad abſtinendum ab actibus, quibus ille generatnr. Quæ ratio directè probat, fieri ſpecialis culpæ reum, qui frequentat peccata, quia generat in ſe inclinationem ad peccatum, quam tenetur tollere, etiam poſtquam genita eſt.

Cùm autem dicitur, quòd tunc etiam ſingula, & omnia peccata, quamuis ſpecie, & genere diuerſa grauarentur, eo quia ex ipſis gignitur habitus generalis peccandi, admittititur, dummodo plura ſint commiſſa, quia habitus ex pluribus actibus generatur; vnus autem, vel alter ſunt principium remotum eius, & facilè eorum vis deperditur, vel per obliuionem, vel ex actu oppoſito. Qua-

Digitized by Google

re admittimus, id aperiendum in Confessione; sed tñ dicimus, aperiri sufficienter ex ipsa multitudine peccatorum in vna confessione narrata; ex ea enim dignoscitur, pœnitentem contraxisse habitum peccandi, eiusque contractionis reum esse; sicut ex multitudine fornicationum dignoscitur, aliquem contraxisse habitum fornicandi; propter quod accusanti se de multis illis in vna Confessione non est necesse, se accusare quoque de habitu fornicandi contracto. Sed si quis vnum, vel alterum peccatum, in quod ex consuetudine fertur, in vna confessione aperiat, debet explicare, se in illa ex consuetudine ferri, quia aliter consuetudo non intelligitur.

Cùm postea subditur, neminem id hucusque dixisse: Ego quidem nescio: non enim vacauit omnes euoluere Scriptores, nec id facilè est in tanta eorum multitudine; tamen, siue id dictum, siue non dictum fuerit, rationes allatæ id mihi videntur certò probare.

Respondetur secundò, etiamsi non grauentur singula peccata, ex eo quia generent habitum peccandi, adhuc habitum, siue consuetudinem aperiendam esse, vt discerni possit veritas, vel fictio doloris pœnitentis, propositumque non peccandi de futuro; & vt cõgruę pœnę, & cautelæ, siue remedia adhibeantur.

4. Adhuc dicetur. Pronitas generalis ad peccata sensus inhęrēs nobis ex corruptione naturæ, itemque pronitas particularis particularium hominum ad specialia peccata ex temperamento corporis, vt calidorum ad iram, venerem, & vinum non est aperienda in Confessione; ergo neque pronitas habitualis causata ex frequentatione actuum. Antecedens est certum. Consequentia probatur; quia nulla videtur assignabilis disparitas.

Respondetur, claram esse disparitatem: prima enim illa pronitas non est ex particulari culpa cuiusque in se ipso existentis, quæ culpæ tantùm aperiendæ sunt in confessione, sed ex illa communi omnium in Adam; de qua tamen singulos reprehendi posse, & a singulis dolorem concipiendum docet Augustinus de Corr. & Gra. c.6. Est insuper ea notissima; nec particularia remedia, siue cautelas pro particularibus hominibus exigit. Similiter secunda pronitas nõ est culpabilis illam habenti. Debet tamen, qui eam patitur, satagere ad illam comprimendam, & occasiones eius excitandæ auertere. At habitus ex nostra culpa contrahitur, & contra peculiares habitus prauos peculiaria sunt adhibenda præsidia.

Ad fundamentum Propositionis initio propositum Respondetur, assumptum esse falsum, vt patere potest ex dictis. Cùm autem dicitur, neque circumstantias grauantes esse necessariò aperiendas,

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur, id Nobis non probari de Circumſtantiis notabiliter grauantibus; ſed quidquid ſit de hoc, quod in controuerſia eſt, atq; adeo non iaciendũ pro fundamento veritatis contra Propoſitionem damnatã, dicimus, frequentiam actuum non eſſe circumſtantiam ſinguli cuiuſque, vt ex terminis patet; non enim circumſtat, aut adiacet ſingulo, immò neq; omnibus; vnde ſententia Paludani, & Maioris inter Circumſtantias enumerantium etiam *Quoties* communiter reiicitur; ſed ex ea grauari actũ propter habitum peccandi, quem producunt, ſicut generaliter quilibet actus grauatur ex effectu conſequente, & etiam omiſſio, quando effectus non eſt permittendus: ideoque illam frequentiam eſſe aperiendam in Confeſſione, ſicut generaliter in omnium ſententia aperiendus eſt effectus prauus cauſatus a quolibet noſtru actu, vel permiſſus, cùm debitum adeſt impediendi. Quare inaniter affertur doctrina de Circumſtantiis grauantibus aperiendis, vel non aperiendis. Et fortè id intellexerunt memorati Doctores, dum *Quoties* inter Circumſtantias numerarunt, nempe, frequentiam peccatorum grauare peccatum; licèt non propterea adnumerandum fuerit *Quoties* inter Circumſtãtias, rigoroſè de Circumſtantiis loquendo. Et hæc quidem ratio militat de frequentatione actum antecedente habitum, ipſumq; gignente.

Actus verò generati ex ipſo habitu iam contracto aperiendi sũt, quòd ſint facti ex habitu propter rationes ſuperiùs allatas, nempè, vt cognoſcatur veritas doloris, & propoſiti de non peccando in futurum, vtq; congruæ pœnæ, & cautelæ adhibeantur; & quia conſeruant habitum, & augent.

5. Quare falſum eſt, eos eſſe leuiores aliis, qui non generantur ex habitu: Et cùm dicitur, illos minori libertate committi, reſpondetur, id verum eſſe; ſed tamen ex illo capite non alleuiari, quia ea inclinatio, qua minuitur libertas, propria culpa contracta eſt: abſurdũ autem, & irrationabile eſt, vt quis ex propria culpa cõmodum reportet, & melioris fiat conditionis. Etiam neceſſitas contracta ex propria culpa non excuſat actum prauum ſubſequentem, vt ſaltem non deputetur ad culpam in ipſa culpa neceſſitatis contractæ, quando cognitus eſt, vel cognoſci debuit actus prauus ſubſequuturus, vel periculum eius.

Hinc inceſtus a Lot ebrio commiſſus deputatur ei ad culpam in ebrietate admiſſa. Cæterùm actus praui ex habitu commiſſi ſolent eſſe grauioris malitiæ, quia intenſiores; quamuis Circumſtantia intenſionis non ſit neceſſariò in Confeſſione aperienda. Sunt

Digitized by Google

verò certè grauioris, quia conseruant habitum, qui aliàs deperiret, consimili ratione, ac de frequentia actuum diximus, ex quibus ille generatur; immo, & illum augent.

Tenemur enim destruere habitum peccati; ergo mali sunt actus, per quos conseruatur, etiam vltra malitiam, quàm habent ex natura sua, quamque haberent, si non conseruarent habitum nondum generatum.

Hinc Augustinus 6. Conf. c. 15. ex eo etiam capite reprehendit fornicationes suas eo tempore, quo de coniugio cogitabat, quia per eas *perducebatur, vel integer, vel actior morbus animæ suæ satellitio perdurantis consuetudinis in regnum vxorium*.

Ex dictis patet, non solùm teneri pœnitentem ad aperiendam Confessario interroganti consuetudinem peccandi, sed etiam si ille non interroget, modò ea consuetudo ex ipsa multitudine peccatorum, de quibus se accusat, non innotescat.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO LIII.

Contra Propoſitionem LIX.

Licet Sacramentaliter abſoluere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, vel Indulgentiæ.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 SI hæc Propoſitio intendat, ex tali dimidiata Confeſſione abſolutos non teneri poſtmodum ad aperienda peccata in ea omiſſa, eſt damnata a fortiori in Decreto priori Alexandri VII., in quo Propoſitio 11. ſic habet: *Peccata in confeſſione omiſſa, ſiue oblita ob iuſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere*. Si enim peccata etiam ob inſtans periculum vitæ non expreſſa exprimenda ſunt in confeſſione ſequenti, quantò magis omiſſa ob concurſum pœnitentium, aut ob anguſtias temporis, aut incommoditatem, aut laborem?

Si autem intendat, ritè tunc remiſſa illa peccata, validamque abſolutionem, quãuis poſtmodum ſint exprimenda, oſtenditur etiam id eſſe falſum.

Primò. Quia Chriſtus conferens Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata, Ioannis 20. 23. dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Ergo ex ordine collatæ poteſtatis debent Sacerdotes ſcire omnia peccata confitentium, vt diſcernant remittenda a retinendis. Additur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5., *nec æquitatem quidem in iniungendis pœnis ſeruari*

Digitized by Google

uari posse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsi pœnitentes peccata declarent. Constat enim non æqualem pœnam debere pluribus peccatis, ac paucioribus, nec grauioribus, ac leuioribus; vnde est illud: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; nec eamdem medicinã variis & contrariis morbis posse præscribi. Ergo contra ius diuinum est dimidiare confessionem; & sententia ex dimidiata confessione prolata est nulla, vtpotè lata causa incognita.

Secundò. Quia, vt ait idem Tridentinum ibidem: *Qui scienter aliqua peccata retinent, nihil Diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Sed dimidiatè confessi scienter aliqua peccata retinent; ergo nihil eis per Sacerdotem remitti potest.

2. Sed hic obiicitur. Non profertur incognita causa, immo valida, & licita est sententia absolutionis, quæ impenditur moribundo omittenti aliqua peccata ob instans periculum mortis; similiter, quæ datur pœnitenti, qui absque sua culpa per obliuionem aliqua peccata non confitetur; ergo neque ea, quæ impenditur pœnitenti, qui ob angustias temporis propter magnum populi concursũ non omnia peccata fatetur. Probatur Consequentia. Quia, si ad cognitionem causæ, & consequenter ad validitatem absolutionis requiritur confessio omnium peccatorũ absolutè, ea nec in illis casibus adest, atque adeo nec cognitio causæ; si autem ab integritate confessionis aliqua causa excusat, ita vt non proferatur absolutio incognita causa, etiam si non omnia peccata explicata sint, videtur, quòd idem præstare possit angustia temporis. Solùm igitur, cùm occultatur aliquod peccatum ex malitia, puta, timore, erubescentia, appetitu bonę existimationis apud Confessarium, confessio, & absolutio nullæ sunt; non verò, cùm ex causis supradictis.

Respondetur, in Sacramento Pœnitentiæ causam pœnitentis cognosci debere quantùm potest cognosci ex diligenti confessione pœnitentis, & prudentia, atque sagacitate Sacerdotis; vnde Tridẽtinum loc. cit. ait, *oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem memoriam habent, in confessione recenseri.* Et infra: *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri studeant, &c.* Id enim sufficit ad cognitionem causæ modo, & possibilitate humana; nec vltra requiritur, sicuti nec in foro externo, in quo etiam aliquando ex errore profertur sẽtentia, licèt rectè Iudices functi fuerint officio suo. Omissio ergo aliquorum peccatorum ob periculum mortis, quod excusat etiam a susceptione baptismi, cap. *Apostolicam* de Presbytero non baptizato, vel obliuionem inculpabilem pœnitentis non tollit integritatem

Digitized by Google

tem confeſſionis, aut cognitionem cauſæ quantùm humanitùs eſt poſſibilis; & ideo tunc validè, & licitè profertur ſententia abſolutionis, etiam ſi aliqua peccata cognita non ſint. At omiſſio ex feſtinatione illa tollunt, quia non adeſt neceſſitas feſtinandi: aliter etiã valida. & licita eſſet confeſſio non integra peccatorum ex indiligẽtia diſcuſſionis conſcientiæ, quia maior temporis mora requiritur ad diligentiam adhibendam, & pœnitens feſtinat abſolui. Ergo angultia temporis ex populi concurſu, ſicut non excuſat a debito diligentis diſcuſſionis, ita nec a debito integrę confeſſionis. Quid enim, ſi nec adſit tempus, vel locus accedendi ad Sacerdotem, vel tempus adeo breue, vt vnum tantùm peccatum valeat pœnitens aperire, cùm multa habeat? Numquid, aut communicare poterit abſque abſolutione, & percipere indulgentias, aut ex confeſſione vnius peccati abſolui ab omnibus? Nimirum tunc patientia adhibenda eſt. Ea igitur adhibeatur, quandocumque omnia peccata aperiri non poſſunt. Equidem ex Propoſitione id ſequitur, ſeu potiùs id ab ea implicirè dicitur, vt propter anguſtias temporis ſufficiat, vnum ex omnibus aperire peccatum; ſed hoc adeo abſurdum viſum eſt, vt apertè proferre auſa non ſit.

3. Tertiò. Ex doctrina Propoſitionis datur anſa fidelibus, vt tantùm in diebus magni concurſus accedant ad Sacerdotes leuiora peccata aperientes, grauiora retinentes, ad euitandas ſaltem pro tunc pœnas, & pudorem. Maximè verò, ſi dicatur, non ſupereſſe onus aperiendi in alia confeſſione peccata tunc omiſſa.

Tamdem. Grauiſſimum eſt excuſare ab integritate confeſſionis, quæ de iure Diuino eſt, ſine magna ratione, & fundamento; at hoc non adeſt in doctrina Propoſitionis; ergo omnino abiicienda, & contemnenda eſt.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO LIV.

Contra Propoſit. LX.

Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi cõtra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 SI nulla in pœnitente apparet ſpes emendationis, conſequens eſt, vt dolor, quem præfert, appareat fictus, & ſimulatus; ſi enim apparet verus, aliqua emendationis ſpes affulget; ergo Propoſitio id tacitè ſaltem profert, vt neque denegãda, neque differenda ſit abſolutio ei, qui apparet fictè, & ſimulatè dolere de peccatis. Quod magis deducitur, dum ſubdit: *Dummodo ore proferat ſe dolere*. Quid enim hoc eſt niſi, dummodo ore, & non corde, quantùm apparet? Id autem proferre, a Chriſtiano alienum eſt: confeſſio.n. cum dolore ficto non ſolùm nulla, ſed ſacrilega eſt, & ſimiliter abſolutio, maximè cùm Confeſſario ille dolor fictus appareret. Si autem ſupponatur, ex ſignis non certò apparere, an dolor pœnitentis ſit verus, an fictus, ſed vtrumque eſſe dubium, tunc etiã differenda eſt abſolutio; tum ne Confeſſarius exponat ſe periculo conficiendi nulliter Sacramentum; tum, ne decipiat pœnitentem, putantem ſe ritè, & validè abſolutum, qui tamen cum dolore ficto non poteſt abſolui; tum quia in conſuetudine peccandi, de qua eſt ſermo, debet Confeſſarius experimentum ſumere de veritate doloris

ris, & firmitate propoſiti in futurum, quia voluntas conſuetudine ligata ferrea eſt, & aduersùs peccantem pugnacior ex ipſo facta eſt; nec eam ipſe, ſed inimicus tenet, vt loquitur Aug. 8. Conf. cap. 5.; proinde magnum eſt ibi fundamentum dubitandi de illis, ſine quibus nulla eſt abſolutio; in conficiendis autem Sacramentis neque opinione probabili de valore eorum vti licet, vt definitur in hoc eodem Decreto Propoſit. 1. Quare Confeſſarius tunc non differens ſaltim abſolutionem, nec ſaluti pœnitentis conſulit, nec ſuæ.

Sed obiicitur. Confeſſarius non poteſt iudicare de internis; ergo debet ei ſufficere, quòd pœnitens ore proferat dolorem, & emẽdationem: aliter, dum ei non credit, habet ipſum, vt doloſum, & ſimulatorem, quod eſt contemnere ipſum, eique iniuriam facere, vt ait D. Thom. 22. qu. 60. ar. 4.

Reſpondetur, immo Confeſſarium debere iudicare de internis, ſcilicet, de conſcientia pœnitentis, quantùm tamen poteſt per externa, diligentia, & ſagacitate adhibita; eius enim forum eſt internũ. Cùm ergo nulla emendationis ſpes apparet, & dolor videtur fictus, debet denegare, vel ſuſpendere ſententiam. Etiam in humanis negotiis, dum aliquis videtur fictè procedere, & mentiri, etiam ſi ore proferat, ſe fidum, & veracem, non eſt prudentis ei credere, ſed cautiùs exploranda eſt veritas: quantò magis in grauiſſimo negotio animę? Doctrina D. Thom. limitatur illa conditione. *Vbi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius*; & reſtringitur ex illa ratione, ne contemnat, aut offendat proximum. At differre, vel denegare abſolutionem pœnitenti, cùm aliquod argumentum adeſt, ipsũ fictè dolere, non eſt illum contemnere, vel offendere, ſed eius ſaluti conſulere; ergo id rectè, & ex charitate fit.

Digitized by Google

DISPVTATIO LV.

Contra Propoſitionem LXI.

Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

CVM certum ſit, neminem abſolui poſſe, qui propoſitum, eumque firmum non habet vitandi omnia mortalia in futurum, neceſſe eſt, vt Propoſitio dicens, poſſe aliquando abſolui eum, qui verſatur in proxima occaſione peccandi, & non vult eam dimittere, immo directè, & ex propoſito quærit, neceſſe eſt, inquam, vt ſupponat, non eſſe ſemper mortale nolle fugere occaſionem proximam peccandi mortaliter (Non eſt ſermo, niſi de occaſione proxima peccandi mortaliter, cùm diſputatur, an eam non fugienti, vel quærenti poſſit impendi abſolutio Sacramentalis, eam enim tenemur fugere ſub mortali; occaſionem autem proximam peccandi venialiter non tenemur fugere niſi ſub veniali, & venialia non ſunt neceſſariò in confeſſione aperienda) Igitur ad oſtendendam falſitatem Propoſitionis ſufficit oſtendere, quòd ſem-

Digitized by Google

ſemper mortale ſit nolle fugere occaſionem proximam peccandi mortaliter, & a fortiori eam quærere. Id autem oſtenditur.

Quia id eſt mortale ex natura rei: aliter redditum eſſet mortale ex præcepto poſitiuo, hoc autem præceptum non adducitur, nec, vt arbitror, reperitum; ſed rerum naturæ variari non poſſunt; ergo ſemper illud eſt mortale. Ideo autem non fugere occaſionem proximam peccandi mortaliter mortale eſt, quia talis occaſio eſt, ideſt, peccandi mortaliter: ſicut enim peccatum ideo fugiendum eſt, quia peccatum eſt, ita occaſio eius proxima ideo fugienda eſt, quia eius occaſio proxima eſt; impoſſibile enim eſt, vt malum ſit peccatum, & non ſit malum ad ipſum tendere: ſi enim mala eſt mors, mala eſt infirmitas ad eam ducens; ſi mala eſt iactura honoris, dignitatis, opum, malum eſt ad eam iacturam tendere. Hinc non eſt aliud motiuum vitandi pericula malorum, quàm ipſa eorum malitia. Et qui hoc non percipit, non videtur eſſe ſani capitis. Sic non eſt aliud præceptum vitandi occaſionem proximam peccati, quàm vitandi ipſum peccatum; vel ſi eſt aliud, ab illo neceſſariò dimanat. Si enim tenemur fugere peccatum, non poſſumus illud permittere; at nolle fugere occaſionem proximam peccati eſt velle illud permittere; ergo eò ipſo, quo tenemur fugere peccatum, tenemur quoque fugere occaſionem proximam eius. Et quomodo fugimus peccatum, ſi eius proximam occaſionem non fugimus, immo & quærimus? Poteſt quidem aliquando reſpectu alicuius non eſſe occaſio proxima peccati ea, quæ communiter, vel reſpectu aliorum talis eſt, & e contra: etenim id variari poteſt iuxta maiorem, vel minorem pronitatem hominum ad peccata, ſiue ex temperamento carnis, ſiue ex conſuetudine, ſiue ex firmiori, vel infirmiori propoſito continendi; & tunc poterit quis abſque peccato verſari in occaſione peccandi, ſi reſpectu illius non ſit proxima. Hinc, cùm Deus Exodi 34. 16., & Deuteronom. 7. 3. interdixiſſet filiis Iſrael connubia cum gentibus, ne ad idololatriam pertraherentur, permiſit, immo iuſſit illud Oſeæ dicens: *Accipe tibi vxorem fornicationum*, Oſeæ 1., ideſt, gentilem, vt explicant plures Interpretes; quia, vel ex pietate Prophetæ non aderat periculum proximum idololatriæ, vel quia Deus aduersùs illud Prophetam auxiliis ſuæ gratiæ muniuiſſet: ſed quòd, cùm occaſio peccandi proxima eſt, non ſit

Digitized by Google

peccatum nolle illam omittere, id quod intendit Propositio, omnino falsum est. Hinc Ecclesiastici 3. 27. dicitur: *Qui amat periculum in illo peribit*. Peribit, inquam, non per hoc precisè, quia incidet in illud peccatum, cuius periculum amat, ideſt, non fugit: id enim non est absolutè necessarium; sed quia ille ipse amor periculi, peccatum illi est, atque adeo in eo perit. Sed de hac re ampliùs differendi occasionem Nobis præbent sequentes Propositiones.



Digitized by Google

DISPVTATIO LVI.

Contra Propoſit. LXII. & LXIII.

Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, vel honeſta non fugiendi occurrit.

Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

CAPVT I.

Oſtenditur falſitas Propoſitionis.

1 PER primam ex his Propoſitionibus declaratur, quando poſſit abſolui, qui proximam peccandi occaſionem euitare non vult, nimirum, quando occurrit cauſa honeſta, vel vtilis eam non fugiendi, quod in præcedenti Propoſitione non declarabatur; & per ſecundam, quænam ſit ea cauſa honeſta, vel vtilis, nimirum, pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

Sed ly, *Proxima occaſio peccandi fugienda non eſt*, poteſt reddere duplicem ſenſum; primus, quòd non ſit neceſſe eam fugere; ſecundus, quòd nec liceat fugere; quod poſſet accidere in caſu, quo quis tenetur ſub peccato ad procurandum bonum

Digitized by Google

num spirituale, vel temporale sui, vel proximi: tunc enim, si non est peccatum non fugere occasionem proximam peccandi, peccatum est eam fugere: si enim obligamus ad finem, obligamur etiam ad media necessaria pro illo, modò hæc non sint peccata; ergo, si id, quod infert occasionem proximam peccandi, sit medium necessarium ad procurandum prædictum bonum, tenebimur tunc sub peccato illam occasionem amplecti; ergo occasio proxima peccandi non tantùm non erit pro semper fugienda, sed & aliquando sub pœna peccati amplectenda, & quærenda. Adeo per hæc Propositiones inuertuntur, & euertuntur dogmata morum. Verùm ipsa Propositio 63. id asserere ausa non est, sed tantùm dixit: *Licitum est quærere*, cùm tamen oporteret dici: *Necesse est quærere*, si nempe occasio proxima peccandi non semper est fugienda. Itaq; hoc sit vnum ex Argumentis contra eam.

Secundum sit. Quia ex connubiis, & societate Hebræorum cùm gentibus prouenire poterant bona spiritualia, & temporalia ipsis, & gentibus. Spiritualia quidem, quia, vt ait Apostolus 1. Corinth. 7. sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem, & vir infidelis per mulierem fidelem. Hinc Angelus Persarum nolebat, Iudæos erui de captiuitate Babylonis, vt gentes per eos in fide vnius Dei edocerentur, Daniel. 10. Temporalia verò ex commerciis, & fœderibus, quibus redderentur ditiores, & aduersùs hostes validiores. Et tamen, Deo non dispensante, vt dispensasse creditur cum Sampsone, & Osea, non licebat Hebreis inire societatem, & connubia cum gentibus; immo, vt putat Rupertus Abbas lib. de Victor. ver. cap. 26. tres Machabæorum Duces, Iudas, Ionathas, & Simon, ideo miserè extincti sunt, primus in prælio, ceteri hostium insidiis, quia cum Romanis, & Spartiatis pro illis vtique bonis societatem inierant; quia, scilicet, illi populo ad idololatriam prono proxima eius peccati occasio erat societas, vel connubia cum gentibus; ergo non licet pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi non fugere occasionem proximam peccandi.

Tertium. Debitum fugiendi occasionem proximam peccandi saltem ex præcepto Diuino positiuo est, non enim ex humano; multum est autem proferre, quòd, vel pro aliquo bono graui temporali liceat transgredi præcepta Diuina, vel quòd Deus in illo præcepto exceperit casum boni alicuius temporalis acquirendi. Alia Argumenta allata sunt Disputatione præcedenti.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

An liceat admittere occaſionem proximam peccati leuioris pro auertendo peccato grauiori noſtro, vel proximi.

1. ILlud hic video poſſe quæri: An liceat admittere occaſionē proximam peccati leuioris pro euitando peccato grauiori noſtro, vel proximi.

Quod idem eſt, ac quærere: an liceat peccatum leuius pro euitando grauiori; nam, vt dictum eſt, admiſſio occaſionis proximè peccandi, peccatum eſt.

Et ſtatim patet, quòd non; nam repugnat peccatum eſſe licitum, cùm illicitum, & peccatum idem ſint. Præterea: omne peccatum eſt prohibitum, niſi enim prohibeatur, nec erit peccatum; ſed nihil prohibitum eſt licitum; ergo, &c.

Atque id eleganter oſtendit Auguſtinus contra Mendacium cap. 9.: *Tunc enim*, inquit, ideſt, ſi dicatur, licere peccatum noſtrū leuius pro auertendo peccato grauiore proximi, *lato limite, immo nullo limite, ſed conuulſis, & remotis omnibus terminis cuncta peccata intrabunt, atque regnabunt. Quando enim definitum fuerit, peccandum eſſe homini, ne alius peccet ampliùs, profectò, & furtis noſtris ſtupra cauebuntur aliena, & inceſta ſtupris, & ſi qua impietas viſa fuerit etiam peior inceſtis, inceſta quoque facienda dicentur a nobis, ſi eo modo agi potuerit, vt illa impietas non committatur ab alijs. Et in ſingulis quibuſcumque generibus peccatorum, & furta pro furtis, & ſtupra pro ſtupris, & inceſta pro inceſtis, & ſacrilegia pro ſacrilegijs facienda putabuntur, noſtra pro alienis, non ſolùm minora pro maioribus, verùm etiam, ſi ad ipſa ſumma, & peſſima veniatur, pauciora pro pluribus, &c. Quod ſapere*, ſubdit Auguſtinus, *quid eſt aliud, quàm deſipere, vel potiùs inſanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena ſiue in me, ſiue in alijs perpetrata, mihi eſt cauenda damnatio. Anima enim, quæ peccauerit, ipſa mortetur*, Ezechielis 18. *Cùm ergo ad hunc articulum ventum fuerit, vt tali ſaluti conſulere, niſi peccando, non poſſit, iam ſe æſtimet, non habere quid faciat, quando id reliquum*

eſſe

Digitized by Google

esse perspexerit, quod non rectè faciat, concludit Augustinus ibidem cap. 13. Cuius discursus probat, neque ex peccatis contra legem positiuam faciendum a nobis leuius, ne ab alio fiat grauius, nam pariter sequeretur absurdum illatum; immo, quòd solùm grauissimum peccatum, quo, scilicet, non potest fieri grauiùs, esset illicitum, cetera autem, quantumuis grauia, pro illo fine licita.

2. Sed contra hanc doctrinam affertri potest. Quia rectum videtur leuiore offensa auertere grauiorem ab amico; immo hoc debitum oriri ex lege amicitiæ, qua ducimur ad volendam, & querendam, quantùm possumus, indemnitatem amici. Hinc amicus non irasceretur, sed potiùs gratias ageret amico, qui, parua a se illata offensa, magnam ab eo auertisset. Ita Vitellius, & Otho commendantur a Tacito 1. Historia. cap. 11. & 12., quòd egregios viros a furente exercitu ad necem postulatos, simulatione vinculorum, & atrocioris pœnæ infligendæ a præsenti exitio subtraxerit.

Pilatus dicitur ab Augustino in Psalm. 63. non sequisse in Christum, dum eum tradidit flagellandum, quia ad finem eripiendi a morte. Paulus optabat anathema esse a Christo pro fratribus suis, Roman. 9. 1., idest, optabat solus perire, ne perirent omnes Israelitæ, vt explicat Hieronymus ad Hedibiam. qu. 10.

Hinc videtur etiam rectum consulere minora peccata, ne committantur grauiora, immo id videtur dici cap. *Duo mala* dist. 18. Sic Ruben fratribus suis, ne occiderent Ioseph, consuluit, vt in cisternam proiicerent: sic Iudas, vt venderent Ismahelitis, Geneſis 39.: sic Lot, vt auerteret sodomiam, consuluit stuprum, ibidem 19. sic senex ille Iudicum 19. obtulit Gabaonitis filiam suam virginem, & hospitis concubinam, vt ab vxore eiusdem eorum libidinem auerteret. Sic etiam Paulus permittit coniugibus copulam ex libidine, ne ruant in mœchiam, immo, & Christus Dominus.

Hinc illud adagium: *De duobus malis minus est eligendum*. Cõtra quoque rationem adductam ab Augustino videtur posse obiici, quòd illa fundetur in amore proprio, dum dicit, a nostra iniquitate, non ab aliena cauendam nobis esse damnationem; quia, scilicet, magis inclinamur ad declinandum malum nostrum, quàm alienum. Iuxta autem inclinationem charitatis, quæ respicit bonum Dei propter ipsum, magis sunt auertendæ grauiores Dei offensæ, quàm leuiores; ideoq; videtur licitum, & rectum, leuiori Dei offensa impedire grauiorem: & propterea, quòd illa offensa

tunc

Digitized by Google

tunc non ſit iniquitas, immo charitas, & ſic Auguſtini ratio nulla.

3. Reſpondetur, doctrinam traditam eſſe certam, & inconcuſſam; nam, vel putatur, actum minùs malum abſolui a ſua malitia, dum fit pro euitando peiori, vel in ea permanere. Primum non dicitur, & impoſſibile eſt, quando actus ex natura ſua malus eſt, puta, mendacium, furtum, fornicatio. Nec vitatio actus peioris, poteſt aliquid conferre; aliter non ſolùm malitiam tolleret, ſed etiam tribueret actui bonitatem, tamquam procedenti ex charitate ad auertendas grauiores Dei offenſas, adeoq; retribuendum etiam eſſet illi Regnum Cælorum: ſi verò permanet in ſui malitia, iam certum eſt, nullum malum eſſe faciendum.

Ad primum ergo Reſpondetur, homines pati poſſe detrimenta, & damna in perſonis, atq; bonis tum internis, tum externis: rationabiliter autem creditur, malle quemlibet pati damnum leuius, quàm grauius; ideo rectè ex præſumpta voluntate amici, amicus infert illi damnum leue, ſi aliter non poſſit auertere graue. Et hoc motiuo ducti ſunt Vitellius, Otho, aliiqui. Et tamen, ſi amicus voluntatem ſuam de oppoſito declaraſſet, non poſſet amicus ſine læſione amicitiæ ipſum, etiam pro eo fine, vel leuiſſimè lædere. At Deus non poteſt pati damnum à creaturis, omneque peccatum, ſiue ſui offenſam prohibet; ergo non licet, &c.

Pilatus non excuſatur ab Auguſtino de peccato, ſed tantùm de ſeuitia in comparatione Iudæorum, quia, ſcilicet, non ideo eum tradidit flagellandum, vt vltra mortem, quam de eo petebant Iudæi, etiam flagella pateretur, immo, vt a morte eriperet. Abſolutè tamen reus peccati eſt, vt idem dicit Auguſtinus; debebat enim pro officio Iudicis, atq; Præſidis liberare inopem de manu fortiorum, & innocentem de ui iniquitatis, ipſamq; Iudeorum iniquitatem retundere, atq; punire, non paſcere; &, ſi mortem, aut flagellationem auertere nequiſſet, illã permittere, ſeu tolerare, non iubere, ſicut eã permiſerunt Apoſtoli, cæteriq; tunc in Chriſtum credentes, quia vel impedire non poterant, vel Chriſtus nolebat impediri.

Verba Pauli poſſunt referri, vel ad ſtatum, in quo adhuc pro Iudaiſmo zelabat, vel poſt conuerſionem; cùm enim dicat: *Optabam*, incertum eſt, pro quo tempore loquatur. Si referantur ad prius tempus, nil afferunt difficultatis; poterat enim tunc illa eius voluntas, licèt amore, & zelo feruens erga ſuam gentem, eſſe mala. Si verò ad tempus poſt conuenſionem, ly anathema, quod eſt, ſeparatum, non intelligendum eſt de ſeparatione a Chriſto per

Digitized by Google

peccatum; fuisset enim peccaminosa voluntas, & aduersùs Paulum ipsum iniqua: *Qui autem sibi nequam est, cui bonus erit?* Eccles. 14. 5. Sed de separatione per dilationem gloriæ, vt, scilicet, ipse optaret, differri gloriam suam pro suæ gentis salute; sicuti D. Ignatius Loyola malebat, suæ beatitudinis incertum viuere, & interim Deo inseruire, & proximo, quàm eiusdem gloriæ certum statim mori. Atque ita explicat Lyranus, & alii. Potest etiam dici, quòd optaret, potiùs se solùm separari a Christo, quàm se cum omnibus fratribus suis Iudæis, quia minus malum.

4. Consulere, propriè loquendo, minora peccata ad auertendum a maioribus non licet, sicut non licet ea committere, ne committantur maiora. Si enim in peccato est, qui sequitur illud consilium, non potest innocens esse, qui consulit. Possunt tamen ea indicari, & proponi tamquam tolerabiliora, & non vt ea committantur, sed ne committantur grauiora. Et hoc dicit cap. *Duo mala*.

Hoc sensu, siue intentione videtur Ruben proposuisse fratribus proiectionem Ioseph in cisternam; nam, quòd ipse omne malum voluerit auertere a Ioseph, colligitur ex eius verbis ad fratres Genes. 42. 22: *Numquid non dixi vobis nolite peccare in puerum, & non audistis me?* Iudas a D. Thoma 22. qu. 154. ar. 2. ad 3. non excusatur de peccato in illo consilio venditionis Ioseph. Si tamen excusandus est, potest dici, quòd propriè venditionem Ioseph non consuluerit, sed tantùm proposuerit tamquam minùs malum, & potiùs a se tolerandam, quàm necem Ioseph. De Lot dubium est, an sit excusandus; & Augustinus cap 42. Quæst. in Genesim non ex alio capite ipsum excusat, nisi ex perturbatione mentis; proinde dicit, nullo modo imitandum. Ex qua perturbatione, siue etiam simplicitate potest excusari factum senis illius Gabaonitis.

Apostolus non consulit, sed tantùm secundùm indulgentiam permittit copulam ex libidine coniugibus, ne ruant in mœchiam. Adagium illud intelligendum est de malis pœnæ; vel, si etiam de malis culpæ, ly *eligendum*, non est sumendum stricte: *dominatur* enim, vt Aug. ait 1. de Ciuit. cap. 25. *iniquitas, dum non innocentia, sed potiùs peccata eligantur*; sed largè, vt idem sit, ac permittendum.

Ratio Augustini non fundatur precisè in amore proprio, sed in præcepto Dei inhibentis omne peccatum, etiam leuius, ne committatur grauius; ex quo fit, vt illud committens damnetur: ad charitatem autem pertinet auersari Dei offensas, eiusque obedire mandatis; nec sine charitate potest euitari damnatio.

5. For-

Digitized by Google

5. Fortè replicabitur: Et ſi Deus non poſſit pati damnum in ſe ipſo, poteſt tamen in ſuis Sacramentis, imaginibus, rebuſque ſibi dicatis, ſicut & Chriſtus, Sanctique cum eo regnantes in hac vita etiam in ſe ipſis pati poterant; ergo videtur licitum, ne grauiùs eę res lędantur, leuiter lędere, ex. gr. ſputo, vel luto eas oblinire, ne crementur; & ſimiliter leue damnum inferre Dei ſeruis in hac vita, ne inferatur grauius.

Reſpondetur, Deum non indigere ope noſtra, vt a rebus ſuis leſiones, ſiue damna auertat; prohibere autem omnes earum leſiones; ergo nulla eis licitè irrogatur. Reuerenda autem ſunt eius iudicia, dum permittit vel leues, vel graues offenſas. Petrus reprehenſus eſt, & cohibitus, dum tentaſſet Chriſtum armis defendere, quaſi Chriſtus non voluntariè pateretur, aut non poſſet ſuos perſequutores repellere; vnde ei dictum eſt: *An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. Si ergo etiam defenſio prohibita tunc eſt, quanto magis offenſa etiam leuis ad auertendam grauiorem?

Propoſitio 63. addit ad præcedentem; in illa enim tantùm dicitur licitum non fugere occaſionem proximam peccandi, ipſa verò profert eſſe licitum eamdem quærere; quare a fortiori oſtenditur falſa ex dictis.



Digitized by Google

DISPVTATIO LVII.

Contra Propoſit. LXIV. & LXV.

Abſolutionis capax eſt homo, quantumuis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.

CAPVT I.

An ſemper ad iuſtitiam, & ſalutem neceſſaria fuerit notitia per fidem Ieſu Chriſti.

1 QVIA hæc materia grauiſſima eſt, ideo, vt veritas per damnationem Propoſitionis ſtabilita, ex primis ſuis principiis deducatur, inſtituimus Quæſtionem generalem de neceſſitate Fidei in Chriſtum ad iuſtitiam, & ſalutem, quocumque tempore, etiam legis naturæ: de neceſſitate, inquam, medii, ſine quo finis obtineri non poteſt, etiam ſi medium nulla culpa ſit prætermiſſum; non de neceſſitate ſolius præcepti, a cuius obſeruantia, ſicut aliqua iuſta ratio excuſare poteſt, ita ſine ea finis obtineri. Diſtinguimus autem iuſtitiam, & ſalutem propter eos Theologos, qui aliquam fidem adſtruunt neceſſariam ad ſalutem,

quæ

Digitized by Google

quæ non ſit neceſſaria ad iuſtitiam, cum quibus infra agemus.

Quòd igitur omni tempore ad ſalutem, & iuſtitiam neceſſaria fuerit aliqua notitia, ſeu fides Chriſti, communiter docent Theologi: etenim id ſæpiſſimè Euangelicæ, & Apoſtolicæ litteræ teſtantur. Sed Quæſtio eſt: An fuerit neceſſaria fides explicita, an ſufficerit implicita.

2. Non diſtinguitur autem hic implicitum, & explicitum, ſicut in conceptibus obiectiuis, in quibus explicitus actu, & formaliter includitur in implicito, vt ſubſtantia, & accidens in conceptu entis iuxta eorum ſententiã, qui illũ cõceptũ ſtatuunt analogũ; tunc enim quæſtio præſens parui momenti, & inanis eſſet, longè magis, quàm illa de conceptu entis. Sed fidem Dei, vt prouiſoris, ſaltem ſupernaturalis, vel, quòd Deus dimittere poſſit peccata, largirique gratiam, & gloriam, vel, quòd poſſit prouidere, aut prouideat humano generi iuxta modos ſuæ ſapientiæ placitos, appellant plurimi Fidem implicitam in Chriſtum, quia, ſcilicet, Deus per Chriſtum prouidet, dimittit peccata, largitur gratiam, atque remuneratur. Ex quo patet, hos Theologos appellare fidem implicitam in Chriſtum eam, qua creditur aliqua veritas, ex qua deduci poteſt Chriſtus, ſiue exiſtentia eius; vel creditur aliquod factum, quod ſecundùm rem concernit Chriſtum: hancque Fidem plurimi Theologi cenſent tempore naturæ, & legis fuiſſe ſufficientem ad iuſtitiam, & ſalutem; inter quos videtur etiam D. Thom. 22. qu. 2. ar. 7. ad. 3.

Aliis tamen videtur amplius requiri a ſacris litteris; ideoque putant, fuiſſe neceſſariam fidem Mediatoris, & Redemptoris, licèt (ait Auerſa de Fide ſect. 5.) ignoraretur, hunc Mediatorem futurum verum Deum, & alia, quæ ſpectant ad mortem, & reſurrectionem Chriſti. Ita Canus, Medina, Aragon, Granados, Coninch, Beccanus, Caſtropalaus, Auerſa citantes Magiſtrum in 3. diſt. 25., Scotum ibid. q. 1. §. *Sed hic occurrit*, Bonauenturam, Albertum, Alenſem, Gabrielem, & alios.

Sed reuera Magiſter requirit Fidem Incarnationis; tum quia affert ſententiam Auguſtini id docentis; tum quia mouet, & ſoluit quæſtionem de Cornelio, quomodo potuerit eſſe ſaluus ſine ea Fide; tum quia duas refert opiniones de neceſſitate Fidei ad ſalutem ante aduentum Chriſti; alteram, quòd neceſſe fuerit credere eius natiuitatem, mortem, reſurrectionem, & aduentum ad iudicium; alteram, quòd ſuffecerit credere eius natiuitatem, & ad-

Digitized by Google

aduentum ad iudicium, quarum nullam improbat. De opinione verò, quòd suffecerit Fides Mediatoris in communi, nulla mentio apud ipsum ibi.

CAPVT II.

Ostenditur, omni tempore fuisse necessariam necessitate medij ad iustitiam, et salutem fidem explicitam in Christum, idest, Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis eius.

1. NOstra sententia, quam omnino veram putamus, est, numquam, nec ad salutem, nec ad iustitiam sufficisse Fidem implicitam in Christum eo modo explicatam, sed necessariã fuisse explicitam, nempe, incarnationis, mortis, & resurrectionis eius.

Probamus id primò. Quia Fides illa in Deum prouisorem, & cæt; largè, & impropriè tantùm potest dici Fides in Christum: Potest enim putari, immo poterat esse, vt Deus per alia media prouideret humano generi lapso; nã destinatio Christi fuit omnino Deo libera, & ex nimia, vt ait Apostolus, sua charitate. Ergo, stãte illa Fide, potest ad huc non cognosci, immo, & negari Christus. Sed Fides, cum qua stat ignorantia, & negatio Christi, non, puto, propriè appellatur Fides in Christum; tunc enim idem simul cognosceretur, & ignoraretur, asseręretur, & negaretur: certè verò iustificare non potest; Christus enim per Fidem cognitus iustificat; sed illa Fides non est cognitio Christi; ergo ex se iustificare non potest.

2. Confirmatur. Quia cognitio creaturæ dicenda non est cognitio implicita existentiæ Dei, quamuis ex creatura necessariò inferatur Deus; nam Philosophi Athei cognoscentes creaturam, Deum negarunt. Item; nec cognitio Dei cognitio implicita prouidentię eius, quæ ex perfectione Deitatis infertur; cùm Stoici, nonnullique alii Philosophi cognoscentes Deum, eius prouidentiam

Digitized by Google

tiam sustulerint. Nec cognitio Deitatis, cognitio implicita Trinitatis, licèt Trinitas ex fecunditate naturæ Diuinæ sit, possitque inferri ab eo, qui iam eam per Fidem agnouit, sicut eam infert Augustinus 15. de Trinitate cap. 8. Nam Philosophi Deum cognoscentes non modò non cognouerunt Trinitatem, verum etiam nec cognoscere potuerint: ideoq; eã vel negauerunt, vel negare parati fuerunt, nullusque dixit cognitionem Dei ex naturalibus esse cognitionem implicitam Trinitatis. Si autem ideo Fides in Deum prouisorem est Fides implicita in Christum, quia de facto Deus per Christum prouidet, etiam Fides Deitatis esset Fides implicita in Trinitatem, quia de facto Deus est trinus, & vnus. Sic credens prouidentiam Dei etiam supernaturalem potest negare existentiam Christi, putans, Deum per alia media generi humano consuluisse. Maximè, quia non ita ex illa prouidentia deducitur existentia Christi, sicut ex creatura Creator, aut ex Deitate prouidentia, & Trinitas; hæc enim inferuntur necessariò, illa verò minimè, vt ostensum est. Si ergo cognita vna veritate, ex qua necessariò deducitur altera, potest hæc non solùm non cognosci, sed etiam negari, quantò magis, quando non necessariò deducitur? Quicunq; autem negat Christum, vel non credit implicitè in ipsum, vel saltem saluari non potest per ipsum. Cognitio quoque etiam comprehensiua voluntatis non dicitur cognitio implicita actuum eius liberorum, immo dicitur, hos actus non posse in illa cognosci, quia non necessariò, sed cõtingenter ex ea prodeunt, atq; adeo non magis hi, quàm oppositi, aut nulli; cùm ergo contingenter, ideat, liberè a prouidentia Dei destinatus sit Christus, etiam suppositâ voluntate prouidendi humano generi lapso, non debet dici, quòd Fides illius prouidentiæ sit Fides implicita Christi.

Verùm, quia continentia implicita non explicatur qualis sit ab illis Theologis, immo sub vocabulo impliciti rem implicant, & occultant, possuntque eam etiam ad veritates remotè, & contingenter contentas pro libito extendere; ideo ne in tanta re videamur litigare de vocibus, aut laborare in æquiuoco.

3. Probamus secundò nostram sententiam ex Apostolo Rom. 10., vbi sic loquitur: *Ignorantes* (Iudæi) *iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? ideat, Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Chri-*

stum

Digitized by Google

stum a mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura: Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia, si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris.

Hic Apostolus docet, non haberi Dei iustitiam, ideſt, veram ex operibus legis; quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea, ideſt, obseruantia legis non ampliùs confert, quàm vt effigiatur pœna mortis, vel aliæ in ea contra transgressores præscriptæ, vt explicat Augustinus expositione capitis tertii ad Galatas, & Lyranus hoc loco. Quare loquitur de obseruantia legis externa; hanc enim ipsam iactabant Iudæi, & contra externam inobseruantiam illæ pœnæ infligebantur, non contra internam, quæ, sicut non potest hominibus apparere, ita nec ab ipsis puniri. Habens enim internam simul, & externam legis obseruantiam, non tantùm pœnas externas euitat, sed veram, Deique iustitiam assequitur, meritumque ad regnum Cœlorum propter charitatis præceptum, vt supra ostendimus Propositione 23. Quare hoc ipsum hic docere intendit Apostolus, quòd ex vi legis non poterat haberi, nisi externa tantùm obseruantia legis, quę sufficeret ad euitandas pœnas externas, non verò interna; eò quia lex illa non poterat tribuere charitatem, quæ est vera iustitia, & sine qua non integrè, & verè seruatur lex. Et quòd vera, Deique iustitia non potest haberi, nisi per Fidem in Christum, qui est finis legis ad iustitiam omni credenti.

Docens autem Apostolus, quæ sit Fides iustificans: *Quæ autem*, inquit, *ex fide est iustitia*, ideſt, in quas veritates feratur, dicit eam ferri in Incarnationem Christi, & Resurrectionem, atque adeo in mortem (non enim potest intelligi resurgens, qui non fuerit mortuus) id enim apertissimè dicit, dum ait: *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit* (Moyses): *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? ideſt, Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis reuocare.* Deductio enim Christi de cœlo est eius Incarnatio, & reuocatio eiusdem de abysso, siue de mortuis est eius Resurrectio Et ita euidenter concludit: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum* (hoc nomen Christo incarnato impositum est) *& in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris.* In qua re miranda est sapientia Apostoli: illud enim: *Quis ascendet in cœlum?* &: *Quis poterit transfretare mare?* Moyses ad litterā dixisse videtur ad ostendendam facilitatem notitiæ legis, pro qua, scilicet, habenda, non esset opus, aut in cœlum conscendere, aut mare trā-

sfreta-

Digitized by Google

sfretare, vt patet Deuteron. 30. 11. Et tamen Apostolus illud intellexit de necessitate fidei Incarnationis, & Resurrectionis Christi. Ergo secundùm Apostolum non alia est Fides iustificans, nisi, per quam creditur incarnatio, mors, & resurrectio Christi, quàm Nos appellamus Fidē Christi explicitam; atq; adeo, qui eam non habet, etiamsi legem habeat, credatque in Deum prouisorem supernaturalem, non iustificatur, quia non credit in Christum, qui est finis legis ad iustitiam omni credenti in ipsum. Ex quo etiam sequitur, (quod Nos antea ostendimus) fidem in Deum prouisorem supernaturalem non esse fidem, neque implicitam in Christum: aliter per illam iustificaretur credens, quia attingeret Christum, qui iustificat omnem credentem in ipsum. Sed Apostolus non agnoscit fidem iustificantem, nisi quæ tendat in Incarnationem, & Resurrectionem Christi; ergo illa fides nullo modo est fides in Christum. Et sanè, cùm Christus essentialiter sit Persona Diuina in carne, ipse non cognoscitur, si eius Incarnatio non cognoscitur.

4. Nec potest dici, Apostolum hic tantùm explicasse ea, ad quæ se extendit fides iustificans, non verò, quę debeat credere, vt iustificet. Primò. Quia de vi iustificandi disputat, eamque denegat legi; ergo dum tribuit fidei earum veritatum, docet, Fidem earū esse habendam, vt iustificemur. Secundò. Quia dum docere intendit, quænam sit fides iustificans, ineptum fuisset eas memorare fidei veritates, sine quarum cognitione illa iustificat, reticere autem eas, sine quibus non iustificat. Ergo, si fides in Deum prouisorem supernaturalem, aut in Mediatorem simpliciter iustificat, hanc debebat memorare Apostolus, eamque opponere legi non iustificanti, non fidem Incarnationis, & Resurrectionis Christi, sine qua, vt dicitur, iustificatur homo. Tertiò. Quia Apostolus legi non iustificanti immediatè opponit eam fidem tamquam iustificantem; ergo nullum agnoscit medium, quod iustificet inter legem, & illam fidem. Quartò. Quia, cùm ad multas alias veritates extendatur Christiana fides, non potest reddi sufficiens ratio, cur Apostolus illas tantùm memorauerit, nisi, quia illarum cognitio necessaria est ad iustificationem, Quintò tamdem. Quia fides de illa Prouidentia non est verè fides in Christum, vt probatum est; at tantùm fides in Christum iustificat.

Eodem modo Apostolus explicat fidem iustificantem Philipp. 3. 9.: *Iustitiam, quę ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius, configuratus morti eius.* Cùmque non aliud

Digitized by Google

obiectum memoret fidei iustificantis, nisi Incarnationem, Mortem, & Resurrectionem Christi, & illa Fides ad multa alia se extendat, planè docet, sine cognitione illarum veritatum non haberi fidem in Christum, quæ iustificat.

5. Probamus secundò ex eodem Apostolo Actuum 17. vbi ait: *In viro, in quo statuit Fidem prębens omnibus, resuscitans eum a mortuis*. Sed, si Fides iustificans statuta est in viro Christo, oportet in eum explicitè credere: aliter non in Christo, sed in illo esset statuta Fides, in quo esset explicitè credendum, puta in Deo prouisore, in quem, dum credimus explicitè, credimus, vt dicitur, implicitè in Christum. Absurdum est enim, vt Fides dicatur statuta in eo, in quem sufficit credere implicitè, & non potiùs in eo, in quem credendum est explicitè: sicuti absurdum est, vt facultas, vel operatio denominetur ab eo, in quod tendit implicitè, & non potiùs ab eo, in quod explicitè; obiectum enim, in quod tenditur implicitè tantùm, est veluti obiectum secundarium, a quo non denominatur facultas, vel operatio. Cùm ergo Fides iustificans, ideſt, nostra dicatur Christiana, & non Dei prouisoris, fatendum est, Christum esse obiectum explicitum eius. Cùmque illud solùm memoret de Christo Apostolus, quòd, nempe, resurrexit a mortuis, dicendum est, credendam esse resurrectionem eius, quæ sine incarnatione, & morte veraciter credi non potest.

Scio, Lyranum, aliosque Interpretes aliter explicare hæc Pauli verba, nimirum, quòd in Christo statuta sit fides, ideſt, certitudo, & exemplum resurrectionis, quia Christus primus surrexit a mortuis immortalis. Sed expositio a Nobis allata est Augustini lib. de Gratia Christi, siue de Peccato originali cap. 24., & 4. contra Iulian. cap. 3. Et excepta authoritate Augustini, nemo, vt arbitror, fidelis negabit, Fidem nostram statutam esse in Christo, vel ob hoc ipsum, quòd dicitur Christiana; ergo sequitur, quod inferebamus.

Probamus tertiò ex eodem Apostolo prima Corinth. 3. 11. *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, Christus Iesus*. Et loquitur, vt patet, de fundamento nostrę salutis. Sic & Ephesior. 2.: *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Si autem sufficeret, in Christum tantùm implicitè credere, & in Deum prouisorem oporteret credere explicitè, potiùs Deus prouisor esset fundamentum nostræ salutis; vel saltem essent duo fundamenta, & Deus prouisor esset principalius fundamen-

Digitized by Google

mentum, vtpotè, in quem esset explicitè credendum.

6. Probamus Quartò; quia idem Apostolus in Epistolis ad Romanos, & Galatas intentissimè distinguit Fidem in Christum a tota lege Mosayca, vnde clamat: *Euacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis: nos enim spiritu ex Fide spem iustitiæ expectamus, Galat* 5., sed in lege indicebatur Iudæis fides in Deũ prouisorem, etiam supernaturalem. Sæpe enim ibi memoratur, quòd Deus eduxerit eos de terra Ægypti per miracula, & portenta; & mandatur patribus, vt ea nota faciant filiis suis, vt cognoscat generatio altera, Psal. 77., ergo ea Fides pertinet ad opera legis; ergo illa non est Fides iustificans; etenim *in lege nemo iustificatur apud Deum*, &: *Lex non est ex Fide*, Galat. 3. Ergo illa non est fides in Christum, quæ iustificat.

Probamus 5. ex verbis Petri Actuum 4. *In nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis, in iste astat coram vobis sanus. Non enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri* Sed nomen Dei prouisoris, etiam supernaturalis est aliud a nomine Iesu Christi Nazareni, poterat quippe Deus prouidere supernaturaliter, & non per Christum; ergo non in nomine, idest, in fide nominis Dei Prouisoris, sed in fide nominis Iesu Christi Nazareni oportet nos saluos fieri; sicut in hoc Nomine Petrus curauit claudũ illũ. Nomina autem propria significant determinatè, & explicitè ea, quorum sunt nomina propria: aliter essent nomina cõmunia; ergo determinatè, & explicitè credendum est in Christum; cùmq; de eo memoret Petrus, *quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis*, indicat, credendam esse mortem, & resurrectionem eius, atque adeo incarnationem.

7. Probamus sextò ex verbis ipsius Christi Domini Ioannis 14. 7.: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego sum via*. Itur autem ad Patrem per Fidem in Christum, & hæc Fides est via, qua, scilicet, iustificamur per Christum, vt per ipsum ire possimus ad Patrem. At si sufficeret Fides in Deum prouisorem, eo quia in ipsa, vt dicitur, continetur implicitè Fides in Christum, illa Fides, seu Deus prouisor esset via, & Christus esset potiùs terminus. Rursus Ioannis 6. 27.: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*. Dat autem Pater filio, quos destinat ad iustitiam, & hi veniunt ad Christum per Fidem; ergo Fides in Christum est necessaria ad iustitiam, non sufficit Fides in Deum prouisorem. Iterum Ioannis 14.: *Creditis in Deum, & in me credite*, vbi manifestè docet, non sufficere Fidem in Deum, sed requiri etiam Fidem in ipsum; ergo non sufficit Fides

Digitized by Google

in Deum prouisorem, etiam si dicatur, in illa contineri implicitè Christum, quod tamen verum non esse ostendimus; tunc enim esset vna, & eadem Fides in Deum, & in Christum; at Christus vltra Fidem in Deum, requirit Fidem in seipsum.

Probamus tamdem, quia nullum affertur fundamentum ex sacris litteris pro sufficientia illius Fidei ad salutem, vel iustitiam. Dicit quidem Apostolus Hebræor. 11., illam esse necessariam, quod Nos defendimus supra Proposit. 22.; sed quòd sufficiat, nec ibi, nec alibi dicitur, immo illam non sufficere docent Magister in 3. distinct. 25., & D. Thomas 22. qu. 2. art. 8. ad 1., & apertè colligitur ex iisdem litteris, in quibus semper inculcatur necessitas, & sufficientia Fidei in Christum, quem Deus suscitauit a mortuis. Ergo sufficientia illius Fidei est dogma Scholasticorum, & ferè recentium præter authoritatem Scripturarum, & Patrum: qui fortè hoc pacto putant faciliorem reddere viam iustitiæ, & salutis. Sed inaniter; nam etiam ipsi fatentur, Fidem illam in Deum prouisorem debere esse ex motione Diuina, & supernaturalem, vt iustificet, ne dicant, per aliquid naturale posse perueniri ad veram iustitiam, & meritum Regni cœlestis, quod est hæreticum; ergo ex naturalibus non minùs est impossibilis Fides illa in Prouisorem, ac in Christum. Deo autem tam facilè est mouere ad vnam, quàm ad aliam; ergo ex illo eorum dogmate non redditur facilior via iustitiæ, & salutis.

Ex dictis sequitur, neque sufficere Fidem in Mediatorem absolutè, seu in communi, vt opinantur Authores, quos supra retulimus; nam scripturę exprimunt in individuo, & determinatè Mediatorem Christum in carne morientem, & resurgentem, Fidemque in eum asserunt necessariam.

8. Probamus modò idem assertum ex Augustino. Primò ex libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 7. vbi dicit, missum Apostolum Petrum ad Cornelium, quia hic sine Fide Christi saluus esse non poterat. Habebat autem Cornelius Fidem de Deo Prouisore; non enim, vt ipse Augustinus ait, sine aliqua Fide orabat, & eleemosynas erogabat; Fides autem, ex qua illa pietatis opera exercebat, vtique Dei Prouisoris erat, a quo exaudiri in orationibus, & præmiari pro eleemosynis credebat. Ergo, vel Fides Dei Prouisoris non est Fides implicita in Christum, vel illa non sufficit ad salutem.

Secundò ex Libro de Gratia Christi, siue Peccato originali cap. 24.: *Sine Fide vnius Mediatoris Dei, & hominem hominis Chri-*

sti

Digitized by Google

sti Iesu: sine Fide, inquam, resurrectionis eius, quem Deus hominibus definiuit, quę vtique sine incarnatione eius, ac morte non potest veraciter credi: sine ergo Fide incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, veritas Christiana non dubitat. Vbi non solùm nostrum assertum clarissimè docet, sed ipsum ad Fidem Christianam pertinere indicat. Certè in Symbolo Athanasii fatetur Ecclesia, esse necessarium ad æternam salutem, vt incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credamus.

Respondet Auersa, hæc Augustini verba non esse tam amplè intelligenda, sed accipienda esse de Fide implicita Christi; quia antiqui debebant credere per sacrificia, quæ illo tempore offerebantur, præfigurari mysteria Mediatoris futuri, licèt non explicitè scirent, quęnam illa forent.

Sed hoc non est restringere, sed reiicere sententiam Augustini; vel enim antiqui tenebantur credere incarnationem, mortem, & resurrectionem Christi, & hoc vtique erat habere Fidem explicitam in Christum; vel non tenebantur, & hoc est contra Augustinum. Multum autem est, Augustinum in ea sententia reiicere, quam ipse ad veritatem, ideſt, Fidem Christianam pertinere affirmat. Ex hoc enim magna ignorantia, & temeritas ei obiicitur. Illud reuera mirandum, & dolendum est, eòusque progressam opinandi licentiam, vt dogma ab Augustino, tamquam ad Fidem Christianam pertinens, assertum, non solùm in controuersiam reuocetur ab vno, vel altero Scholastico, verùm etiam reiiciatur, vt falsum. Præterea. Sacrificia antiqua, in quibus animalia mactabantur, figurabant mortem Christi futuram; vnde D. Thomas 22. qu. 2. ar. 7. probat, fuisse tunc cognitam explicitè incarnationē, mortem, & resurrectionem Christi, quia hæc figurabantur sacrificiis ante legem, & sub lege in immolatione agni, &c. ergo ratio Auersę retorquetur in ipsum.

9. Sed Pisani ait, Augustinum ipsum ita se explicare 19. contra Faustum c. 4., quod ipsum innuit Auersa.

Verùm Augustinus contra Faustum nil aliud dicit, nisi, antiquos iustos eadem credidisse futura, quę nos credimus facta, eademque speraſſe promissa; inter quæ maximè memorat resurrectionem ex mortuis; ergo antiqui eadem explicitè credebant, quę nos, cum sola differentia futuri, & præteriti. Dubitat autem, an tantùdem illis profuerit Fides futurorum, ac nobis prosit Fides præteritorum, ideſt, Fides Christi passuri, & resurrecturi, ac Fi-

des

Digitized by Google

des passi, & resuscitati. In quo ipso supponit, explicitè ab illis creditam passionem, & resurrectionem Christi; ergo ibi non limitat, sed confirmat sua dicta Augustinus.

Sed Pisani, aliique falluntur ex ea forma loquendi Augustini, aliorumque Patrum, qua dicitur, antiquos habuisse Fidem nondum reuelatam, Sacramentaque prænunciatiua, & figuras rerum nondum impletarum; quæ loquendi forma ducta est ex Apostolo Galat 3.: *Sub lege custodiebantur conclusi in eam Fidem, quæ reuelanda erat.*

Quod sic accipiunt, quasi fides nondum reuelata sit Fides implicita, & Sacramenta prænunciatiua sint Sacramenta non explicitè significantia. Cùm certum, clarumque sit, Fidem nondum reuelatam, Sacramentaque prænunciatiua non aliud sonare, quàm Fidem, & signa de rebus nondum impletis; pariterque certum sit, etiam futura, sicut, & præterita posse cadere sub explicita cognitione. Quid enim facit diuersitas præsentis, præteriti, & futuri ad diuersitatem cognitionis explicitæ, & implicitæ. Sic etiam dicere poterunt, nihil cognosci explicitè, nisi præsens, neque Nos modò explicitè cognoscere præteritam Christi natiuitatem, mortem, & resurrectionem. Certè præterita in Historiis explicitè cognoscimus, ita & futurum Antichristum, vel diem Iudicii. Audiant Augustinum ipsum, de cuius sensu disputant, expositione Capiti tertii ad Galatas circa medium: *Quod nos ex parte præteritum, ideſt, primum aduentum Domini, ex parte futurum, ideſt, ſecundum aduentum Domini credendo ſalui efficimur, hoc totum illi* (antiqui) *ideſt, vtrumque aduentum futurum credebant, reuelante ſibi Spiritu Sancto, vt ſalui fierent. Vnde eſt etiam illud*: Abraham concupiuit diem meum videre, vidit, & gauisus est. Ecce eadem veritas explicitè vt futuras, creditas dicit ab antiquis, quæ nos vtique explicitè credimus præteritas. Et Abraham explicitè illum diem Domini credidit, & videre concupiuit, quem postea videndo gauisus est. Et tamen Fides antiquorũ non erat reuelata. Ergo ly fidem non esse reuelatam, non dicit, non esse explicitè cognita obiecta Fidei, sed res cognitas nondum esse impletas: aliter Prophetæ explicitè, ideſt, determinatè, & distinctè non cognouissent, quæ prædicebant.

Consimilia docet Augustinus eode libro cap. 26. vbi dicit, etiam antiquos iustos viuificandos in Christo, quia ad corpus pertinent Christi. Et subdit: *Quod eis non fuiſſet, niſi in eius reſur-*

Digitized by Google

surrectionem per eius gratiam credidissent. Et hoc quomodo fieret, si eum in carne venturum esse nescirent, neque ex hac Fide iustè, pièque vixissent? Et lib. 3. ad Bonifacium cap. 4.: *Huius generis fuerunt omnes iusti, quia ex Fide, qua nos viuimus, vna, eademque vixerunt, incarnationem, passionem, resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam.* Lib. autem 18. de Ciuitate cap. 47. probans fuisse etiam extra Israel, qui pertinerent ad spiritualem Ierusalem, ait: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitùs reuelatus est vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne, sic antiquis Patribus prænunciabatur, quemadmodum nouis venisse prænunciatus est.* Iudicet modo Auersa, an tot, adeoque claræ, ac vehementes Augustini sententiæ ad suum sensum sint restringendæ.

10. Probatur vltimò nostrum assertum ratione. Primò. Quia in gloriam Christi instituta est a Deo Fides in ipsum, vt medium necessarium ad iustificationem; & aliàs iustissimum est, vt, si iustitia datur per Fidem, detur per Fidem in eum, qui iustificat, vt nimirum opus tribuatur suo authori, & iustificatus suum debitum agnoscat. Sed per Fidem in Prouisorem Supernaturalem nulla gloria, nullaque notitia habetur de Christo; ergo ea Fides non sufficit ad iustificationem. Probatur Minor. Per hoc enim, quòd cognoscatur, Regem posse, vel etiam prouidere Reipublicę lapsæ, nulla gloria, nullaque notitia habetur de Ministris, si ipsi aliàs non sunt cogniti: maximè si Rex prouidere possit sine ministris, sicut Deus prouidere poterat humano generi sine Christo.

Secundò. Aliqua Fides explicita est necessaria ad iustificationem; non .n. potest dari Fides, sicut nec vlla cognitio implicita, sine aliqua explicita; ergo erit necessaria Fides explicita in Christum, qui iustificat. Probatur Consequentia: tum quia nulla alia videtur potior, aut magis pertinens ad rationem iustificationis, & vim iustificandi: tum quia Fides iustificans dicitur Christiana; ergo primò fertur in Christum; tum tamdem, quia non potest dari iustitia, nisi tribuatur vnicuique, quod ei debetur: Christo autem debetur Fides, vt Redemptori, sicut Deo, vt creatori, vnde sicut Deus in Lege primò exegit Fidem, dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus*; ita Christus in Euangelio: *Creditis*, inquit, *in Deum, & in me credite*, Ioann. 14. Fides etiam est, quæ primò subiugat mentem Deo, vt Augustinus ait de Agone Christia. cap. 12. Non minùs autem anima debet subdi Deo, vt crea-

Digitized by Google

creatori, quàm Christo, vt Redemptori; ergo ad iustitiam requiritur Fides explicita in Christum; per Fidem autem in Prouisorem non datur, quod debetur Christo, nec subditur determinatè anima Christo, cùm per eam non agnoscatur.

Tertiò. Non potest quis voluntariè fieri membrum sub capite Christo, nisi ipsum agnoscat, qui est suum caput: oppositum enim videtur penitus absurdum, scilicet, vt quis voluntariè fiat pars communitatis, vel subditus Principis, quem esse ignorat: per Fidem autem in Deum Prouisorem non cognoscitur Christus, vt Persona Diuina, quæ sit caput suorum Fidelium; sed agnoscuntur tantùm in confuso media, per quæ Deus potest prouidere, quod fieri poterat absque Christo; ergo non sufficit Fides in Deum prouisorem, sed requiritur Fides determinata, & explicita Christi.

Quartò. Plus requiritur ex parte iustificandi ad iustitiam acquirendam post peccatum, quàm peccato non supposito; sed, si Adam conditus fuisset in puris naturalibus, non potuisset peruenire ad iustitiam, nisi ex Fide, aut notitia Dei iustificantis; nullus enim, vt arbitror, dicet oppositum; ergo post peccatum requiritur Fides in Christum, qui purgationem peccatorum facit. Qui ergo docent, modò sufficere ad iustificationem Fidem in Deum prouisorem, non videntur attendisse remissionem peccatorum, quę per Christum danda est.

11. Ex hoc etiam deduci potest necessitas Fidei de morte, & resurrectione Christi; nam propter obedientiam vsque ad mortem datum est Christo, vt non sit aliud nomen sub cęlo, in quo oporteat homines saluos fieri, vtque in nomine eius omne genuflectatur Philipp. 2., perque ipsam mortem Christus redemit nos: iustum est autem, vt redemptus non tantùm agnoscat Redemptorem, sed & pretium, quo redemptus est, ad cognoscendum debitum suum. Ergo requiritur Fides mortis Christi. Sine autem Fide Resurrectionis non crederetur in Christum viuentem, sed mortuum; a mortuo autem nemo speraret resurrectionem ex mortuis; ergo ad iustitiam necessaria est Fides mortis, & resurrectionis Christi, ut enim ait Apostolus Roman. 4.: *Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*: Tamdem sine Fide resurrectionis lateret maxima gloria Christi, quæ de eius resurrectione est.

Quòd autem Fides debeat esse in Christum tamquam verum Deum

Digitized by Google

Deum (quod caput est) probatur contra plures Recentiores. Quia non potest dari salus, nisi per Fidem in eum, qui potest dare salutem; nullus enim, nisi stultus, sperat, aut credit, posse se recipere beneficium ab eo, qui non potest illud conferre: hinc in Psalmis 113. & 117. deridentur confidentes in Diis, qui non possunt dare salutem, aut in filiis hominum, in quibus non est salus; & Psal. 117. laudantur domus Israel, & domus Aaron sperantes in Domino, quia adiutor, & protector eorum est. Apostolus etiam Roma. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur Fides eius ad iustitiam*. Hinc etiam illi, qui non requirunt Fidem explicitam in Christum, requirunt Fidem in Deum, vt Remuneratorem; sed vera iustitia, & æterna salus non potest dari, nisi a Deo vero: *Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Lucæ 5. Aut *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es?* Iob 14. Ergo nō potest iustificare, & saluare, nisi Fides in Christū, vt verum Deum. Ideo Eunuchus ille Actuum 8. 37. non simpliciter dixit: Credo in Iesum Christum, sed: *Credo, Filium Dei esse Iesum Christum*. Et Ioannes epist. 1. cap 5. ait, neminem vincere mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei. Et Christus ipse Ioannis 4. reprehendit tanquam infidelem Regulum, quia licèt crederet, posse ab eo dari salutem filio suo, pro quo orabat, tamen putabat, ad hunc effectum esse necessariam corporalem eius præsentiam; etenim hoc ipso non agnoscebat eum, vt Deum vbiq; præsētem, vt ait Gregorius hom. 28. in Euangelia. Si autem nec salutem corporalem obtinere meruisset non credens, Christum esse Deum, immo infidelitatis arguitur, quantò minùs spiritualem? Hinc in Symbolo Athanasii dicitur, eam esse fidem rectam, *vt credamus, & confiteamur, quia Dñs noster Iesus Christus Dei filius, Deus, & homo est*. Et Leo Papa ser. 4. de Epiphania: *Hoc est, quod iustificat impios, si in Iesu Christo vera Deitas, & vera credatur humanitas*. Mahometani non sunt Christi Fideles, quamuis credant, Christū esse Prophetam magnum de Virgine natum, & extremę diei iudicem, atque hoc ipso Mahomete superiorem, quem constituunt ibi suorum patronum, non, inquam, sunt, nec dicūtur Christi fideles, quia nō credunt, Christū esse verum Deum; ergo hæc Fides requiritur ad iustitiam.

12. Contra prædicta fortè obiicitur. Qui credit in Ecclesiam credit implicitè quæcumque credit Ecclesia; ergo qui credit in Deum prouisorem supernaturalem, credit implicitè quæcumque Deus per supernaturalem prouidentiam dispōsuit; sed inter

Digitized by Google

ea principaliſſimum eſt Chriſtus; ergo credit implicitè in Chriſtum.

Reſpondetur, negando Conſequentiam. Credere enim in Eccleſiam, eſt credere quidquid illa credit: credere autem in Deum Prouiſorem non eſt credere, quidquid Deus Prouiſor credit: Deus enim nihil credit, cui omnia patent; &, dato quod aliquid crederet, non eſt de neceſſitate iuſtitiæ, vel ſalutis credere, quæ credit Deus: nec, vt puto, Aduerſarii id adſtruent. Igitur illud tantùm eſt credere, quòd Deus prouideat; in hoc autem nulla adeſt cognitio Chriſti, maximè cùm, vt pluries dictum eſt, Deus aliter quàm per Chriſtum prouidere potuiſſet. Probatum eſt etiam, non ſufficere Fidem implicitam in Chriſtum, ſed requiri explicitam, nempè incarnationis, mortis, & reſurrectionis eius.

13. Obiicitur etiam contra rationem, qua probauimus ad iuſtitiam requiri Fidem in Mediatorem, ſeu Chriſtum tamquam in verum Deum, eo quia ſolus Deus poteſt iuſtificare: Baptiſmus validè confertur ab Arianis, atque adeo iuſtificat cap. *Ab antiqua*, & cap. *Oſtenditur*, & aliis de Conſecratione diſt. 4. Immo cap. *Satis* ibidem dicitur, non pertinere ad Baptiſmum, ſi de Patre, Filio, & Spiritu Sancto aliter quis ſentiat, quàm cœleſtis doctrina inſinuat. Hinc etiam a Paganis ille validè confertur, vt dicitur cap. *Romanus*, & cap. *A quodam* ibidem; ſed Ariani non credunt Filium, & Spiritum Sanctum eſſe Deum, immo eos putant creaturas; creaturæ autem iuſtificare non poſſunt; ergo poterit quis iuſtificari per Fidem in Meſſiam, ſiue Mediatorem, ſiue Chriſtum, etiam ſi putet, ipſum eſſe purum hominem.

Reſpondetur, Maiorem eſſe veram, ſi intentio Baptizantis referatur ad eam, quæ Chriſti eſt, vel Eccleſiæ: quod expreſſit Tridentinum ſeſſ. 7. can. 4. Secundùm autem Eccleſiæ, vel Chriſti intentionem, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus nomina ſunt trium in Deitate Perſonarum; ergo ſi Arianus præcisè baptizet in ſua Fide, ſiue potiùs perfidia, ſecundùm quam Filius, & Spiritus Sanctus nomina ſunt creaturarum, non baptizat baptiſmo a Chriſto inſtituto; non enim in illis vocabulis, ſed in rebus per illa ſignificatis, & inuocatis conſiſtit vis Baptiſmi Chriſti; quia s. non illa vocabula, ſed res per illa ſignificatæ vim habent iuſtificandi; dum ergo Arianus baptizat per Filium, & Spiritum Sanctum tamquam per duas creaturas, vt in hac Fide conſiſtens, non baptizat Baptiſmo Chriſti. Atque id docet etiam D. Thom. 3. part. qu. 60.

Digitized by Google

qu.60. arr.8. dicens, quòd si quis in tradendo Baptismo, nomini Patris, & Filii, & Spiritus Sancti adderet nomen B. Virginis, quasi etiam in eius nomine consecraretur Baptismus, non esset Baptismus, quia dicitur prima Corith.2. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Immo; quòd si quis addendo, vel diminuendo in verbis, quibus perficiuntur Sacramenta, intendat inducere alium ritum, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quòd intendat facere id, quod facit Ecclesia.

Equidem cap. *Sine hæreticus* de Consecratione dist.4. dicitur, non rebaptizandum eum, qui in confessione S. Trinitatis baptizatus est, ne confessio, vel inuocatio tanti nominis videatur annullari. Verùm constat, nomen Trinitatis non Diuinæ, sed creatæ non esse tantùm, aut magnum nomen, quod ratione sui nephas sit annullari; ergo baptizatus in eo nomine, est baptizandus, & per consequens ille baptismus nullus est.

Quamuis autem secundùm Arianam credulitatem nomen Patris sit nomen Dei, quia tamen non solus Deus Pater, sed indiuisibiliter cum eo Filius, & Spiritus Sanctus per baptismum sanctificant, sicut omnia ad extra operantur, cùm illi adiunguntur talis Filius, & Spiritus Sanctus, qui non vnus, & idem cum ipso Deus, sed creaturæ sunt, ex vi institutionis Sacramenti non datur sanctificatio. Nec potest per eam ministri Fidem iustitia conferri alteri, per quam iniustus ipse, & impius est, & damnandus, immo neq; beneficia temporalia per eam fidem possùt conferri; aliter Deus attestaretur Fidei falsæ, quod non potest. Hinc de quibusdam Arianis narratur, quòd tentantes in sua Fide miracula in aliorum beneficium patrare, non solum non valuerunt, sed eosdem grauiùs leserunt. Quantò ergo minus poterit in ea Fide iustitia conferri, & sanctitas?

14. Ideo cap. *Hi verò* de consecration. dist.4. definitur, nullum esse Baptismum traditum a Bonosianis, & Cataphrygibus, quia illi in Christum Dominum non credebant, hi verò Spiritum Sanctum quemdam prauum hominem nomine Montanum arbitrabantur.

Quamuis autem Bonosiani, & Cataphryges propter falsam illam, & impiam Fidem nec baptizarent in nomine Trinitatis, tamen perinde est, non baptizare in nomine Trinitatis, ac baptizare in nomine Trinitatis, non Diuinę, sed creatæ: Trinitas enim in collatione Baptismi intelligenda est Diuina. Quod ergo

Digitized by Google

dicitur in citato Capite *Satis*, non pertinere ad baptismum, si de Patre, Filio, & Spiritu Sancto aliter quis sentiat, quàm cœlestis doctrina insinuet, intelligendum est, dummodo per errorem sententiæ non destruatur veritas Diuinæ Trinitatis, & intentio Christi. Græci quippe, ex. gr. putantes, Spiritum Sanctum non procedere a Filio, validè baptizant in nomine Trinitatis, quia eorum error veritatem illius, ideſt, consistentiam trium Personarum in vna natura Diuina non destruit; at qui putant Filium, & Spiritum sanctum non Diuinas, sed creatas esse personas, destruit Trinitatis veritatem, atque adeo intentionem Christi in instituendo Baptismo; ergo inaniter baptizant.

Stat ergo ratio a Nobis adducta, quòd Fides iustificans debeat esse de Mediatore, siue de Christo, qui sit verus Deus; aliter non peruenitur per eam ad iustitiam, cùm ille, in quem creditur, & a quo speratur, non possit eam conferre. Immo, cùm Fides de Mediatore, qui sit pura creatura, sit falsa, per falsam Fidem certè peruenirì non potest ad veram iustitiam; præsertim, cùm et ipsa Fides pertineat ad iustitiam.

CAPVT III.

Ostenditur, non posse dare Fidem insufficientem ad salutem, sufficientem ad iustitiam.

1. BAnnes, Canus, Aragon, Auersa, & nonnullus alius putant, Fidem Dei supernaturalis Prouisoris sufficere quidem ad iustitiam, ad salutem verò vlterius requiri Fidem Mediatoris. Et quia ex hoc sequitur, aliquem iustum non posse saluari, dicunt, numquam euenturum, vt aliquis ex illa sola Fide iustus transeat ex hoc mundo, sed ante mortem reuelandum ei Mediatorem, vt saluari possit, idque pertinere ad Dei Prouidentiam:

Hanc sententiam æstimo omnino falsam. Etenim merito ipsius iustitiæ saluatur quisquis in ea perseuerat in finem: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, Matth.10. 20. *Si vis ad vi-*

vitam ingredi, serua mandata, Matth. 19. *Quos iustificauit, illos & glorificauit*, Rom. 8. *Hoc fac, & vives*, Luc. 10. Et intelligitur de vita æterna, sicut in Psalmo 18.: *Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam*; vt obseruat Augustinus Enarratione in ipsum: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*, Matth. 7. 21, Voluntas autem eius fit, cùm impletur lex eius: *In custodiendis illis retributio multa*, Psalm. 18.: *Bonum certamen certaui. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*, 2. Timoth. 4. Hinc laborantibus in vinea vsque sero, ideſt, obseruantibus præcepta vsque ad mortem, seu perseuerantibus in iustitia vsque in finem datur merces, Matth. 20., ex merito, scilicet, ipsius laboris: vnde dicitur: *Tolle quod tuum est, & vade*. Tuum, ideſt, tibi debitum; & non alio titulo, quàm diurni laboris.

2. Secundò. Iustus est Filius Dei adoptiuus, & hæres Regni: *Vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ*. Titi tertio: *Si Filij, & hæredes*, Roman. 8., & Galat. 4. Ergo ex ipso titulo iustitiæ, nullo alio requisito, debetur iusto Regnum Dei tamquam hæreditas: *Nos Spiritu ex Fide spem iustitiæ expectamus*, Galat. 5. Spes autem iustitiæ est vita æterna. Hinc idem Apostolus pro eodem sumit esse iustum, & esse saluum, quia, scilicet, ad iustitiam merito ipsius iustitiæ sequitur salus. Sic Rom. 10. postquam ostendit, ad iustitiam esse necessariam Fidem Incarnationis, & Resurrectionis Christi, concludit: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris*.

Tertiò. Iustus habet charitatem, qua iustus est; hæc autem vestis est nuptialis, qua intratur ad conuiuium, Matt. 22. iuxta expositionem Augustini contra Donatistas post Collationem ca. 20., Hieronymi, & Chrysostomi in illum locum Matthæi, & Gregorii homil. 38.; conuiuium autem illud vita æterna est: vnde idem Augustinus 15. de Trinitate cap. 18. ait, quòd Charitas diuidit inter filios Regni, & filios perditionis. Item contra Iulianum c. 3., cùm Iulianus quibusdam Romanis gentilibus veras virtutes tribuisset, veramque iustitiam, ipse infert, quòd si ita est, illi sunt in Regno Dei: *Per quod enim*, inquit, *vera iustitia per hoc, & Regnum Dei; Deus namq; ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius Regnum verus non admittatur iustus, cùm & ipsum Regnum eius iustitia sit, quemadmodum scriptum est*. Non est Regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium. Expressiùs autem, quòd

ad

ad ingressum in vitam æternam non requiratur Fides, siue notitia Christi, si absque ea potest haberi iustitia, idest, seruari mandata, asserit de Natura, & Gratia cap.2.: *Natura humana, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque iustitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna, etiam si in aliqua gente, aut aliquo superiori tempore Fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim iniustus est Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ, si eis non est annuntiatum Sacramentum Diuinitatis, & humanitatis Christi. Quomodo enim crederent, quod non audierunt, &c.* Et rursus: *Antequam hoc* (idest, prædicari Euangelium) *inciperet fieri, antequam denique vsque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipsa peruenire, quid faciet humana natura, nisi credendo in Deum, qui fecit cælum, & terram, a quo & se factam naturaliter sentit, & rectè viuendo eius impleat voluntatem, nulla Fide passionis Christi, & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potest, aut potuit, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus*: Ergo Christus gratis mortuus est. *Si per naturam iustitia; ergo Christus gratis mortuus est; si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura iustificari, & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est, vindicta nullo modo potest, nisi per Fidem, & Sacramentum sanguinis Christi.* Ecce Augustinus manifestissimè docet, iustitiæ deberi Regnum Dei, siue vitam æternam etiam sine Fide Christi, si sine hac illa potest haberi: ideo autem sine Fide Christi non posse haberi Regnum Cælorum, quia sine ea non potest haberi iustitia, idest, impleri Lex, seruarique mandata. Vnde valde discedunt ab Augustino, qui putant, vltra iustitiam requiri Fidem Christi ad salutem, cùm ad ipsam iustitiam, idest, ad rectè viuendum iuxta Augustinum requiratur Fides Christi. Et infringunt gloriam Christi, qua dicitur Sol iustitiæ, si vlla iustitiæ lux sine ipso, idest, sine fide, & gratia eius haberi potest. Nos autem Disputatio 20. cap.2. 3.4.5.6., & 8. latè ostendimus, nulli dari auxilia necessaria ad implendam legem, quæ viribus naturæ impleri non potest, nisi habenti Fidem in Christum, Fidem, inquam, explicitam, non eam, quæ continetur implicitè in Fide Dei prouisoris, vt dicunt illi, contra quos disputauimus cap.2. huius Disputationis; a quorum tamen sententia absunt etiam Doctores, cùm quibus modò disputamus; dum enim putant, ad salutem vltra Fidem in Deum prouisorem esse necessariam Fidem in Christum, manifestè supponunt, illam Fidem non esse Fidem in Christum.

3. Quartò Arguitur euertendo fundamentum sententiæ. Dicunt

Digitized by Google

cunt enim, ideo sufficere ad iustitiam Fidem in Deum prouisorem supernaturalem, quia ex ea Fide potest excitari amor Dei super omnia: durum autem videtur, vt eam habenti Deus semper deneget auxilium congruum ad illum amorem eliciendum, aut quòd illũ elicienti deneget gratiam sanctificantem; ergo potest haberi iustitia ex sola illa Fide.

Sed, cùm dicunt, ex Fide Dei prouisoris supernaturalis posse excitari amorem Dei super omnia, si intelligunt, illud fieri posse, quantùm est ex vi bonitatis obiecti cogniti, quia infinita est, aptaq; ad rapiendam ad se voluntatem, id quoq; fieri posset ab eadem bonitate Dei cognita per lumen naturę ex testimonio creaturarum; nam etiam per illud lumen, siue cognitionem cognoscitur infinita, & super omnia amanda; vnde Augustinus dicit, omnes creaturas dicere hominibus, vt Deum ament super omnia 10. Conf. cap. 6., & sic etiam cognoscenti Deum ex creaturis, deberetur auxilium congruum ad illam dilectionem, & subinde gratia iustificans, quòd ipsi nolunt. Nec possunt intelligere, quòd, posita illa cognitione Dei prouisoris supernaturalis, possit voluntas viribus suis amare Deum super omnia, nam ipsi requirunt ad id auxilium gratiæ. Ergo solùm possunt intelligere, quòd illa Fides, seu cognitio supernaturalis de obiecto supernaturali habeat aliquod meritum saltem de congruo, vt illam habenti Deus largiatur auxilium congruum ad charitatem, ne, scilicet, durus videatur Deus, vt dicunt. Sed tunc arguitur primò. Quia sic non rectè dicunt, ideo illi Fidei deberi auxilium congruum ad charitatem, quia ex illa potest excitari charitas; sed deberent dicere, quia habet meritum ad vberiorem gratiam a Deo accipiendam; nam, vt diximus, etiã ex cognitione naturali Dei potest excitari ille amor, quantùm est ex vi obiecti cogniti, nec tamen illi cognitioni debetur illud auxilium: quantùm autem est ex parte voluntatis, etiam posita cognitione illa supernaturali, ipsa est impotens ad charitatem habendam, vnde indiget auxilio gratiæ, vt ipsimet dicunt; ergo debitum largitionis illius auxilii debent fundare in merito illius cognitionis supernaturalis, non in eo, quòd ex illa cognitione possit excitari amor.

Sed tunc etiam arguitur. Quia, vel illa Fides habet illud meritum, quia est supernaturalis, siue entitatiuè, siue obiectiuè; vel quia Fides erga Deum est, idest, inclinatio, siue subiectio, siue obedientia intellectus, & voluntatis ad Deum. Primum fusè reiecimus supra Disput. 20. cap. 5. Si autem dicatur secundum, eadem

su-

Digitized by Google

subiectio, siue obedientia est in Fide naturali, si dari potest; ergo etiam hæc habebit meritum de congruo, vt sibi tribuatur auxilium congruum ad charitatem habendam, & gratiam sanctificantem; ergo poterit homo ex naturalibus habere meritum ad iustificationem.

Reuera enim, si Fides, Spes, & Charitates meritum habent apud Deum, non illud habent propter supernaturalitatem, siue entitatiuam, siue obiectiuam, sed quia Fides, Spes, Charitas in Deum sunt, ideſt, quia per Fidem intellectus subiicitur Deo, per Spem habetur fiducia in Deo, per Charitatem amatur Deus: hæ enim rationes omnium benè sentientium iudicio mouēt ad benefaciendum, vel redamandum eum, in quem creditur, in quem speratur, & qui amatur: vnde si possent illi actus haberi viribus naturæ, idem meritum haberent apud Deum, & Deus videretur durus, nisi tribueret. Hinc Augustinus de Prædest. Sanctor. cap. 2.: *Quis dicat, eum, qui credit, ab eo, in quem cœpit credere, nihil mereri?* Propter ipsam, scilicet, credulitatem, seu Fidem; nam si propter supernaturalitatem, iam qui crederet fide naturali, nil mereretur, quod ipse reputat absurdum, & a nullo dicendum. Ergo nulla ratione dicunt, quòd Fidei in Deum prouisorem supernaturalem debeatur auxilium congruum ad charitatem, si id non dicunt de Fide in Deum prouisorem naturalem.

4. Secundò. Illa Fides supernaturalis infunditur a Deo, & vtique per Christum, pertinet enim ad iustitiam, & salutem; nullum autem huiusmodi donum datur, nisi per Christum; absurdum autem videtur, vt accipiatur donum per Christum a non cognoscente Christum, per quem datur; ergo Fides pertinens ad iustitiam, & salutem data per Christum, est Fides in ipsum Christum, ipsaq; est initium nostræ iustificationis, cuius intuitu conceduntur auxilia ad Spem, Charitatem, bonaque opera, & datur ingressus ad vitam. Certè gratia vocationis, omnium gratiarum prima, est gratia vocationis ad Fidem in Christum, quam sequitur iustificatio, & glorificatio, ex Apostolo Rom. 8.

Tertiò. Habens illam Fidem, & merito illius auxilium congruum ad charitatem potest rectè viuere, & implere legem: plenitudo enim legis est dilectio Rom. 13. Ergo poterit aliquis rectè viuere, etiam si Christianus non sit; nam illa non est Fides in Christum, vt ipsi Aduersarii dicunt, atque adeo non facit Christianum. Quòd autem non Christianus possit rectè viuere, tamquam superbum, & impium Gentilium dogma execratur, & damnat August.

Enar-

Digitized by Google

Enarratio. in Psal. 31., & etiam de Natura, & Gratia cap. 2., cuius verba in hoc postremo loco supra retulimus.

Tamdem. Istius Fidei in Deum prouisorem supernaturalem tamquam sufficientis ad iustitiam nulla mentio apud Patres; ergo, cùm res sit grauissima non debuit a recentibus Scholasticis de proprio ingenio induci. Nec sanè, quantum video, adest ratio, cur Deus prius moueat ad Fidem in sui prouidentiam supernaturalem, quæ iustificare tantùm potest, non saluare, & non potiùs immediatè ad Fidem in Christum, a qua est vera salus, cùm ipsi æquè facilè sit vnum, ac alterum, & ideo moueat ad Fidem, vt saluet. Dicit quidem Apostolus Hebræor. 11., quòd *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Hæc tamen Fides potest haberi viribus naturæ, & a multis sæculi Philosophis est habita; quare non sufficit ad iustificationem, vt docet Magister in 3. dist. 31., & D. Tho. 22. q. 2. ar. 8., ipsiq; Aduersarii fatentur requirentes ad iustitiam Fidem supernaturalem. Est verò necessaria, quia non cognoscens Deum, eiusque prouidentiam non potest credere in Christum, qui ex Dei prouidentia destinatus est pro salute mundi

CAPVT IV.

Soluuntur Argumenta pro sufficientia alicuius Fidei ad iustitiam, non ad salutem.

1. PRincipale Argumentum desumitur ex historia Cornelii Actuum 10., cui merito suæ iustitiæ missus est Apostolus Petrus ad eum docendum de Fide Christi, quia sine ea saluus esse non poterat, vt Augustinus ait de Prædestinatione Sanctorum cap. 7.; ergo potest dari aliquis iustus, qui saluari non potest; sed nemo potest esse iustus sine aliqua Fide; ergo aliqua Fides sufficit ad iustitiam, quæ non ad salutem; talisque erit Fides Prouidentiæ Dei; hanc enim habebat Cornelius, qui orabat, & erogabat.

Respondebit fortè aliquis, Cornelium, antequam crederet

Digitized by Google

Petro, reuera non fuisse iustum; non enim ita appellatus est, nisi a viris ab eo missis ad Petrum, qui dixerunt: *Cornelius Centurio vir iustus*, de quorum iudicio non est curandum. Scriptura verò tantùm refert, orationes eius, & eleemosynas acceptas fuisse coram Domino; ex quo non videtur necessariò inferri, eum fuisse iustum coram eodem; nam & Nabuchodonosor eleemosynis redimere poterat peccata sua, Daniel.4., cùm tamen Gentilis esset; & de Iehu ipse Deus dixit, quòd studiosè fecisset, quod rectum erat, & placebat oculis suis, & erat in corde suo contra domum Achab, vnde & mercedem Regni accepit vsque ad quartam generationem, 4. Regum 10.30., qui tamen cupidine propriæ dominationis, atque adeo non rectè illud fecit, vt Augustinus ait contra Mendacium cap.2, eiusque cor non rectum fuisse coram Domino, nec recessisse a peccatis Ieroboam dicitur ibidem. Generaliter autem posse Deo placere, atque ab eo præmiari opera bona ex obiecto facta ab hominibus non bonis, ideſt, non iustis, Nos latè ostendimus lib.3. de Actibus humanis cap.32. Nec verum est, quod testatur Auersa, Cornelium ab Augustino appellatum iustum, antequam a Petro instrueretur in Fide Christi; tantùm enim Augustinus dicit, eum non sine aliqua Fide orasse, & erogasse, vt potest patere legenti caput illud septimum de Prædestinatione Sanctorum.

2. Sed hæc Responsio videtur durâ. Scriptura enim Cornelium vocat Religiosum, ac timentem Deum (quod fortè de timore filiali descendente de charitate intelligendum est, quæ charitas iustitiam tribuit) ac eumdem semper deprecantem; eique dictum est ab Angelo, quòd eius orationes, & eleemosynæ ascendissent in memoriam in conspectu Domini, sicut Tobiæ dictum fuerat a Raphaele, Tobiæ 12.12., qui ibidem 13. appellatur iustus. Quamuis autem hominibus non iustis propter opera bona ex obiecto retribuantur a Deo præmia, seu bona temporalia, non tamen spiritualia conducentia ad salutem æternam. Augustinus autem lib.1. ad Simplicianum quæst.2. dicit, Cornelium, eleemosynis, & orationibus suis dignum se præbuisse, ideſt, meruisse, cui Angelus mitteretur, pro salute vtique æterna comparanda; ergo non tantùm opera eius erant bona ex obiecto, sed ipse quoque vir bonus erat, & iustus.

Cæterùm, quamuis admittatur, Cornelium fuisse iustum, antequam ad eum ascenderet Petrus, non tamen necesse est admittere, ipsum fuisse iustum absque Fide in Christum, quod gratis suppo-

Digitized by Google

ponitur ab Arguentibus; immo, eum illa Fide imbutum fuisse non absque fundamento dici potest. Primò, quia inter Hebræos viuebat, & facilè eorum festis, & sacrificiis intererat; quare ab iisdem de Messia venturo, eiusque mysteriis, quæ per illa significabantur, instructus credi potest; maximè, quia testimonium iustitiæ suæ habebat ab vniuersa gente Iudæorum, vt dicitur Actuum 10. 22., quod non esset, si eorum festa non veneraretur, sacrificiisque interesset, licèt circumcisus non esset, ad quod non tenebatur. Sic etiam de Centurione illo, cuius puerum sanauit Dominus Mat. 8., rectè creditur, habuisse Fidem in Christum venturum ex institutione Hæbræorum, quos sic diligebat, vt synagogam eis ædificaret.

Secundò. Quia operibus suis dignum se præbuit, vt loquitur Augustinus, ideſt, meruit, vt ad se mitteretur Angelus pro aterna salute; meritum autem ad æternam salutem, siue ad media ad illam conducentia non potest haberi sine Fide in Christum; aliter posset dari meritum ad ipsam Fidem, quod est hæreticum, & in Pelagio damnatum; ergo Cornelius habebat Fidem in Christum, antequam Petrum audiret.

3. Sed dicetur: Vt quid ergo ad eum missus est Petrus? Et quare Augustinus dicit, ideo missum esse, quia ipse sine Fide Christi saluus esse non poterat?

Respondeo, ideo missum, vt eum doceret, venisse iam Christum, & non ampliùs expectandum: hoc enim de necessitate salutis erat credendum post impleta myteria mortis, & resurrectionis Christi, maximè in illa regione, in qua impleta erant, & incepta prædicatio Euangelii: aliter, & modò saluari possent Hæbræi in Fide Christi venturi. Insuper, vt doceret, quòd ille homo, quem Cruci tradiderat Pilatus, erat Christus; quod etiam ad salutē necesse erat credere; id enim infideles Iudæi negabant, quamuis crederēt in Christū in Lege promissum; vnde in eo Paulus confundebat Iudæos, qui erant Damasci, affirmas, quoniam hic est Christus, Actuum 9. ideſt, hic Iesus Nazarenus, quem Iudæi crucifixerant. Ideo ipse Tim. 1. dicit, se misericordiam consequutum, vt fidelis esset, quia ignorans fecerat in incredulitate persequens Ecclesiam; non quia antea non crediderat in Christum venturum; quomodò enim id posset, & Iudæus, & Pharisæus, & tantus Legis Doctor? Sed, quia non crediderat, Christum iam venisse, & illum esse Iesum a Iudæis crucifixum. Atque id patere potest ex ipsa concione Petri ad Cornelium, & socios, in qua dicit: *Vos scitis, quod factum est*

Digitized by Google

verbum per vniuersam Iudæam, &c. Et ita explicat Magister in 3. dist. 25. Item, vt doceret, etiam gentes pertinere ad gratiam Christi, & per eius Fidem saluari posse. Putabant enim Iudæi, ad se tantùm pertinere illam gratiam merito circumcisionis, & obseruantiæ Mosaycæ Legis, vnde, & gentes volebant circumcidi, & legalia seruare ad eam participandam, vt patet Actuum 12., & ex Epistola ad Galatas; atque id maximè inculcat Petrus in ea concione, in qua sic incipit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Compererat, nimirum, perlinteum descendens de Cælo repletum omnibus quadrupedibus, & serpentibus terræ, & volatilibus cæli; quæ visio facta est ei in Ioppen, cùm appropinquarent ad ipsum viri a Cornelio missi; qua doctrina mirificè lætificauit Cornelium, & socios. Non ergo ex missione Petri ad eum, vt eumdem instrueret in Fide Christi, rectè colligitur, ipsum antea sine Fide in Christum iustum fuisse.

4. Arguitur secundò ex Pisani supra Propositionem 22. num. 7. Non est ex natura rei, ideſt, iustificationis, vt nullus possit iustificari, nisi ex Fide in Christum; sufficit enim Charitas, quæ excitari potest ex cognitione Dei Prouisoris supernaturalis; sed sine Fide Christi nullus potest saluari; ergo dabitur aliqua Fides sufficiens ad iustitiam, non ad salutem, & aliquis iustus, qui non possit saluari.

Respondetur hoc Argumento probari, quòd possit haberi iustitia ex pura Fide naturali Dei, ideſt, ex cognitione eius ex creaturis, etiam sine Fide Dei Prouisoris supernaturalis; quod nec ipsi Doctores volunt, cum quibus disputamus, & prorsus impium est, ac Pelagianum, damnatum insuper in hoc Decreto Propositione 23. nam etiam ex pura cognitione Dei, vt authoris naturæ potest charitas excitari. Dicendum ergo primò, quòd falsum est Antecedens; non enim potest haberi iustitia, cùm non redditur vnicuique, quod ei debetur; at Christo debetur Fides titulo redemptoris, sicut Deo titulo Creatoris; ergo qui non habet Fidem in Christum non potest esse iustus, sicut non potest, qui non habet fidem in Deum. Dicendum secundò. Non posse diligi Deum super omnia, nisi ex auxilio gratiæ per Christum, etiam posita quacumque instructione, aut directione, & præcepto Legis; quod supponendum est ex materia de Gratia, & facilè patere potest ex Epistolis ad Romanos, & Galatas, in quibus Apostolus contendit

Digitized by Google

dit, non posse impleri Legem nisi ex Spiritu Fidei in Christum; quæ impotentia est propter præceptum diligendi Deum super omnia, & non concupiscendi: Illud autem auxilium, non dari nisi credentibus in Christum, apertissimè colligitur ex eisdem Epistolis (aliter posset impleri Lex sine Fide in Christum, quia, qui diligit, Legem impleuit, Roman. 13. 8.) & Nos probauimus Propositione 23. Clamat quidem vniuersa creatura, diligendum super omnia Deum, eo ipso, quo specie sua infinitam bonitatem ostendit creatoris: sed, vt ait Augustinus 10. Confess. capit. 6.: *Altiùs tu misereberis, cui misertus eris; alioquin cælum, & terra surdis canunt laudes tuas.* Itaque cognoscere potest homo ex Lege, siue fortè etiam ex natura, Deum amandum super omnia; sed hoc gradu, siue mensura amoris illum amare non potest, nisi ex auxilio gratiæ per Iesum Christum Dominum nostrum.

5. Sed hic dicetur; ergo carentibus prædicto auxilio non est imputabile ab culpam, si Deum super omnia non diligant: non enim possunt.

Respondeo, hanc difficultatem soluendam etiam ab Aduersariis putantibus, ad habendum illud auxilium requiri saltem Fidem Prouidentiæ Dei supernaturalem, quæ Fides gratis datur, ac proinde denegari potest; ei ergo, qui caret illa Fide, non est imputabilis ad culpam carentia dilectionis Dei super omnia.

Ab eis ergo etiam admittendum est illud Consequens, & Consequentia, sicut a Nobis: nec vlla exinde sequitur absurditas, sicut absurdam non est, non imputari ad culpam infidelitatem negatiuam eius, qui nihil audiuit de Christo, seu Euangelio; de qua re diligenter egimus Lib. 1. de Actibus Humanis cap. 13. Verùm illud auxilium nulli, vel proximum, vel remotum denegari, credendum est.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Soluuntur Argumenta contra necessitatem Fidei explicitæ in Christum ad salutem omni tempore.

1. QVòd ad salutem tempore naturæ, & Legis sufficeret credere implicitè in Christum, credendo nempe in Deum Remuneratorem, & Prouisorem supernaturalem, opinantur Abulensis comm. in 4. Prologum Matthæi, Suarez disp. 12. sect. 3. num. 15., & plurimi Recentiorum.

Arguunt primò. Quia medium simpliter necessarium ad finem debet esse promulgatum ordinatis ad finem; at Christus, ideſt, Diuina in carne Persona non fuit promulgatus illo tempore gentibus, nec generaliter ipsis Hebræis, quorum plures credebant, Messiam futurum esse purum hominem; nonnulli etiam non animarum Saluatorem, aut æternæ largitorem felicitatis, sed corporum, & temporalium bonorum; ergo non erat tunc necessaria Fides explicita in Christum.

Respondetur, Argumentum nimis probare, nempe, non tantùm omnibus fuisse reuelandum mysterium Incarnationis, sed vel etiam Fidem de eo inspirandam, vel saltem, potuisse homines posita reuelatione viribus naturæ eidem assentiri. Nam ideo videtur omnibus ordinatis ad finem reuelandum medium simpliciter necessarium, vt possint illud assumere, seu adhibere ad finis consequutionem, nisi enim adhibeatur, nihil confert ad eam; per Fidem autem assumitur, seu adhibetur medium Verbi incarnati, credendo ipsius incarnationem; ergo vel non tantùm medium reuelandum, sed Fides in ipsum inspiranda erat; vel potuissent homines, posita reuelatione, ex se ipsis apprehendere illud per assensum Fidei. Sed incarnatio Verbi non fuit ab exordio mundi, immo neque modò est omnibus reuelata, & Fides in ipsam non ex viribus arbitrii, sed ex Dei gratia est, quæ nulli debetur, aliter non esset gratia, Roman. 7. 6.; ergo Argumentum, vel nimis, vel nihil probat,

Rur-

Digitized by Google

Rursus. Neque prouidentia Dei naturalis fuit omnibus cognita, immo a pleriſque ſeculi Philoſophis exploſa: neque ab omnibus potuit naturali ingenii virtute cognoſci, vel ex hebetudine, vel quia non potuerunt ſtudio vacare Philoſophiæ; præcipuè cùm ipſa litterarum notitia, neque ab exordio mundi habita ſit, neque in omnes diffuſa; immo in paucas Nationes, pluribus in ſua barbarie remanentibus. Prouidentia autem Dei ſupernaturalis, neque potuit naturali virtute cognoſci, neque omnibus reuelata eſt; ergo vel negandum eſt, cognitionem huius Prouidentiæ fuiſſe ſemper, & omnibus neceſſariam ad ſalutem, vel non ideo neganda neceſſitas Fidei in Chriſtum, quia Chriſtus non fuit omnibus reuelatus. Qui neque modo omnibus gentibus innoteſcit; ſuperſunt enim, quæ adhuc eius nomen non audierunt; nec tamen, credo, Arguentes negabunt, modò fidem Incarnationis eſſe neceſſariam ad ſalutem.

2. Dicendum ergo, non omnes homines eſſe proximè ordinatos ad ſalutem, quamuis omnes ad eam ordinati ſint remotè in generali præparatione cauſarum, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Non eſt ergo neceſſarium, vt omnibus reuelatus ſit, vel reueletur Chriſtus, quia de iis, quibus reuelatus non eſt, nec erit, dicendum eſt, non eſſe proximè ordinatos ad ſalutem. Auguſtinus de Correptione, & Gratia cap. 7. ita diſſerit de electis, & non electis; quòd, ſcilicet, pro electis procuratur eis audiendum Euangelium, &, cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vſque in finem perſeuerant. Non electi verò, quandoque nec audiunt Euangelium, vel per ætatem paruulam credere non poſſunt, & non accepto regenerationis lauacro mortui pereunt. Sicut ergo non omnes ſunt electi, ita nec omnes proximè ordinati ad ſalutem; & ſicut non electis non datur, vel Fides, vel Charitas, vel perſeuerantia, ita non eſt neceſſe, vt iiſdem omnibus reueletur Chriſtus. Nec tamen, quibus reuelatus non eſt, poſſunt ſe excuſare de damnatione, vt oſtendit Auguſtinus ibidem, & alibi. Indubiè autem initium noſtræ ſalutis non eſt ex nobis, ſed ex Dei gratia; velle autem, vt medium ad ſalutem neceſſarium omnibus in promptu ſit ad vtendum, eſt velle, vt initium noſtræ ſalutis ſit in poteſtate noſtra. Verùm, ſicut Deus potuit non decernere Chriſtum pro ſalute humani generis, immo homines relinquere in ſui damnatione; ita poteſt aliquibus non inſpirare Fidem in Chriſtum, immo

nec

Digitized by Google

nec eius notitiam illis tribuere, quæ de eius gratia descendit; aliter illa non esset specialis gratia specialiter agnoscenda.

Hebræis autem clarè per plures scripturas reuelatus est Messias, tamquam Deus in carne venturus. Isaiæ 52. 6.: *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Notissimum autem erat Hebræis, Deum loquutum esse in Prophetis. Item 35 4.: *Deus ipse veniet, & saluabit vos.* Et cap. 9. 6. de Messia dicitur: *Vocabitur nomen eius Deus, &c.* Et cap. 7. 14.: *Vocabitur nomen eius Emmanuel;* quod interpretatur: Nobiscum Deus. Si qui autem Hebræorum Messiam purum hominem credebant, per eius Fidem iustificari non poterant; tum quia falsa erat; tum quia is, in quem credebant, iustificandi vim non habebat; multò minùs, qui ab eo bona tantùm temporalia expectabant.

3. Argui potest secundò. Fides explicita in Christum Redemptorem supponit notitiam peccati originalis: hoc autem incognitum fuisse videtur ante Abraham, qui primus pro eo delendo præceptum accepit circumcisionis; ergo poterant tunc iustificari homines absque Fide in Christum Redemptorem.

Respondetur, Maiorem non esse necessariam; etenim etiam pro peccatis actualibus, secluso originali, opus erat redemptione. Non tamen videtur omnino incognitum fuisse peccatum originale ante Abraham: potuit enim eius cognitio propagari in posteros ex traditione Adam, & Euæ, & pro eius deletione offerri sacrificia, sicut pro peccatis actualibus; vel interna contritione remitti.

Argui potest tertiò. Ad cognoscendam Christi Incarnationem necesse est cognoscere Trinitatem, vel saltem pluralitatem Diuinarum Personarum; sed non videtur hæc cognitio fuisse omni tempore necessaria ad iustitiam; ergo neque Fides Incarnationis.

Respondetur, Maiorem non esse veram. Potest enim cognosci Incarnatio Personæ Diuinæ, absque discretione Diuinarum Personarum, idest, ignorando, vel præscindendo, an illa Persona sit Pater, an Filius, an Spiritus Sanctus, immo, an in Diuinis sit Trinitas.

Diuus quidem Thomas 22. qu. 22 art. 8. dicit, Mysterium Incarnationis Christi explicitè credi non posse sine Fide Trinitatis, cùm per illud importetur, quòd Filius Dei carnem assumpserit, quòd de Spiritu Sancto conceptus, quòd per huius gratiam mun-

Digitized by Google

mundum innouauerit. In Argumento etiam: *Sed contra* probat, neceſſariam fuiſſe a principio Fidem explicitam Trinitatis; quod Argumentum relinquit inſolutum. In Corpore autem articuli dicit, illud ante Chriſti aduentum fuiſſe implicitè, & quaſi obumbratè creditum a Minoribus, a Maioribus autem explicitè.

Sed Diuus Thomas ſumit cognitionem explicitam Incarnationis, pro vt illa includit omnia ab ipſo enumerata; qua ratione in ſuis terminis includit Trinitatem. Sed non eo ſenſu dicimus, explicitè credendam Chriſti Incarnationem, ſed tantùm, vt dicit aſſumptionem humanitatis a Diuina Perſona per contradiſtinctionem ab eorum ſententia, qui putant ſufficere Fidem implicitam Chriſti contentam in Fide Prouiſoris ſupernaturalis, aut Mediatoris: atque hoc modo non includit ea, quæ memorantur a Diuo Thoma.

Fidem autem Trinitatis non putamus fuiſſe omni tempore neceſſariam; videtur enim hoc myſterium fuiſſe valde occultum, vtpotè nec per antiquas ſcripturas clarè traditum, quamuis multa ex illis ad ipſum inferendum colligi poſſint. Hebræi autem modò viuentes, etiam qui notitiam habent ſcripturarum, adeo illud non credunt, vt Nos Fideles, vt idololatras traducant tamquam trium Deorum cultores, quia in Deitatis natura Trinitatem colimus perſonarum, quam non putāt cum illius vnitate conſiſtere. Accedit; quòd nihil deperire videtur gloriæ Chriſti, quæ de eius Diuinitate, & opere Redemptionis eſt, ſi non cognoſcatur Trinitas Deitatis. Lateret autem magna gloria eius, ſi non cognoſcatur vt Deus, & Redemptor: nec, quantum video, loca adſunt ſcripturarum, quibus neceſſitas Fidei in Trinitatem adſtruatur, ſicut adſtruitur neceſſitas Fidei Incarnationis Chriſti. Refragandum autē magnopere non æſtimamus, ſi oppoſitū contendatur. Sed, ſi quis dicat, agnoſci implicitè Trinitatem per Fidem Prouiſoris ſupernaturalis, aut Mediatoris, aut etiam Diuinæ Perſonæ in carne, hunc modum loquendi non probamus, vt patet ex dictis cap. 1.

Nullum ex ſcripturis, quibus maximè in re tanta inniti oportebat, video contra noſtram ſententiam depromi Argumentum, ſed neque ex Patribus. Quæ verò ex ratione allata ſunt valde leuia, & penè friuola ſunt, vt ex dictis patet; ergo Aduerſariorum ſententia tamquam gratis excogitata, abiicienda eſt.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Ostenditur falsitas Propositionis. damnata.

1. EX dictis patet, quanta falsitate dicatur capax absolutionis, qui ignorat Mysterium Incarnationis. Si enim etiam tempore Legis naturæ necessarium simpliciter fuit ad salutem, non solùm Incarnationem credere, sed etiam mortem, & resurrectionem Christi Domini nostri, quantò magis tempore gratiæ, reuelata iam Fide, & Euangelio promulgato? Hinc Magister in 3. dist. 25. ait: *Tempore gratiæ constat certissimè, id non sufficere* (ideſt credere, quòd Deus sit, & remunerator sit) *oportet enim, vniuersa credi, quæ in symbolis continentur*. Apostolicæ quidem litteræ semper inculcant resurrectionem (quæ sine morte, & Incarnatione nec esse, nec credi potest) quoties memorant Fidem, & nomen Christi. Actuum 3.: *In nomine Domini nostri Iesu Christi, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis*. Et ibidem 26.: *Vobis primùm Deus, Iuscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis*. Et cap. 13.: *Vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit Filijs nostris resuscitans Iesum*: Et cap. 14.: *Reputabitur* (Fides) *credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. Prima Thessal. 1. *Conuersi estis seruire Deo viuo, & verò, & expectare Filium eius de cœlis, quem suscitauit ex mortuis*. Et plurima talia.

Inter quæ illud maximum est, quòd, cùm Petrus Actuum 1. nouum Apostolum in locum Iudæ proditoris subrogandum proponeret, ita locutus est, vt diceret: *Oportet testem resurrectionis eius* (Iesu Christi) *nobiscum fieri vnum existis*. Quasi Apostolatus officium in sola consisteret testificatione resurrectionis. Vnde & Ecclesia in officio Apostolorum tempore Paschali illud tantùm commemorat de eorum prædicatione, quòd virtute magna redderent testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri; quia, nimirum, in testimonio resurrectionis continetur testimonium mortis, & In-

Digitized by Google

& Incarnationis, quæ tria necessitate medii credenda sunt ad iusti-tiam, & salutem.

Si autem tempore gratiæ simpliciter, & absolutè, ideſt, etiam nullo supposito actuali peccato, necessaria est ad salutem Fides Resurrectionis, atque adeo Incarnationis Christi, testante Athanasio in Symbolo, necessariũ esse ad æternam salutem, vt Incarnationem Domini nostri Iesu Christi quis fideliter credat, &, quòd passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, & tertia die resurrexit a mortuis; quantò magis ad percipiendam peccatorum remissionem in Sacramento Confessionis? Plura enim tunc requiruntur ad iustificationem, quàm nullo supposito actuali peccato

2. Sicut enim, ita exigente ratione iustitiæ, non ita plena, & integra, quantum ad pœnam, tribuitur peccatorum remissio ei, qui amicitiam cum Deo contractam per peccatum abrupit, ac ei, qui primũ ad eam accedit, vt ait Trid. sess. 14. c. 2. & 8., ita, nec quę sufficiunt ad primã iustificationẽ obtinendã, sufficiũt ad secũdã, & sequẽtes. Hinc ad eã, quæ fit in Sacramento Baptismatis non requiritur peccatorũ confessio, nec pro illis satisfactio, requiritur autem ad eã, quæ fit in Sacramento Pœnitẽtiæ. Sed & ipsis adultis accedentibus ad Baptismũ necessaria est propria Fides in Christũ (pro infantibus requiritur aliena) ergo multò fortiùs accedentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ illa est necessaria. Incapax quoque est beneficii recipiendi, qui benefactorem, a quo accipere debet, non cognoscit; sed beneficium absolutionis datur a Christo per ministros suos Sacerdotes; ergo, vt recipiatur, debet per Fidem Christus agnosci. Si autem potest etiam sine Fide Christi obtineri remissio peccatorum, quare non poterit, etiam si non cognoscatur, quid sit peccatorum remissio, & quid sit Deo offenso reconciliari? Sanatur certè ægrotus, etiam si nesciat qualitatem morbi, & medicaminis; sed alia est ratio efficientiæ naturalis, alia voluntariæ. Prorsus ergo absurdum est, vt capax sit beneficii absolutionis recipiendæ, qui Christum beneficium illud dantem non cognoscit. Ipso tempore Legis Mosaycæ non tribuebatur in Sacrificio pro peccato remissio ab eo, nisi ex Fide Christi venturi; ergo multò magis modò non tribuitur in Sacramento Pœnitentiæ, in quo offertur Deo cor contritum, & humiliatum, nisi habeatur Fides Christi, qui iam venit, & mortuus est, & resurrexit.

3. Esse quoque necessariam in Lege gratiæ (quidquid sit de tempore Legis Mosaycæ, & Naturę) Fidem Trinitatis, quæ gratię tempore apertè reuelata est, docet, & probat Diuus Thomas 22.

Digitized by Google

qu. 2. art. 8., quia homo renascitur in Christo, & remissionem accipit peccatorum per illius inuocationem iuxta illud Matth. vltimo: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et subditur Marci 17.: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Cùmque in ipso Pœnitentiæ Sacramento detur absolutio in eodem nomine, hinc etiam specialiter ad eam obtinendam requiritur ea Fides.

Quare meritò damnata est Propositio, quæ capacem pronuntiat absolutionis ignorantem mysteria Trinitatis, & Incarnationis: & cùm addit, id esse verum, etiam si illa ignorantia sit culpabilis, cumulum complet temeritatis.

CAPVT VII.

Soluuntur Argumenta pro damnata Propositione.

1. POtest pro ea argui primò. Qui semel credidit in Christum, vel recepit in Baptismo habitum Fidei infusæ, iam incorporatus est Christo; ergo vt membrum eius potest ab ipso recipere influxus gratiæ tamquam a capite; ergo potest recipere gratiam remissionis peccatorum per absolutionem Sacramentalem, etiam si numquam elicuerit actum Fidei in Christum, eumdemque ignoret.

Respondetur primò, membra mortua non recipere influxus a capite: existens autem in lethali, etiam si baptizatus sit, est mortuum membrum in corpore mystico Christi: vnde potest illi omnis gratia denegari; quamuis Deus, qui resuscitat mortuos, etiam talibus ex suæ plenitudine bonitatis largiatur gratiam, qua reuiuiscant. Secundò. Beneficia omnia præter ipsam Fidem tribui merito Fidei, vt dictum est supra Cap. 3.; ignorantem autem mysteria Fidei, vel nullam habere Fidem, vel, si habet infusam in Baptismo, perinde esse, ac si non haberet, si quidem numquam prodiit in actum. Et rursus; ad impetranda Dei beneficia requiri Fidem saltim virtualiter, nam intentio prout habitualiter tantùm manens, nihil operatur, vt docet communis sen-

ten-

Digitized by Google

tentia ; in ignorante autem mysteria Fidei non adest Fides virtualis, sed tantùm habitualis; ergo ille non est capax recipiendi beneficium absolutionis. Tertiò. Neque per Baptismum dari adulto remissionem peccatorum, nisi priùs crediderit in Christum, & Trinitatem, cap. *Ante Baptismum* cum reliquis de Consecratione dist. 4. Dixit enim Christus Marci 19.: *Qui crediderit* (primùm) *& baptizatus fuerit, salvus erit*. Et priùs præcepit docere, deinde baptizare, Matth. vltimo: qui etiam antequam cæcum ad aquas Siloe mitteret, liniuit oculos eius, Ioann. 9. Vnde Hieronymus lib. 4. in Matth.: *Non potest fieri, vt corpus Baptismi recipiat Sacramentum, nisi antea anima Fidei receperit veritatem*. Ergo multò minus dari potest remissio peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, nisi credatur in Christum, & Trinitatem; hoc autem facere non potest, qui ea mysteria ignorat.

2. Potest argui secundò. Videtur Fides in Ecclesiam, qua, scilicet, quisque credat, vel credere paratus sit, quæcumque illa credit, & credenda proponit, sufficere ad absolutionem Sacramentalem percipiendam: multi enim Fideles ignorant pleraque mysteria Fidei, quibus tamen sufficit habere illam Fidem in Ecclesiam. Atque hoc benignius putat Tamburinus, & impugnare non audet Sà.

Respondetur, credenti in Christum posse quoad aliqua mysteria ab eo ignorata sufficere illam Fidem in Ecclesiam. Absolutè autem, sicut sine Christo nulla est Ecclesia, ita sine Fide in Christum nulla est Fides in Ecclesiam; debet enim Fides esse in Ecclesiam Christi, ita vt propter Christum quis sequatur Ecclesiam; ergo iam illa Fides, quę Christiana dicitur, principaliter tendit in Christum. Si autem habetur Fides in Ecclesiam, & non in Christum, illa Fides nec est Diuina, nec Christiana, neque iustificans, quia Ecclesia sine Christo iustificare non potest. Ad acquirendam enim iustitiam requiritur Fides in iustificantem iuxta illud Apostoli Roma. 4. *Credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur Fides eius ad iustitiam*; vnde Augustinus eo Argumento premit Donatistas putantes, Baptizato conferri iustitiam ex sanctitate, & merito ministri baptizantis, quia, scilicet, tunc in Baptizato requireretur, & sufficeret Fides in baptizantem, quod nephas est asserere. Sed Ecclesia seipsa iustificare non potest; ergo nulla est Fides in Ecclesiam absque Fide in Christum. Rursus. Caput, origo, radix, fons Christiani non est Ecclesia, sed solummodò Christus; quod

nec

Digitized by Google

nec ipsi Donatistæ summi schismatici, & superbissimi hæretici negare ausi sunt, vt patet ex Cresconio apud Augustinum lib. 3. contra Cresconium cap. 7., licèt crederent, baptizato conferri iustitiam a Ministro baptismatis; ergo Fides in Ecclesiam absque Fide in Christum inanis est. Sententia hæc de sufficientia Fidei in Ecclesiâ refertur damnata per Gregorium XI. in Directorio Inquisitorum part. 2. qu. 10.

65. Propositio, si, vt apparat, intendat sufficere ad capacitatem absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ semel credidisse illa mysteria Fidei, impugnata remanet ex dictis capite præcedenti; si verò intendat, sufficere ad implendum præceptum Fidei, impugnata est Propositione 17., vbi ostendimus, pluries eliciendum actum Fidei ex vi præcepti illius virtutis. Mirum est autem, potuisse a Christiano hanc Propositionem proferri: posset enim tunc dici, Christianam viuere vitam is, qui ita oblitus sit Christi, vt eius penitus non recordetur. Nec plura contra eam dicenda existimo.

FINIS.

Vniuersa in hoc Opere contenta correctioni subjcio S. Matris Ecclesiæ, omniumque meliora sapientium.

Digitized by Google

Reponenda sunt in calce Disputation. 25. contra Prop. 28. p. 299.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

MVltò autem magis militat contra Propositionem Lex zelotypiæ a Deo lata Num. 5. per quam viro suspicanti de fide, seu castitate vxoris, qui tamen nec eam in delicto deprehenderat, nec illud per testes probare poterat, dabatur facultas, eam ad purgationem per aquas amarissimas, in quas, scilicet, congestæ erant execrationes, & maledicta, compellendi; quibus epotis, si illa in crimine esset, emarcebat femur eius, & vterus tumens disrumpebatur.

Ecce mulier compellebatur ad factum, per quod crimen eius occultum, si inerat, aperiebatur; quæ insuper ad maledicta, & execrationes aquarum tenebatur respondere: *Amen*; cui responso, nescio, an posset subdi restrictio mentalis; & tamen, etiam si subderetur, nihil proderat. Vt autem arbitror, non est grauius in hisce cogi ad iuramentum, quàm ad mortis periculum, in quo tamen ipso aderat quodammodo iuramentum per responsum: *Amen*. Sed, sicut ibi æquitas seruabatur, quia nec mors, nec periurium accidisset, nisi criminosis, ita & hic; quare in eorum culpam, non in iniquitatem legis illa mala sunt reuocanda. Sed sicut ibi propter solam suspicionem iustè indicebatur illa purgatio, ita & iustè hic, etiamsi non adsit suspicio, indicitur iuramentum, quia lex est generalis pro bono Reipublicæ,

atque

Digitized by Google

atque adeo in nullius contumeliam : Et ſicut ibi non poterat recuſari purgatio ea ratione, quia crimen, etiam ſi commiſſum, eſſet occultum, ita & hic. Et fortè, nec rectè poteſt dici, quòd ibi mulier cogeretur reuelare crimen occultum, quia directè tantùm ad ſe purgandam inducebatur, indirectè autem, & quaſi per accidens, ideſt, ex crimine commiſſo ſequebatur eius reuelatio, quòd ſi commiſſum non eſſet, innocentia demonſtrabatur. Vel ſi id dici poteſt, adhuc iuſtè ad id mulier compellebatur; ergo nullum eſt fundamentum pro facultate iurandi ſub diuerſa intentione ab ea, quæ exigentis eſt, eo quia non teneatur quis fateri crimen occultum.

Sed illud eſt maximè attendendum, quòd ibi pro ſolo iure priuato viri aduersùs vxorem, & pro iuſta eiuſdem ſatisfactione, vel vindicta, infamiæ, doloris, mortiſque periculo expoſita purgatio indicebatur mulieri; quantò ergo iuſtiùs, & mitiùs pro bono Reipublicæ a Rege indicitur tantùm illud iuramentum aſſequentibus Magiſtratum?

Fortè dicetur, authoritate Diuina poſſe ſimilem legem condi, non autem humana.

Verùm, ſi illa lex zelotipiæ a Deo condita eſt, ſequitur, non eſſe contra naturalem æquitatem; ergo neq; lex ſimilis de illo iuramento præſtando; tendit autem illa in bonum publicum; ergo etiam humana authoritate ferri poteſt.

* * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * *

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM COPIOSVS
Per Disputationes, Capita, & Paginas distinctus.

A.

AAron honorauit idolum, quem conflauit adorandũ, & ideo peccauit, nec excusatur ex metu mortis. Disp.45. Cap.9. pag.517.518. & 519.

Abimelech Rex Geraræ, & alter Rex Palæstinorum exhoruerunt adulterium materiale, ideſt, ex ignorantia inuincibili procedens. Disp.2.ca.1, pag.97.

Abner, quamuis peccaret persequens cum Saule Dauid, peccauit tamen non custodiendo vitam Saulis etiam aduersùs Dauid. Disp.45. ca.4. pa.499.

Abortum procurare etiam fetus nondum animati, ne puella deprehensa grauida infametur, aut occidatur, peccatum est. Disp.22. pag.352. Pertinet ad homicidium, quia disturbat animam nascentem. Ibid.

Abraham, cæterique Patriarchæ non libidine, sed charitate erga Deum ad multiplicandum populum fidelem prænuntium Christi, vxotes, & plures vno tempore duxerunt. Disp.44. ca.4. pa.476.

Abraham obediuit Sarę de superinducenda Agar vxore, quia putauit, Dei nutu eam id velle. Disp.44. ca.4.pa.479. Ipse primus inculpabiliter plures habuit vxores. Disp 44. ca.4. pa.474.

Absolutio non est danda moribundo nulla danti signa doloris de peccatis. Disp.1. ca.5. pag.79. Nec a Sacerdote existente in lethali, & non conterente. Ibid. pa.75. Neque eius est capax ignorans mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Disp 57. ca.6. pa.610. Nec licet absoluere dimidiatè, aut partialiter confessos ratione magni concursus. Disp. 57. pa.565.

Abstinentia a carnibus licita est in morbo, etiam si cognoscatur, ęgrotum non nisi per esum carnium instaurari posse. Disp. 27. ca.1. pa.328. Immo etiam si cognoscatur per esum car-

Digitized by Google

nium certò instaurandum. Ibid. pa 330. Non licet autem in periculo mortis ex fame. Ibid. 330.

Abstinere tenemur ab operibus indifferentibus, immo etiam bonis, si ex eis experti sumus sequi pollutionem. dis 43. ca. 4. pa.459.

Academici de omnibus dubitabant, non ex pura nescientia, sed propter rationes probabiles ex vtraque parte contradictionis. dis. 1. ca,2. pa.20., & cap.3. pag.24 Extendebant probabile etiam ad leue motiuũ. Ibid. Eorum sectam, siue doctrinam quadamtenusin Ecclesiam inducunt recentes Probabilistæ. Ibid. pa.24. Cõtra quos militant aliqua argumenta Augustini contra Academicos. Ibid. pa.20.

Accipere temporale pro spirituali etiam non tamquam pretium, sed tamquam purum motiuum, simoniacum est: sicuti & dare. disp.40. cap.1. pa.402. Etiam si habeatur, vt finis secundarius; si tamen ita respiciatur, vt sine eo non fieret, vel conferretur spirituale. Ibid ca.2. pag.408. Secus, si absque eo fieret. Ibid. pa.409.

Acceptio Personarum est eligere dignum reiecto digniore. dis. 41. pa.419.

Accipere alienum in extrema necessitate licet, quia tunc nihil est alienum, cessante diuisione rerum. dis.32. pa.364. In graui non licet. Ibid.

Accipere alienum sibi debitum iuris ordine prętermisso non licet; nisi creditor non possit experiri, vel obtinere ius suũ. dis.35. p.368. Tenetur tamen tunc prouidere, ne sequatur damnum, aut inconueniens, & vt debitor cognoscas, se solutum onere debiti. Ibid. pa.367

Actio non est cooperatio passioni, nec e contra. dis.45. pag. 500. Nec actio vnius causæ partialis est in alteram alterius causæ partialis, sed quęlibet in effectum. Ibid.

Actioni conuenit per se, non per accidens, quidquid ei conuenit ex intentione agentis, quantùm ad contrahendam bonitatem, & malitiam. disp. 42. ca.2. pa.437.

Actus entitatiuè naturalis, & entitariuè supernaturalis circa idem obiectum formale repugnat. disp.20. cap.4. pag. 215.

Actum dilectionis Dei non sufficit semel tantùm in vita elicere ad vitandum mortale. dis.2. pa.93. Tunc elicitio illius actus, esset veluti peregrinatio ad Męcham, quæ semel tantùm in vita præcipitur Mahometanis. Ibid. ca.1. in fine Nec sufficit singulis quinquenniis: tunc enim Christia-

Digitized by Google

ſtiani longè peiores eſſent Mahometanis, qui ſingulis quadriennijs tenentur ſe præſentare parenti, eique obedientiam, & cultum exhibere. diſ.3. pa.107. Nec ſingulis feſtis. diſ.2. ca.2. p.101. Nec quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam. diſ.4. pa.108. Sed pluries; etiam quoties occurrit tentatio peccādi, quia peccata ex dilectione Dei vitanda ſunt, ſi, vrgentibus eorum periculis, Dei memoria habeatur. Ibid. ca.1. pa.96., & c.2. pa.103. *Vide* Charitas.

Actus Fidei quoties ſit eliciendus. *Vide* Fides.

Actus interni coniungendi cum externis cadunt ſub præcepto ſuperioris humani etiam ſæcularis. diſ.49. ca.1. pag.539. Merè verò interni ſub præcepto Superioris Regularis. Ibid. pag.542.

Actus internus dilectionis debetur proximo. diſ.7. pa.144.

Adam ante tranſgreſſionem non habuit immoderatum affectū erga vxorem, nec præſciuit, ex illo ſibi euenturum malum idque non graue, ſed leue; nec voluit illum præuiſum vt cauſam talis mali. diſ.1. ca.5. pa.85. Non potuit in ipſum, neque in Euam ante peccatū cadere opinio. Ibid. Peccauit ex elatione animi. diſ.1. ca.5. pa.86. Etiam modò inficit poſteros culpa originali, immo mouet eos motu generationis. diſ.44. cap.3. pag.401. in fine.

Adulteria nō ſūt ſecundę nuptię. diſ.44. ca.1. pa.464.

Æquiuocatio quid ſit. diſp.24. pa.293.

Aer eſt leuis reſpectu aquæ, grauis reſpectu ignis. diſ.1. ca.5. pa.66.

Affectus omnes ex amore dimanant. diſ.2. ca.1. p.95., & diſ.27. ca.4. pa.323.

Agens partiale poteſt de ſe in partem effectus ſibi proportionatam. diſ.45. cap.4. pag.501.

Agitur vnumquodque ſicut natū eſt agi, quando agitur naturaliter, & nihil impedit; aliter tollitur violentum de rebus. Diſ.20. ca.8. p.240.

Albertus Princeps per reſtrictionem mentalem deceptus ab Othone Epiſcopo Maguntino, diſ.23. ca.1. pa.276.

Alcibiades in diſcrimine capitis ne maternæ quidem pietati ſuam ſalutem ſe commiſſurum dicebat. diſp.1. cap.4. pa.64.

Alienum nihil in extrema neceſſitate. diſ.32. pa.364.

Alipius, quamuis concubitum in ingreſſu adoleſcentiæ expertus eſſet, non tamen hęſerat, ſed ſpreuerat. diſ.42. c.1. pa.430.

Amare alium ex beneuolentia etiam

Digitized by Google

etiam Deum supra se ipsum impossibile est viribus cuiusq; naturæ nedum creatæ, sed creabilis. disp.20. cap 6.7., & 8. pag.206. Ita etiam amare Deum super omnia concupiscibilia. Ibid. cap.5 pag.222. Hæc impossibilitas non oritur ex sublimitate boni Diuini, sed ex gradu amoris quo amãdum est, ideſt, supra nos. dis. 20. ca.6. pa.247.

Amare Deum semper tenemur, saltem habitualiter. dis.2. c.1. pa.95.

Amicitia cum Deo in charitate consistit. disp.2. ca.1. pag.97. Non est licitus, immo nec possibilis status indifferens, ideſt, nec amicitiæ, nec inimicitiæ cum Deo. Ibid. pa.97.

Amicus tenetur ex amore erga amicum eius offensas euitare; aliter non curat de amicitia, & spernit ipsum. Ita creatura respectu Dei. disp.1. cap.1. pa.96. & 103.

Amnon non excusatur a mortali in compressione Thamar, eo quia id fecerit ad seruandam vitam amoris æstu languentẽ. dis.41. ca.1. pa.483.

Amor, & timor sũt breuis differẽtia inter legem nouã, & antiquam. disp.2. cap.1. pag.97. Qui seruat legem timore, non amore, nec totam, nec verè eam seruat. Ibid., & dis.20. c. 3. pa.197.

Amor est prima animi affectio, ex qua cæteræ non tantũ deriuant, sed mensurantur. dis.2. ca.1. pa.95, & disp.27. ca.4. pa.323. Oritur ex bonitate obiecti, & aliqua eiusdem coniunctione ad nos; & hæc secunda ratio quandoque prævalet primæ, vt non meliora, sed nobis coniunctiora magis amemus, etiam absque peccato. dis.20. ca.7, pa.235.

Amor Dei super omnia non potest esse ex viribus naturę, sed a Deo. Ibid.pa.232.

Amor proprius oritur de identitate ad nos. ibid. pa.238., & ca.4. pa.208. Ideo semper nos diligimus, atque adeo meminimus. ibid. cap.7. pag.236. Non possumus amorem proprium exuere viribus naturę. ibid. ca.4. pa.208. Philosophi sæculares neque exuendum cognouerunt. pa.209. Neque a sanctissimis viris omnino exuitur in hac vita. pag.208. Causa est omnium peccatorum, ibid.

Amor duplex beneuolentiæ, & concupiscentiæ. disp.20. ca.1. pa.223. Obiectum amatum amore beneuolentiæ non semper magis appretiatiuè amatur, quàm obiectum amatum ex concupiscentia; quare in amore beneuolentię erga nos, & concupiscentiæ erga Deum potest non adesse peccatum. ibid. pa.224.

Amor vitæ corporalis non est bru-

Digitized by Google

brutalis, tmmo iuxta ordinē naturæ, & rationis, & de charitate descendere potest. disp. 27. ca. 3. pa. 314. & 318.

Amphibologia propriè dicta distinguitur ab æquiuocatione, & restrictione mentali propriè dictis. Tamen in Propositione 27. sumitur pro loquutione cum restrictione mentali. dis. 24. pa. 293. An liceat loqui amphibologicè. ibidem pag. 294.

Amphilochii narratio de Fratre quotidie pēnitente, quotidie labente. dis. 50. pa. 547.

Angeli boni propriè loquendo nihil opinantur disp. 1. cap. 5. pa. 87. Non indigent probabilitatibus, vt excusentur a peccato, eo quòd voluerint oppositū eius, quod decreuerat Deus circa captiuitatem, vel libertatem Iudæorum. ibid. Immo de sua voluntate, & opere etiam laudandi sunt. ibid. Eorum pugna non est nisi relatio contrariorum meritorum, ibid. Non potuerunt a se ipsis habere charitatem. disp. 20. cap. 7. pag. 238., & disp. 27. cap. 4. pag. 324.

Anima beata naturaliter appetit corpus. disput. 27. cap. 6. pag. 334.

Animam rationalem habet fœtus antequam egrediatur ex vtero. disp. 31 pa. 358.

Annibal per restrictionē mētalē a Romano milite deceptus. disp. 23. cap. 1. pag. 276.

Antiochus similiter Rex a Q. Labeone. ibid. 277.

Aperiens fenestram, vel ostium pro ingressu alterius ad peccatum cooperatur illi efficiēter, atq; adeo inexcusabilis est a peccato. disp. 45. cap. 2. pag. 486., & cap. 10. pa. 521.

Appetitus naturalis in homine non licitè fruitur suis actibus disp. 5. ca. 1. pa. 111. Licet excitare appetitum, vt sumi possit cibus substentandæ vitæ necessarius; non tamen libidinem gulæ, immo hęc semper frænanda est. disp. 43. cap. 2 pa. 453.

Appetitus laudis, & gloriæ impulit gentes ad multa mala toleranda. disp. 20. cap. 5. pa. 221., & cap. 4. pag. 209.

Approximās obiectum, siue materiam agenti non concurrit efficienter ad illius actionem. Hinc dapiferi inferentes cibos illicitos in mensam Domini non concurrunt efficienter ad illicitam comestionem. disp. 45. cap. 11. pa. 522.

Nulla virtus agens in passum approximatum potest illud sibi approximare. disp. 45. c 11. pa. 522.

Aqua grauis est respectu aeris, leuis respectu terræ. disp. 1. ca 5. pa. 66.

Arianus, si in sua perfidia baptizet, secundùm quam Filius, & Spiritus S. nomina sūt creatura-

Digitized by Google

turarum, non valide baptizat disp. 57. cap. 2. pa. 594.
Assensus fidei supernaturalis non potest prudenter repudiari. disp 17. pag. 180. Non potest stare cum dubio de reuelatione Diuina. disp. 18. pag. 184. Potest assensus ex inclinatione voluntatis habere maiorem firmitatem, quàm habeat ex suis motiuis. disp. 16. pag. 178.
Attentio præcipitur in recitatione Officii. disp. 49. pa. 542.
Attritio distinguenda est a contritione ex parte obiecti formalis. dis. 51. p. 549. Quadruplex genus attritionis distingui solet. ibid. 550. Nulla naturalis sufficit ad valorem Confessionis. ibid. pa. 556. Immo nec aliqua supernaturalis. ibid. pag. 555. Attritio, siue dolor de peccatis super omnia propter malum æternum, quod inferunt, cum proposito firmo ea vitandi in futurum, & cum spe veniæ supernatnralis est, & sufficit ad valorem Confessionis. ibid. pa. 556.
Audiens plures partes Missæ a pluribus Sacerdotibus eodem tẽpore dictas, audit plures partes Missarum, non vnam totã Missam, ideoque non satisfacit præcepto. dis. 47. pag. 531. Nec offert eo modo, quo debet, sacrificium per vllum ex illis Sacerdotibus. ibid. 532.
Minuit tempus, quo debet interesse Missæ. ibid. 533. Confundit mysticam eius repræsentationem. ibid.
Augustinus non docuit illicitam defensionem contra iniustum aggressorem, si adsit periculũ occisionis eius. dis. 27. cap. 6. pa. 332. Neque, quòd vita corporis non sit amanda, sed contemnenda. ibid.
Auxilia gratiæ per Christum sũt necessaria ad seruandam legẽ, & habendam charitatem. dis. 20. ca. 2. pa. 294. Ad vincendum amorem proprium. ibid. ca. 4. pa. 208. Ad vincendam carnem. ibid. 209. Ad vincendum Dæmonem. ibid. 210. Ad vincendum mundam. ibid. Ad vincendas tentationes. ibid. 211. Non dantur ad hæc bona nisi habenti Fidem in Christum. ibid. 194. Sine illis non tantùm non vincere, sed nec pugnare possumus. dis. 20. c. 4. pa. 212.

B.

Baptismus collatus ex peruersa fide destruente mysterium Trinitatis, ideſt, distinctionem trium Personarum in vna numero natura Diuina, non est validus, nisi intentio baptizantis referatur ad intentionem Christi, vel Ecclesiæ. disp. 52. ca. 2. pag. 594. Si autem error non destruat illud mysterium est validus. ibi. pa.

Digitized by Google

pa.596. A quocumque conferatur ſecundùm verba, & intentionem Chriſti, vel Eccleſię eſt validus, ibid. Sed ſi addatur aliud nomen, quaſi in eo etiã cõſecretur baptiſmus, vel intendatur induci alius ritus ab Eccleſia non receptus, non eſt validus. ibid.595.

Baptizari poteſt infans in ventre matris, ſi ad eum poſſit aqua immitti. diſ.31. pa.351. Non tamen baptizari poteſt eodem baptiſmo, quo mater. ibid.

Baptizandus eſt in fine vitæ Cathecumenus, quamuis tunc non poſſit petere baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere. diſ.1. ca.5. pa.73.

Bellum non omne illicitum. diſ. 27. ca.2. pa.306. Etiamſi hoſtes propter infidelitatem, vel iniuſtitiam in bello cadentes damnentur. ibidem cap.3 pa. 318.

Beneficia ex Tridentino conferenda ſunt dignioribus ſub pęna peccati, & debito reſtitutionis. diſ.41. pa.418. Etiam ſimplicia. ibid.pa.423. Etiam per Reges, & Pontificem. ibid.420. Habentes tamen ius patronatus poſſunt ea cõferre dignis ſimpliciter. ibid. 422. Inanes ſunt gloſæ Tridẽtino affictæ. ibid.422.

Bernardi definitio de Opinione. diſ.1. ca.1. pa.8.

Bigami repelluntur ab Altari. Diſ.44. ca.1. pa.465. Bigamus eſt, qui cognouit vxorem, poſtea quam ea fornicata eſt. ibi. ca.1. pa.464.

Bonitas eſt ratio amabilitatis ex parte obiecti, coniunctio autem ex parte amantis. diſ.20. ca.7. pag 235. Bonum, quo excellentius, eo amabilius. ibi. ca.7. pa.226. Bonum ſupernaturaliter cognitum poteſt naturaliter amari. ibid.227. Bona nobis coniunctiora, magis quandoque amamus, quàm excellentiora. ibid.235.

Maius bonum eſt diminutio mortalis ad veniale, quàm ſit malum ipſum veniale. diſ.45. c.1. pa.483.

Bruta conuiuunt, quamdiu proles per vtrumque parentem eſt educanda. diſp.42. cap.5. pa.444.

Bullæ in fauorem ſententiæ de immaculata Deiparæ Conceptione non videntur reddere omnino certam illam ſententiam; ſed benè purgant eam ab omni periculo peccati, & contradictionis ad Scripturas diſ.1. ca.5. p.80.

* * *

C.

Digitized by Google

C.

CAlumniam inferre etiam ad elidendam authoritatem detrahentis sibi noxiam, vel ad defendendam suam iustitiam, lethale est. dis.39. pag. 398. Calumnia non est repellenda ex cupiditate proprii honoris, sed ex fine charitatis propter bonum calumniātis, vel aliorum. dis.27. cap.1. pa.304.

Carnes comedere neque in articulo mortis licet Carthusiensibus, etiam si spes, vel etiam certitudo adsit, per earum esū ad morbo liberandos. dis.27. cap.5. pag.326. Eas in graui morbo comedere renuit D. Nicolaus Tolentinas, quamuis nec voto, nec lege, nec generali Ordinis consuetudine ad id obligaretur. ibid.p.328. Non solùm autem licet, sed necesse est eas comedere in periculo mortis ex fame. ibid. pa.330.

Caput vnicū est in vnico corpore, quamuis nonnulla membra geminentur. disp.44. cap.1. pa.462.

Cathecumenus baptizandus est in fine vitę, etiam si non possit petere baptismum, vel ad interrogata respondere. dis.1. ca.5. pa.73.

Causa partialis non agit in eon causam, aut actionem eius, sed in effectum. disp.45. ca.4. pa.500. Causalitas efficiens, etiā remota, si sit determinatè ad peccatum, peccaminosa est. disp.45. cap.2. pag.486. & 488.

Certitudo moralis quid sit, & in quo differat ab euidentia, probabilitate, credulitate leui, coniectura, scrupulo. disp.1. ca.5. pa.69. Ea necessaria est, & sufficit ad inculpabiliter operandum. ibi.c.4. p.14. Quāuis etiam ipsa subdatur periculo erroris. ibi.ca.4. pa.59.

Certum est peccatum illud facere, quod incertum est, non esse peccatum. ibi. c.2. p.19.

Charitas non potest haberi viribus naturę. dis.20. ca.2. p.194. & ca.3. pag.196. Non potest dari charitas entitatiuè naturalis distincta a charitate entitatiuè supernaturali, sicut nec Fides, nec Spes. ibid.ca.4. pa.206., & ca.5. pa.217. Non potest naturaliter haberi charitas erga Deum, vt authorē naturæ: aliter posset haberi naturaliter erga Deum, etiam vt authorem gratię. ibid. ca.6. p.225. A nulla creatura creabili potest haberi charitas naturaliter. ibi. pa.239. Est nobilior quacumque substantia creabili. dis.27. ca.4. pa.324. Meretur redilectionem Dei, & vitam æternam. disp.20. ca.3. pa.

Digitized by Google

pag.201., & 220. Est fructus, quem Deus a nobis expectat. ibid. ca.3. pa.205., & cap.4. pa.207. Est arbor bona, quæ non potest facere fructus malos. dis.2. ca.1. pa.95. Ædificat Ierusalem cælestem. dis.20. ca.4. pa.208. Nisi ea regnet in nobis, regnat cupiditas. dis.2. ca.1. pa.95.

Charitas in Scripturis, & Patribus dicitur quicumque amor Dei super omnia, id est, etiam amor concupiscentiæ; & neque hic potest haberi viribus cuiusque naturæ creabilis. dis.20. ca.5. pa.217.

Charitatem semper saltem habitualiter tenemur habere. dis.2. ca.1. pa.96. Quando, & quoties eliciendus sit actus Charitatis. *Vide* Actus dilectionis.

Christianus tantùm potest rectè viuere. dis.20. ca.3. p.196.

Charitatis præcepta duo sunt, quare tenemur diligere proximum actu formaliter terminato ad ipsum. dis.7. pa.146.

Vna Charitas sufficit pro amore beneuolentiæ, & concupiscentiæ erga Deum. dis.20. cap.5. pa.223.

Christus non vsus est restrictione mentali dum dixit, neque filium scire de die iudicii, sed solum Patrem; sed tropicè loquutus est. disp.23. ca.2. pag. 278. Nec dum dixit propinquis suis, non ascendam ad diem festum, & postea ascendit. ibid.282.

Christus non illud onus imposuit nobis, vt non sufficiat ad iustitiam, & salutem recta vita, siue obseruantia legis, sed vlterius requiratur Fides in ipsum, sed illud beneficium contulit, vt per Fidem in ipsũ concedantur nobis auxilia ad seruandam legem, quæ sine illis seruari verè, & integrè nõ potest. dis.20. ca.9. pag.247. Christus non influit nisi in membra sui corporis. dis.20. ca.2. pag.195. Ipse pro nobis vicit Dæmonem, mundum, & concupiscentias eius, quare sine eius auxilio nos vincere ea non possumus. dis.20. ca.3. pa.204., & c.4. p.210.

Codicum Sacrorum traditores gentibus ex metu grauissimè peccauerunt. dis.45. ca.7. pa. 514. & 515.

Comestio etiam minima ob solam voluptatem illicita est. disp.5, ca.1. pag.110.

Vt quis Commodum ex peccato reportet irrationabile est. dis.52. pa.583.

Communio sacrilega non satisfacit præcepto Ecclesię. di.49. ca.1. p.538.

Communio frequens in malè viuentibus non est nota Prædestinationis. dis.50. p.545.

De Conceptione immaculata Deiparę potest dici, quòd non sit reddita certa ex Bullis Põ-

Digitized by Google

tificum. Est tamen certum, quòd non repugnet Scripturis dis.1. ca.5. pag.80 Qui eam non tenet, eo quia putet, opponi gloriæ Christi, non peccat venialiter, neque moralem imperfectionem habet. ibid. pa.81.

Concupiscentiam carnis damnãt sacræ litteræ, & quidquid ex ea fit. dis.5. c.1. p.113.

Conãtur eã excindere quotquot esuriunt, & sitiunt iustitiam. dis.45. ca.10: pag.521. *Vide* Libido, Voluptas.

Concupiscentia desiderii iustificationis non est ipsum desiderium iustificationis, nec ipsum adiúnctum habet. dis.51. pa.552.

Concursus efficiens etiam remotus ad peccatum alterius est inexcusabilis a peccato, quia est coefficientia peccati. di.45. ca.2. pa.486., & 488., & ca.3 pag.490. Concursus verò in alio genere causæ excusatur, si ex graui metu adhibeatur, quia non est coefficientia peccati, sed exhibitio materiæ, vel occasionis, circa quam, vel in qua alius creditur peccaturus; vel est substentatio peccantis. ibi. pa.489.

Concursum efficientem ad peccatum domini exhibet famulus submittens humeros, deferens scalam, aperiens ostium pro ingressu eius ad stuprum dis.45. c.1. p.481. Item deferens, dictans, exarans litteras prouocantes ad libidinem pro alio; vel huiusmodi verba referens. ibi. ca.6. pa.510. Item baiuli, siue vectores deferentes scienter personas ad loca, vel ad alias personas, in quibus, vel cum quibùs fit fornicandum. ibi. c.5. p.509. Item tradens clauem furibus, qua aperiatur domus, vel arca ad furandum. ibi. ca.4. p.504. Et coquus præparans cibos illicitos pro mensa. ibi. ca.11. pag.522. Non tamen, qui ex necessitate petit mutuas pecunias ab vsurario; nec qui exigit iuramentum ab infidelibus ibi. ca.2. pag.487. Nec qui locat domum meretrici. ibid. ca.10. pa.521. Nec qui ex necessitate vẽdit imagines Deorum gentibus eas adoraturis. ibi. ca.7. pa.513. Nec qui infert cibos illicitos in mensam. ibi. ca.11. pa.522. Nec seruus substentans scalam pro domino ascendente, ne cadat. ibi. pa.499. Nec eidem adstans armatus ad defensionem, dum peccat, ne ab alio occidatur, aut lædatur. ibi. pa.498. Nec comitans Principem pergentem ad templum idoli, aut sternens, ornansque viam, aut puluinar submittens genibus, aut vmbellam suspendens ad caput. ibid. aut eum substentans, dum genuflectit, vti faciebat Naaman Syrus suo Re-

Digitized by Google

Regi. ibid. ca.4. pag.495.
Confessarius non debet absoluere pœnitentem, si eius dolor apparet fictus. dis.54. pa.568. Neque, si non vult relinquere occasionem proximam peccãdi. dis.55. pa.570. Nec dimidiatè confessum dis.53. p.565. Nec moribundum non dantè signa doloris. dis.1.c.5.p.79. Nec ignorantem mysterium Trinitatis, & Incarnationis. dis.57.c.6.p.610.
Confessio sacrilega non est satisfactiua præcepti Ecclesiæ. dis. 49.ca.1. pa.538. dimidiata ob concursum populi non est capax absolutionis. dis.55. pag. 565. Frequens cum mala vita non est nota prædestinationis. dis.50. pa.545.
Concilium Tridentinum peccati mortalis damnat eos, qui non promouent ad Ecclesias digniores. dis.41. ca.1. pa.418. Glosæ eius verbis affictæ inanes sunt. ibi.422.
Coniugium verè non est, dum nõ initur gratia prolis, sed libidinis, etiamsi habeatur intentio nutriendi, & educãdi prolem, si nascatur. dis.42. ca.3. pa.441. Neque cùm initur non vsque ad mortem, sed ad determinatum tempus. ibi.ca.4. pa.441. Immo, cùm non intenditur societas vitæ vsque ad mortem. ibi ca.5. pa.444. Non tollitur tamen ratio coniugii, si intendatur educatio prolis non per ipsos coniuges, sed per ministros. ibi. ca.2. pa. 436. *Vide* Nuptiæ.
Coniux tenetur reddere debitũ coniugi, etiamsi petatur ex libidine. dis.45. ca.4. pag.500. Salua tamen consistentia suæ personæ. dis.27.ca.3. pa.319. Non peccat tunc reddendo, quia non cooperatur actioni libidinosæ petentis. dis.45.ca. 4.pa.500. Immo operatur ex iustitia, vel charitatə. disp.6. ca.2. pa.136. Peccat tamen, si reddat ex libidine, sicut si ex eadem petat. ibi.c.1. pag. 118. Non tamen mortaliter, sed venialiter. ibi. ca.2. pag. 133. Non potest dimittere coniugem, nisi ob fornicationem. dis.42. ca.4.pa.443. Nec tamen tunc dissoluitur coniugium. ibi. ca.5. pa.445. Coniux coniugem agnoscens postquam ea fornicata est, fit irregularis. disp.44. ca.1. pag. 464.
Cooperatio. *Vide* Concursus.
Cõsiliarius causa efficiẽs est, non physica, sed moralis; quare dantur causæ efficiẽtes morales tantùm. dis.45. cap.2. pa.480.
Constantini de Bragantia commendabile factum. dis.45.c.7. pa.513.
Constantinus Imperator applicauit ad suscipiendum Baptismum, vt curaretur a lepra, non tamen is fuit eius finis

Digitized by Google

principalis. dif.40.c.2.p.409. & di.6. c.2. p.131.
Consuetudo peccandi aperienda est in confessione. dif.52. pag. 558. Etiam Confessario non interrogante. ibidem pa.564. grauat malitiam actuum, ex quibus gignitur ibi.pag 560. etiam eorum, quos ipsa gignit. ibi.163. Quamuis minuat peccantis libertatem. ibi.562. Eã habenti est deneganda, vel differenda absolutio. disp.54. pa.568.
Consulere peccata minora, ne committantur grauiora, non licet, sicut nec committere. dif.59. ca.2. p.577.
Contemnere vitam corporis nõ est generosi animi. dif.27. c.6. pa.340.
Contemptur formalis etiam erga humanum Superiorem semper est mortalis. dif.21. ca.1. pag. 253.
Continentia non a nobis, sed Dei donum est. dif.20. cap 4. p.209.
Contractus Mohatra illicitus est, quia vsura palliata afferens lucrum ex numeratione pecuniæ. dif.36. pa.386.
Cõtractus mutui destruitur quodammodo in sui natura, si pecunia futura habet valorem de præsenti. disp 37 pag. 393.
Contritio ex obiecto formali distinguenda est ab attritione. dif.51, p.549.
Copula coniugalis ex sua institutione non supponis, nec trahit libidinem, quia instituta in Paradiso ante illam exortam. dif.42. c.1. p.433. Fuisset tunc exercita cum delectatione, sed non mordaci, idest, non turbante animi tranquillitatem, siue rationem. ibi. Est inculpabilis, si fiat solius gratia prolir. dif.6. c.1. pag.121. Sed tamen etiam tunc est pudenda propter feruorẽ libidinis. dif.42. ca.1. pa.432. Propter libidinem trahitur Originale in filios. ibid. Et neque Prophetis tunc datur assistentia Spiritus Sancti. ibid. Et propter eam noluit Christus carnem suam per copulam cõcipi. ibid. Ipsi Mahometani credunt, tunc Angelos absentare se ab hominibus, quos custodiuut. ibid. Si exerceatur ex libidine etiam a coniugibus peccaminosa est, saltem venialiter. dif.6. ca.1.pa.118. Si exerceatur cum coniugata etiam consentiente marito, est adulterium. dif.44. c.1.p.462. Repugnat enim iuri naturali matrimonii, super quo coniuges dispensare non possunt. ibid. Annullat quoque rãtionẽ Sacramenti apud fideles. ibi. pa.464.
Cornelius Centurio habebat Fidem in Christum, antequam accederet ad eum Petrus, sed nesciebat, eum iam venisse, & ipsum

Digitized by Google

ipsum esse, quem crucifixerant Iudæi. di.57. c.4. p.603.

Corpus non brutaliter, sed rationabiliter, immo ex charitate diligitur. dis.27. c.3. pag. 314. Non est contemnendum. ibi.p.311.

Correptio fraterna est in præcepto, quando adest probabilis spes correctionis. dis.1. ca.4. p.61.

Corruptio morum peruertit iudicium rationis. dis.1. cap.5. pa.78.

Corruptio neque intellectualis boni, neque corporalis poterat accidere homini in statu integritatis. dis.1. cap.5 pag. 85.

Creatura non diligit naturaliter Deum plusquam se; neque habet inclinationem sufficientem ad illam dilectionem eliciendam, immo neque ex sui natura inclinat magis ad amādum Deum, quàm se ipsam. dis.20. c.7. p.231., & c.8. pa. 239. Non tamen inclinat naturaliter ad amandum magis se, quàm Deum. ibi. p.235.

Culpa supra peccatum addit libertatem in committente. dis. 1. c.4. p.59. Ipsa sola est obiectum pœnitentiæ propriè dictæ. ibid. Culpa contrahitur ex libera transgressione legis; non tamen ipsa directè prohibetur a lege, sed peccatum. ibid. p.53.

D.

DAmnum inferre etiam per tertium, etiam per media non contra iustitiam, iniustitia est, & obligat ad restitutionem. dis 35. c.1. p.380. *Vide* Restituere.

Daniel fatuos appellauit filios Israel, eo quia contra Susannam iudicassent ex probabili. dis.1. c.2. p.17.

Dare, vel accipere temporale pro spirituali simoniacum est, etiam si respiciatur non tamquam pretium, sed tamquam motiuum. dis.40. ca.1. p.403. Etiam si sit pura, vel gratuita recompensatio; nam spirituale non potest per temporale recompensari. ibid. ca.2. p.415. *Vide* Simonia.

Debitum coniugale peti non potest a dubitante probabiliter, se contraxisse cum impedimēto, potest tamen reddi. dis.1. ca.5. p.95. Potest reddi sine peccato, etiam cùm petitur ex libidine, modò non ex libidine, sed ex iustitia, vel charitate reddatur. dis.45. c.4. p.500. Petens ex libidine peccat. dis. 6. c.1. p.118. *Vide* Coniugiū. Coniux. Copula.

Potest ex virtute oriri debitū, vt fiat aliquid, per quod detur, seu præstetur alteri occasio, vel materia peccandi. dis.6. c.2. pa.136.

De-

Digitized by Google

Decipit proximum, qui cum restrictione mentali loquitur. disp.23. c.1. p.274. Item qui equiuocè, nisi aliquo signo ostendat, se ludere in æquiuoco. disp.24. p.294. Item, qui verba vsurpat non significatinè, vel in diuersa significatione a communi. disp.23.cap.2. pag. 290.

Defendere tenemur proximum ab iniuria. disp.27. ca.2. pag. 309.

Defensio cum moderamine inculpate tutelę per omnia iura permittitur, non tantùm per ius humanum ciuile. Quare est omnino inculpabilis, etiã si periculum adsit occisionis inuadentis, immo etiam si ipsa sequatur occisio. Quod pluribus argumentis probatur disp.27. ca.2. a p.305. Quibus addendum. Primò. Quòd inuadens non habet ius occidendi inuasum; ergo neque hic debitum, mortem per manus illius substinendi. Sunt.n. hæc correlatiua, quare vnũ nõ potest esse sine altero; sicut, si nõ adest ius repetẽdi pecunias in vno, non adest debitum restituendi in altero. Neque potest dici, adesse debitum substinendi mortem in inuaso nõ propter ius inuadentis, sed propter præceptum charitatis, quo tenemur magis diligere animam proximi, quàm nostram corporalem vitam; qui autem armis se defendit contra iniquum aggressorem, exponit eum periculo, vt occidatur, atque adeo, vt anima eius damnetur, quia decederet in mortali; ergo magis diligit vitam suam corporalem, quàm animam proximi. Non potest, inquam, hoc dici: aliter iura naturalia essent sibi inuicem contraria. Nam inuasus ex iure naturæ potest se defendere, vt probatum est: ex alia parte ex iure charitatis, quod etiam naturale est, non posset se defendere. Ergo iura naturalia essent contraria. Ergo illa defensio non est contra legem charitatis; quia occisio, & damnatio inuadentis, si contingat, non est tribuenda iustitiæ se defendentis, sed iniquitati inuadentis, qui illud facinus aggressus est, in quo iustè posset occidi.

Secundò. Pro defensione iurium, siue bonorum licet vocare in iudicium aduersarios, etiam si sciatur, istos iniustè, & calumniosè, & perfidè per falsa etiam iuramenta acturos: non enim quis tenetur amittere sua iura, & bona, ne alius, nulla necessitate impacta, sed libera sua voluntate peccet; ergo licet se defendere contra iniquum aggressorem, etiamsi periculum sit, ne ille occidatur, & damnetur. Consequentia

Digitized by Google

tia patet a simili, vel etiam a fortiori.

Illud moderamen in eo est, vt non maior, nec diuturnior conatus adhibeatur, quàm necesse sit sit offensæ repellendæ. dis.27. c.1. pag.303 Non est impossibilis ea defensio. ibid. 308. Si intendatur occisio, iã non est defensio, sed vindicta. ibid.

Desiderium plus est, quàm purus amor, & complacentia. dis.51. pa.554. Desiderium de morte patris, aut alterius ob hæreditatem, aut temporale emolumentum, illicitum est. dis.10. pa.154., & dis.11. pa.167.

Deus est summè amabilis, & cõcupiscibilis. dis.20. ca.5. pag. 224. Non est ratio formalis totius nostræ bonitatis, sed causalis. ibi. c.7. pag.238. Ipse mouet creaturam ad amorem Dei super omnia. ibid.p.232. Ipse est materia directa, & proxima iuramenti, proinde nullum iuramentum est in materia leui, nisi sermo sit de materia indirecta, & remota; atque adeo nulla eius transgressio venialis. dis.21. cap.1. pa.253. Videtur Deus de summo rigore iustitiæ posse damnare etiam propter veniale ex perfecta deliberatione commissum. dis.21. cap.1. pag. 252.

Diabolus inuincibiles per nostras vires sub figura Goliat, & Leuiathan. disp.20. cap.4. pa.210.

Dignior est eligendus. disp.41. pa.417.

Dignitas maior in collationem beneficiorum, & officiorum non est sumenda pro maiori abundantia spiritualium gratiæ donorum, sed per cõparationem ad bonum commune iuxta naturam officij, & beneficii. dis.41. p.421.

Dignus non amittit dignitatem ad præsentiam dignioris. ibi. p.425.

Dispensatio sine causa est contra bonum publicum, & quodammodo in contumeliam eorum, pro quibus non dispẽsatur. Quare omnis dispensatio requirit causam vel necessariam, vel sufficientem, & qui dispensat sine causa est dispensator infidelis, & imprudens. disp.48. pa.534., & 535.

Qui propter impotentiam dispẽsatur a recitatione Matutini, & Laudum non est dispensatus in reliquis horis: sic qui similiter dispensatura ieiunio pro maiori parte Quadragesimæ, non est dispensatus pro diebus, qui supersũt. ibi. Sic etiam, si maior pars Communitatis dispensatur in aliqua obligatione, non est dispensatum in cæteris. ibid.

Dispensare potest Deus in lege na-

Digitized by Google

naturæ, non tamen in iis, quæ ordinem naturalem cõstituũt, sed in iis, quæ adiacent, sine quibus ille ordo consistere potest. dis. 44. c. 4. p. 472.

Dispensauit Deus cum Hebræis super Polygamia, si hæc interdicta supponitur iure naturę, propter multiplicationem populi fidelis prenuntii Christi. ibid. p. 476. Multiplicatio generis humani non videtur causa dispensandi super eadem. ibi. p. 474.

Dispensatio facta vni, vel pluribus non extenditur ad alios. dis. 44. c. 3. 468.

Dolor de peccatis duplex Attritio, & Contritio, & quinam sufficiat ad validitatem confessionis. dis. 51. pa. 550., & sequentibus. *Vide* Attritio. Contritio.

Dolores tolerandi sunt, delectationes declinandæ, nisi necessarię sint pro valetudine tuenda. di. 43. c. 2. p. 454.

Dubium non solùm est, cùm nullæ adsunt rationes pro vtraque parte contradictionis, sed cùm adsunt contrarię; immo hoc propriè est dubium, illud verò potiùs appellandũ est nescientia. dis. 1. c. 3. p. 23. In dubiis tutior pars est eligẽda. ibid. 22. Etiam in dubio iuris ibi. p. 28. Dubius in fide est infide is. d. 18. p. 184. In dubio non est homo in possessione suæ libertatis. d. 1. c. 3. p. 29.

E.

Ecclesia præcipit internã dispositionem ad cõmunionẽ annuam; proinde eius præcepto non satisfit per sacrilegã. dis. 49. c. 1. 541. Præcipit Missam totam audiri: totam autem non audit, qui plures partes a pluribus simul dictas audit. dis. 47. pa. 531. Præcipit grauiter obseruantiam festorum. dis. 46. p. 528. Præcipit actus internos, qui coniungũtur cum externis. dis. 49. c. 1. pa. 539. Numquam operatur cum dubio, sed in dubiis ipsis operatur, quod certum est licere. dis. 1. ca. 5. p. 92. Precatur, ne accidat pollutio in somno cum obscęnis phantasmatibus. dis. 43. c. 3. p. 456.

Ædificare templa idolis nec metu mortis licet: hinc Ambrosius nec metu mortis adigi potuit, vt Basilicam traderet Arianis. dis. 44. c. 8. pa. 516.

Educatus in syluis sine Fide in Christum non potest vincere viribus naturæ amorem proprium, nec concupiscentiam carnis, nec in bono opere per totam vitam perseuerare; proinde iustitiam habere non poterit, nec meritum, vt ei reueletur Christus, vel inspiretur Fides in eum; immo multa peccata habebit, quibus damnationem mereatur.

Digitized by Google

tur. dis.20. ca.9. pa.247.
Effectus mali sequentes nostras actiones, & etiam omissiones deputantur nobis ad culpam, si fuerint præuisi, aut præuideri debuerint. dis.45. ca.6. pa. 504.
Effigies formare deorum ob spē lucri ex earum venditione gētibus non licet. dis.45. c.9. pa. 517. Licet illas vendere ex graui necessitate. ibi. c.7. pa.513. Licet habere in Musæis ad ornatum, vel in honorem scientiæ, vel artis, cuius illi estimantur authores. ibi. ca.9.pa. 518.
Eleemosyna in necessitatibus cōmunibus plurimis est in præcepto, quia plurimi habēt superfluum statui. dis.9. p.152. Etiam in probabili proximi necessitate extrema est in precepto. dis.1. c.4. p.63.
Electio canonica requirit excessum supra medietatem eligentium. dis.48. pa.536. In electione Summi Pontificis requirantur duæ partes ex tribus. ibid.
Electio facta a maiori parte tenet. Sed facta a digniori, & saniori præfertur, si in modico excedatur. ibid.
Eligendus est dignor sub pena peccati dis.41. pa.418.
Elisæus iudicauit, non peccare Naaman in subtentatione sui Regis ad idolum genua flectentis. dis.45. ca.4. pa.496.
Non est mentitus, nec vsus restrictione mentali, dum Regi Syriæ ægrotanti dici iussit: Sanaberis, quamuis ille esset moriturus. dis.23. c.2. p.285.
Errat non tantùm, qui sequitur falsum, sed etiam, qui non sequitur verum. dis.1. c.2.pa.20. Qui sequitur probabile non sequitur verum; ergo errat. ibid.
Excommunicatio fertur quandoq; pro opere, vel omissione non secundùm se, sed si procedant ex aliqua interna malitia. dis.49. c.1. p.539.

F.

FAbius Labeo per restrictionem mentalem decepit Regem Antiochum. dis.23. ca.1. p.277.
Facultas, sed ius ad agendum, vel non agendum aliquid, si non prævalet aduersùs legem præcipientem, vel prohibentem, cadit, quia nulla facultas est cum peccato: si autem prævalet, non transfert peccatum de mortali ad veniale, sed omnino illud tollit. dis.43.pa. 400., & dis.45. c.1. p.482.
Falsum dicit, & cum intentione fallendi, qui loquitur cum restrictione mentali, atque adeo proprie mentitur. dis.23. c.1. p.274.
Falsæ Fidei simulatio est illicita. dis.15. c.2. p.174.

Digitized by Google

Famulus scienter submittens humeros, aperiens ostium, scalam deferens pro ingressu domini ad stuprum, peccat mortaliter, quia efficienter concurrit ad peccatum mortale domini sui. dis.45. c.1. pa.481. & c.2. p.486., & c.4. p.503.

Famuli, & famulæ domesticæ non possunt occultè surripere heris suis ad recompensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod accipiunt, dis.33. pa.366. Nisi in casu, quo re vera non solueretur eis merces, vel minor, quã debeatur, ipsique non possent apud iudicem experiri ius suũ. ibi. p.368.

Fatuę a Christo dictę sunt virgines, quæ innixę sunt probabilitati. disp.1. ca.2. pag.51. Sic etiam a Daniele Iltraelitę. ibid.

Feria 6. in Paraſceue non dicitur Missa, seu non offertur sacrificium, quia non consecratur. dis.47. p.533.

Festa in honorem Domini, vel Sanctorum instituta sub mortali obseruandæ sunt cum abstinentia ab aliquibus actibus dis.46. p.528.

Singulis festis eliciendi sunt actus Fidei, & Charitatis. dis.2. c.2. p.102.

Fides Remuneratoris necessaria est ad salutem, nec sufficit Fides Dei. dis.19. p.187.

Fides Dei, & Prouidentiæ eius ex testimonio creaturarum non est propriè Fides. dis.20. c.1. p.191. Nec sufficit ad iustificationem. ibid. Fides explicita Remuneratoris necessaria est necessitate medii. dis.19. p.187.

Fides cadit sub præcepto speciali, & secundùm se. d.13. p.163. Quamuis iungenda sit Charitati, & operibus. ibid.

Fides in Christum est necessaria necessitate medii ad iustitiam, & salutem. dis.57. c.1. p.581. eaque explicita, ideſt, Incarnationis, mortis, & Resurrectionis eius. ibi. c.2. pag.582. Nõ sufficit Fides in Deũ prouisorem etiam supernaturalẽ. ib.p.586. Hæc non est Fides in Christũ, neq; implicita propriè loquendo. ib.p.582. Nõ datur Fides sufficiens ad iustitiã insufficiẽs ad salutẽ. ibi. c.3. pa. 596. Fides debet esse in Christum, vt Deum; & qui hanc non habet, non est Christi fidelis. ibi. c.2. p.593. Non sufficit Fides Mediatoris in communi, ideſt, præscindendo, an ille sit Deus, nec ne. ibi. 593. Non videtur semper fuisse necessaria Fides Trinitatis, quãuis id sit probabile. ibi. c.5. p. 608. Qui Fidem non habet Trinitatis, & Incarnationis, non est capax absolutionis. ibi. c.6. p.610.

Fides non potest stare cum dubio de reuelatione Diuina.

Digitized by Google

na. dis. 18. pag. 184.
Fides naturalis entitatiuè circa eadem obiecta formalia, circa quæ versatur Fides supernaturalis repugnat. dis.20. c.4. p. 215. Qui eam admittit, destruit cõtrouersiam inter Catholicos, & Pelagianos. ibid. p.216.
Fidelis a potestate publica interrogatus de Fide non potest tacere, sed tenetur ad eam confitendam. disp.15. ca 1. pag. 137.
Filii Mahometanorum tenentur singulis quadrienniis se præsentare patri, eique reuerentiam, & cultum exhibere. dis.3. p.107,
Finis nuptiarum est tantùm susceptio prolis, remedium verò libidinis non est finis, neque secundarius, sed tantùm effectus consequens. dis.6. c.2. p. 124.
Finis sine quo non fieret opus, magis æstimatur, quàm ipsum opus; non verò finis, sine quo fieret opus. dis.40. c.2. p. 411.
Fomitem peccati non fuisse extinctum in B. Virgine antequã Christum conciperet, docet D. Tho. di.1. c.5. p.82.
Fornicatio simplex ex natura sua mala est. Sed non quia semen est ordinatum ad generationem. dis.42. c.1.pa.438. Nec quia venerea voluptas tabefacit hominem in operibus carnis. ibi.429. Sed quia illa voluptas absorbet rationem. ibi.430.
Non tamen propterea copula coniugalis est peccaminosa. ibi. 432.
Fortitudo Christianorum in superandis tentationibus, & Martyrum in tolerandis pœnis non ex naturæ viribus, sed ex Dei auxilio est. dis.20. c.5. p.221.
Fortitudinẽ gentilium facit humana cupiditas, Christianorum verò Diuina charitas. ibi. p.222.
Fugere tenemur occasionem proximam peccandi. dis.50. c. 1. p.573. *Vide* Occasio proxima.
Fur tenetur sub mortali restituere summã totalem, si notabilis sit, quamuis paruis furtis collectam. dis.34. ca.1. pag.371. Vltimum furtum, ex quo reddita est summa notabilis, fuit mortale. ibi.374.
Fures, si quando puniuntur morte, non est ad recompensanda eorum vita bona, quę surripuerunt; sed quia turbant publicam tranquillitatem. Nõ solent autem morte puniri, nisi vltra furtum, verbera, vincula, vulnera, suffossionem, vel deiectionem parietum, aut vim adhibuerint, vel nisi res sacras surripuerint, aut publicas. dis.28. p.353.
Furtum numquam licitum: acci-

Digitized by Google

pere verò alienum in extrema neceſſitate eſt licitum, quia non eſt furtum. diſ.32. p.363. Quantitates paruorum furtorum continuantur ad faciendam quantitatem notabilem in lucro furis, & in damno eius, qui furtum paſſus eſt. diſ.34. ca.1.p.373. Non furati ſunt Hebræi retinentes vaſa ab Ægyptiis non donata, ſed commodata. diſ.33. p.368. & 369.

Vltimum furtum, quo primò reddita eſt notabilis quantitas paruis furtis ſublata, mortale eſt. diſ 34. c.1. p.375.

G.

GAudium de morte alicuius ob aliquod tẽporale emolumentum illicitum eſt. diſ.10. pa.154. Non poteſt haberi ſine diſplicentia perſonæ. ibid. pa.155. Multò magis gaudiũ de morte patris ob pinguem hæreditatem. diſ.12. pa.160. Multò verò maximè gaudium de patricidio, quamuis in ebrietate commiſſo. ibid.

Genus humanum multiplicatum eſt abſque polygamia, nec pro eius multiplicatione videtur fuiſſe in ea diſpenſandum. diſ.44. c.4. p.474.

Goliat à Dauide proſtratus figura fuit Dæmonis a Chriſto deuicti; proinde ſolùm per Chriſtum, ideſt, per auxilia gratiæ eius poſſumus Dæmonẽ vincere. diſ.20. c.4. p.210.

Gratia prima per Chriſtum eſt gratia vocationis ad Fidem, proinde Fidem non habenti nulla alia gratia per Chriſtum tribuitur. d.20. c.2.p.194., & c.3. p.196.

Gratiæ neceſſitas. *Vide* Auxilia Gratiæ.

Græci non propter vim probabilitatis conferunt validè Ordines, licet non vtantur ritu Latinorum, & validè conſecrant in azymo. diſ.1. c.5.pa. 88. Ipſi tamquam teſtimoniorum religionem non ſeruantes traducuntur a Tullio. d.21. ca.1. p.254. Etſi non credant Spiritum Sanctum procedere a Filio, validè baptizant. d.57 c.2. p.596.

Grauia, & leuia non mouentur contra particulare ſuum impetum ad impediendum vacuum ex naturali inclinatione, ſed ex motione agentis vniuerſalis. diſ.20. c.7. p.231. Eorum naturalis motus refunditur in generans, quia ſequitur determinatè formam ab eo datam. ibi. ca.8. pag.243.

Grauitas materiæ reddit peccatum mortale. diſ.2. c.1.p.93. *Vide* Materia, Leuitas, Paruitas, Præceptum.

Gulæ ſenſum, ſiue appetitum excitare licet ad ſumendum cibum ſubſtentandæ vitę neceſſarium, non autem libidi-

Digitized by Google

dinem; immo hęc semper frænanda est. dis.43. ca.2. pag. 453.

H.

HAbitus peccandi difficilè vincitur. dis.54. pag.568. Qui eum contraxit tenetur, quoties eius memoria sibi occurrit, conari ad eliciendos actus contrarios, vt eum destruat, sicut tenetur fugere occasionem proximam peccādi. dis.52. pa.561. Difficultas ex eo causata ad abstinendum a peccatis non alleuiat illa, quia propria culpa contracta est. ibi. 563. Eum habenti differenda, vel deneganda est absolutio. dis.54. p.568. *Vide* Consuetudo,

Hebræis per plura scripturarum oracula reuelatus erat Messias, vt Deus. dis.57. c.5. p.608. Pro ipsis dispensatum fuit super polygamia (si ea lege naturæ dicitur interdicta) vt multiplicaretur populus fidelis Christi prænuntius. dis.44. c.4 p.476. Ad eos tantùm mittebat Deus Prophetas. di.44. c.4. pa.476., & 477. Etsi per ignorantiam Christum persequuti fuerint, dolere tenebantur. d.5. c.4. pa.57., & 58. Eorum cæremoniæ non statim post Christi mortem mortiferę. dis.15. c. 2. p.175.

Hæresis Pelagiana inimica gratiæ Christi non dixit, hominē viribus naturæ posse facere opera entitatiuè supernaturalia, (id quod repugnat in terminis) neque de hoc concertauit cum Catholicis. d.20. c.4. p.216.

Hæreticus mentalis, si suam hæresim verbo, vel scripto exprimat, etiam si nullus audiat, vel legat excommunicationem incurrit. dis.49. c.1. p.539.

Homicidium in ebrietate commissum, etsi non sit culpabile in se ipso, est tamen in causa; & in se ipso peccaminosum est; quare de eo postea est dolendum non gaudendum. dis. 12. p.61. & 62.

Homo in omni opere suo debet intendere honestum, quod est bonum rationis, adeoque nūquam ei licet intendere bonū sensus. dis.4. c.1. pa.110. Oppositum est dogma Aristippi, & Epicuri. ibid. Non potest in statu naturæ lapsæ viribus naturalibus vincere tentationes mundi, carnis, & Demonis. dis.20. c.4. p.203., & seq. Nec implere legem. ibi. c.3. p. 196. Amare verò Deum super omnia nec in statu naturæ integræ suis viribus potuisset. ib. c.4. p.206. & c.6. p.225.

* * *

I.

Digitized by Google

INDEX

I.

IAcob non vsus est restrictione mentali, cùm dixit, se esse Esau, nec tamen necesse est asserere, quòd sit mentitus. dis. 23. ca. 2 pa. 283.

Idola formare ad petitionem ea adorare volentium est inexcusabile a peccato. dis. 45. ca. 19. pag. 517. Ita etiam tunc præbere materiam, vnde formentur. ibid. Vendere autem ea gentibus, etiam dum scitur ab iisdem adoranda, excusabile est, si ex graui necessitate fiat. ibid. ca. 7. pa. 513.

Illa habere ad ornatum, vel memoriam, vel honorem artis, vel scientiæ licet. ibid. ca. 9. pag. 518. Iisdem templa ædificare non licet. ibi. c. 8. pa. 515.

Infamia meretricum non est ex libidine propria, qua agunt, sed ex aliena, quam patiuntur. Hinc eadem infamia non redundat in fornicarios. disp. 51. c. 4. p. 507.

Inferre calumniam. *Vide* Calumniam inferre.

Inferre damnum. *Vide* Damnum inferre.

Infidelitas negatiua non excusatur ex ratione minùs probabili. dis. 1. ca. 3. p. 38.

Ignominiosum est pati, etiam violenter, alterius libidinem. dis. 45. c. 4. p. 507.

Ignorantia vincibilis, qualis reperitur in opinione probabili, non excusat a culpa. dis. 1. ca. 4. pa. 54. Inuincibilis excusat a culpa, sed non tollit rationem peccati. ibid. pag. 56. De peccatis ex ea commissis dolendum est ex amore iustitiæ, & rectitudinis. ibi. 57.

Intellectus difficiliùs capit altiores veritates, quia trahit res ad se, & in intelligentia rerum relucet virtus intellectus; quare habet diuersum modum operandi a voluntate. dis. 20. c. 6. p. 226.

Intellectus, & lumen non sunt duæ causæ partiales visionis beatæ. disp. 43. cap. 4. pag. 503.

Isaac non sequuntur est merè probabile, dum benedixit Iacob. dis. 1. c. 2. p. 17.

Iudas non excusatur a D. Thoma de peccato, cùm consuluit venditionem Ioseph, quâuis ad liberandum eum a morte; potest tamen excusari dicendo, quòd propriè illud non consuluerit, sed tantùm proposuerit tamquam minus malum; & non ex voluntate, vt illud fieret, sed ne grauius fieret. dis. 56. ca. 2. p. 578.

Iudas Iscariotes fortè non ex odio

Digitized by Google

odio Christum Iudæis tradidit, sed tantùm ex cupidine lucri. dis.40. c.1. p.405.

Iudicium fundatum super probabilitate non potest esse certum, nisi ex voluntate temeraria. dis.1. ca.4. p.40. Iudicium exigit actorem, reum, & iudicem. ibidem cap.3. pa.30.

Iuramentum exigere ab infidelibus pro pace, vel fœdere, licet. dis.45. c.2. pa.488.

Iurare in mendacio etiam in materia leui, lethale est. dis. 21. ca.1. pa.235. Item, sine animo iurandi, ex quacumque causa. disp.22. pag.269. Item sine animo adimplendi. disp.21. cap.3. pag.261. Item, sub diuersa intentione ab ea, quam habet exactor Iuramenti. dis.25. pag.296. Etiam si agnoscendum sit crimen occultum. ibidem. Etiam si aliàs vita seruari non possit. dis.21. ca.1. pa. 256.

Iustitia vera non nisi per Fidem in Christum. disp.20. cap.2. pag.194. Verus iustus non potest excludi a Regno Dei. ibi. ca.3. p.201. & ca.9. p.240.

* * * *
* * *

L.

LAmech primus polygamiam exercuit, qui propterea grauissimè increpatur a Hieronymo. dis.44. c.4. pa. 474.

Laus humana motiuum fuit Gentilibus ad fortia multa facienda, & ferenda. dis.20. c. 5. p.221.

Lex Dei æterna ordinem naturalem conseruari iubet, perturbari vetat. dis.43. cap.1. p.450.

Lex naturæ impleri non potest solis viribus naturæ. dis.20. ca.2. pag.194. & ca.3. pag. 196. Non exigit sui obseruantiam per opera entitatiuè supernaturalia, si obseruari possit per naturalia. ibi. ca.4. p.207.

Sine auxilio per Christum seruari non potest verè, & integrè. ibidem. Atque adeo non nisi ab habentibus Fidem in Christum, quia illis tantùm tribuitur illud auxilium. ibid. cap.2. pa.194. Eius obseruantia dat meritum ad vitam æternam. ibidem ca.3. pag.201. Etiam si non habeatur fides in Christum; sed seruari non potest sine ea fide. ibid. & c.9. pa.249. Nullus eam seruat, aut seruauit ex vi arbitrii, & le-

Digitized by Google

& legis. ibidem cap.4. pag. 198., & 202. Super ea dispensari potest a Deo, non tamen in iis, sine quibus ordo naturæ consistere non potest. dis.44. cap.4. pag. 472.

Lex Mosaica scripta fuit in lapide: Christiana verò in corde. Illa dicitur Lex Timoris, hæc verò Amoris. dis.2. c.1. p.97.

Lex deiicit nos de possessione libertatis. dis.1. cap.3. pag. 29.

Lex zelotipiæ compellebat mulieres ad opus, quo deprehendebatur adulterium, si commissent pagina victima.

Libido carnis est appetitus voluptatis sensibilis propter ipsam. disp.5. cap.1. pag.114. Natura sua mala est. ibid. pag. 115. Ad errorem Pelagianorum pertinet dicere eam bonam. ibid. pag. 116. Proinde quidquid ex ea fit malè fit. ibidem 115. Scripturæ vbique docent, vt ei resistamus. ibidem. Copula coniugalis ex ea facta peccaminosa est; immò illa copula non est verè coniugalis. dis.6. cap.1. pag. 128. & pag.131. Propter eam frenandam licet abstinere a carnibus etiam in periculo mortis. dis.27. ca.1. pa.329. Polluit etiam eos, in quorum corpora per vim exercetur. disp.45. cap.4. pag.507. Propter eam traducitur originale in filios. dis.5. ca.1. pag. 115.

Lux, quamuis sit accidens, est nobilior corpore opaco. dis.17. c.4. p.325.

Luxuria generatur, cùm non resistitur libidini. dis.5. cap.1. 115.

M.

MAchabæa mulier non vsa est restrictione mentali, nec tamen falsum loquuta est. dis.23. ca.2. pa.286., & d.15. c.2. p.177.

Machabæis licuit pugnare Sabbato ad tuenda sancta, & gentem. dis.1. cap.5. pag.87. Tunc nō operati sunt ex probabili, sed ex certo. ibidem.

Non licuit autem pro tuenda vita manducare carnes porcinas, quia id præcipiebatur in signum abiectæ, & proditæ Iudaicæ Religionis. disp. 45. ca.1. pa.484., & dis.21.c. 2. p.258.

Magnum dicitur relatiuè ad paruum, sed non tamquam pars ad totum. dis.21. cap.4. p.262.

Malitia, quæ inest actui ex natura sua, non potest ab eo tolli, nisi tollatur eius natnra. dis.55. p.571.

Malitia mortalis non potest diminui ad venialem, nisi ex imper-

Digitized by Google

imperfectione actus; aliàs vel omnino tollitur, vel remanet in sui grauitate. dis. 45. ca. 1. pag. 432., & dis. 2. c. 1. p. 94.

Mahometes præcipit iter ad Mecham semel in vita. dis. 2. c. 1. pa. 99. Item, vt filii singulis quadrienniis inuisant patrem. dis. 3. pag. 107. Distinguit specie animalia, & Angelos iuxta diuersitatem Cælorum, dis. 20. ca. 4. pag. 215.

Malum Dei, ideſt peccatum superat omne aliud malum, sicut bonum Dei omnia bona. dis. 54. p. 556.

Non est faciendum malum minus, ne fiat grauius, & ita nec consulendum. dis. 52. q. 2. p. 575.

Materia grauis, vel leuis solet distinguere peccatum in mortale, & veniale. dis. 2. c. 1. p. 93. Non semper leuitas materiæ alleuiat peccatum, aliquando grauat. dis. 21. ca. 2. pag. 256. Materia iuramenti non est propositio, quæ per ipsum firmatur, sed Deus, qui vocatur in testem. ibidem ca. 1. p. 253.

Materiam offerre peccato, aliquando est excusabile. dis. 44. c. 2. p. 489.

Meretrici non est deneganda habitatio, eo quia ea supponatur abusura ad malum. dis. 45. c. 10. p. 521.

Meritum habent actus Fidei, Spei, & Charitatis, non quia entitatiuè supernaturales sũt, sed quia tales actus sunt; quãuis, vt tales actus sunt non possint esse nisi supernaturales. Vnde, si possent naturaliter fieri, idem meritum haberent. di. 20. c. 5. p. 218.

Metus grauis non est iusta causa simulandi administrationem Sacramentorum. dis. 26. p. 300.

Metus notabilis damni non excusat a peccato in transgressione legis naturæ. dis. 45. ca. 1. pag. 484. Excusat in transgressione legis humanæ. ibidem. Non transfert malitiam actus de mortali ad venialem, sed vel omnino eam tollit, vel relinquit eam in sui grauitate. ibid. pag. 482. Non excusat seruum deferentem scalam, aperientem ostium, submittentem humeros pro stupro domini, dis. 5. c. 1. pa. 181. Non baiulos deferentes personas ad fornicãdum. ibid. c. 5. p. 500. Non dictantes, exarantes, deferentes litteras amatorias, vel amatoria verba referentes. ibid. c. 6. p. 510. Non formantes idola, dum petuntur ad cultum. ibid. c. 9. p. 517. Non ædificantes eis templa ib. c. 8. p. 515. Non coquos præparan-

Digitized by Google

tes cibos illicitos. ibi. ca. 11. p. 522.

Mollities iure naturæ mala est, & indispensabilis a peccato, quia per eam irritatur libido, & percipitur delectatio absorbens rationem. disp. 43. p. 448. Dispergit etiam semen, quod a natura institutum est ad generandum. ibi. 449. Absurdissimè dicitur, illam natura sua esse sepè bonam, & aliquando obligatoriam sub mortali, & tamen a Deo interdictam. ibid.

Motus ad vltimum finem est a primo agente; & sic amor Dei super omnia est in creatura a Deo non a seipsa. dis. 20. c. 7. pag. 233. Motus grauium, & leuium ad impediendum vacuum est ab agente vniuersali. ibid.

Mortale peccatum excedit veniale in infinitum. dis. 45. ca 1. pa. 483. Non conflatur ex pluribus venialibus. dis. 34. cap. 5. pag. 376. Non leuadit veniale nisi ex imperfectione actus. dis. 1. ca. 1. pag. 94. Non verò ex vlla causa excusante, vel facultate. disp. 45. c. 1. p. 482.

Mortem nullus tenetur pati nisi in pœnam peccati, ideoque nullus potest eam præcipere. Eam non præcepit Deus, sed constituit in necessitate naturæ; ideoque in pœnam culpæ originalis. dis. 27. ca. 3. p. 317. Possunt tamen præcipi opera, quibus adnexum est periculum mortis. ibid.

Mortem tolerare pro actu virtutis exercendo, vel seruando licitum, immo laudabile est. ibidem ca. 5. pag. 326. Regulariter non tenemur subire mortem pro auertendo peccato, vel damnatione alterius. ibidem pag. 320.

Moyses non peccauit occidendo Ægyptium. dis. 27. ca. 2. p. 310.

Pro Mutuo nihil recipi potest vltra sortem, etiam si pecunia præsens plus valeat, quam futura. dis. 37. p. 389. Quod tamen falsum est. ibidem pag. 392. Mutuum licet ex graui necessitate petere ab vsurario. dis. 45. ca. 2. pa. 487.

Mysteria ignoranis Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis non est capax absolutionis. dis. 57. c. 6. p. 619.

Mysterium Trinitatis non cognoscitur implicitè dum cognoscitur Deus; quamuis ex fœcunditate naturæ Diuinæ deduci possit. ibid. ca. 2. pag. 582.

✠ ✠

N.

Digitized by Google

N.

Naaman Syrus non peccabat subſtentans Regem in actu idololatriæ. d.45.c.4 p.496.

Natura, quæ adiuuante Deo poteſt conſequi bonum perfectum, melior eſt, quàm quę ſuis viribus poteſt conſequi imperfectum. diſ.20. ca.7. pa. 234.

Natura humana fuit inſtituta ſine morbo libidinis, & ſic fuiſſet propagata, niſi aduenisſet peccatum. diſ.42. ca. 1. pag. 434. Pro eius propagatione non fuit diſpenſatum ſuper polygamia, nec fuit diſpenſandum. diſ.44. ca. 4. p.474.

Naturæ vera ſanitas conſiſtit in ſubiectione ſenſus ad rationem. diſp.42. ca.1. pag. 434. Proinde nec pro ſeruanda vita debet ille ordo peruerti. ibid.

Naturale, & ſupernaturale ſunt prædicata relatiua ad naturam; quare non explicant eſſentiam rei, ſed tantùm conuenientiam, vel exceſſum ad eam. Ideo non poſſunt ex ſe ipſis facere diuerſitatem ordinis, aut quamcunque aliam, ſed eam explicant, & ſupponunt. diſ.20. c.4. p.215.

Diſtinctio actuum entitatiuè naturalium, & entitatiuè ſupernaturalium habentium eadem prædicata, & verſantium circa eadem obiecta formalia, repugnat. ibidem.

Qui natus non eſt ſecundùm Adam, non poteſt in Chriſto renaſci. Sed natus eſt in vtero, qui conceptus eſt. d.31. p.361.

Neceſſitas medii, & præcepti. di. 57. c.1. p.580.

Neceſſitas Fidei, & proteſtationis eius. *Vide* Fides

Neceſſitas Fidei explicitę in Chriſtum omni tempore propter iuſtitiam, & ſalutem. *Vide* Fides.

Neceſſitas peccandi non datur. d.1. c.5. p.79.

Neceſſitas Gratiæ. *Vide* Auxilia Gratiæ.

Nullus poteſt rectè viuere niſi Chriſtianus. diſp.20. cap. 3. pag.196, & diſp.57. cap.3. p.600.

Nuptiæ inſtitutæ ſunt ante ortum libidinis. diſ.6. ca.2. pag. 124. Quare de ſui inſtitutione illam nec ſupponunt, nec trahunt. diſ.42. c.1. pag.433. Nec per illam poſtmodum exortam amiſerunt bona, quæ ante illam habebant. ibid. pa. 434. Proinde copula nuptia-

Digitized by Google

lis licita est, quamuis non possit exerceri absque libidine. ibidem. Fuerunt institutæ propter prolem tantummodò. dis.6. c.2. p.124. Non extensæ, nec institutæ in remedium libidinis tamquam finem secundarium. ib.p.127. Non institutæ a Christo, sed eleuatæ ad rationem Sacramenti. ibi. p.126. Multò minùs ab eo institutæ principaliùs in remedium libidinis. ibid.125. Nec quinquies institutæ. ibid.

Nuptiarum pluralitas. *Vide* Polygamia.

O.

OBedientia laudabilior est cæteris virtutibus. dis.49. ca.1. pa.540. Ipsa quoq; oblatione victimarum. ibid. 541. Conformat voluntatem subditi voluntati superioris. ibid. 540. Sub ea cadunt etiam actus merè interni Regularium, ibi.542. In aliis verò actus interni, qui coniunguntur cum externis. ibi.539.

Occidere publica authoritate licet. dis.28. p.346.

Occidere non licet calumniatorem, aut eum, qui post impactam alapam fugit. dis.27.c.1. p.303. Neque furem pro conseruatione vnius aurei. dis.38. p.344.

Occidere Tyrannum non licet, si id sine magna turbatione, & clade Reipublicæ fieri non possit. di.10. p.156.

Occisio aggressoris non debet intendi in defensione propriæ vitæ per arma. dis.27. c.1. pa. 303.

Offensa Dei improportionabiliter excedit offensam cuiusque creaturæ, omniumque simul. dis.21. c.1. p.254. Attenta infinita Dei maiestate nulla eius offensa est leuis. dis.21. ca.1. pa.252. Offendere Deum leuiter, ne a nobis, vel aliis offendatur grauiter, non licet. dis.56. c.1. p.576.

Officium distributum est in plures horas, vt pluribus temporibus laudetur Deus. di.48.p. 534. Recitandum est attentè. dis.49. ca.1. p.542. Nulla eius pars recitanda est ratione alterius, sed quælibet ratione sui. dis.48. p.534. Hinc, si non possunt recitari longiores, vt Matutinum, & Laudes; recitandæ sunt, quæ possunt. ibid. 535.

Opera indifferentia cadunt sub præcepto; tuncque rectè fiunt propter obedientiam. d.45. c. 4. p.502.

Operari cum dubio, vel scrupulo peccandi, peccare est. d.1. c.4. p.38.

Operari, vt quiescat, seu frænetur inclinatio, est operari secundùm illam. Ita exercere co-

Digitized by Google

copulam, vt quieſcat libido, eſt illam exercere ex libidine. diſ.6. c.3. p.138.

Opinio diſtinguitur a puro dubio. d.1. c.5. pa.67. Et a coniectura, ſuſpicione, credulitate leui, ac temeraria. ib.69. Tamen eſſentialiter incerta eſt propter inſufficientiam motiui non valentis cauſare certitudinem. ibi. c.4. p.39. Non eſt pura cognitio probabilitatis, ſed aſſenſus ad illam tamquam ad veritatem. ib.c.1. p.9. Quare eſt habere quaſi pro vero, quod neſcias eſſe falſum ibidem. Qui ex ea operatur, operatur cum formidine peccati. ibidem. Neque poteſt tolli ea formido niſi voluntariè. ibid. & pag.49. Quod ad temeritatem pertinet. ibi. pa. 50. Non poteſt eſſe in Angelis bonis. ibi. c.1. p.9. Immo neq; in Adam, & Eua in ſtatu integritatis. ibidem. Eſt certa de probabilitate oppoſiti. ibidem. Non innitur fundamento prudenti, & graui in ordine ad operandum. ibid. ca.5. pa.66. Iudicium reflexum ex ea formatum incertum eſt; ib. c.4. pa.40. Aliqui iudicantes, & operantes ex probabili opinione puniti ſunt. diſ.1. ca.4. p.64.

Opus coniugii ob ſolam voluptatem exercitum non caret omni peccato. diſ.6.c.1.p.118. immo reuera non eſt opus coniugii, ſed libidinis. ibid.

Oſcula, & tactus inter coniuges ſola voluptatis gratia ſunt peccata. d.6. c.4. p 141.

P.

PArs maior trahit ad ſe minorem, quando verificetur. d 48. p.536.

Paruitas materiæ excuſat a lethali. d.21. c.2. p.257. Etiam in peccatis propter iuramentum non ſolutum, & votum non impletum, dummodo nō ſit materia totalis. ibi. ca.4. p.261. Tunc enim potiùs grauat. ibid.265. Sicut & in his, quæ præcipiuntur in ſignum dominii, ſeu obedientiæ debitæ, aut Fidei, aut Religionis, aut alterius virtutis, quā quis profitetur, aut habere tenetur. ibi 256.

Paruum dicitur relatiuè ad magnū, ſed nō ſicut pars ad totū. d.21. c.4. p.262.

Peccandi conſuetudo eſt aperiēda in confeſſione. d.52.p.558., & d.56. c.1. p.574.

Peccandi occaſio fugienda, non admittenda, multò minùs quærenda. diſ.55. p.571.

Peccata ex conſuetudine, ſiue habitu commiſſa ſunt grauiora, licèt minùs libera. diſ.52.p. 563. Ita & peccata frequentia cauſantia habitum. ib. p. 560.

Peccanti ex conſuetudine, vel negāda, vel differenda eſt

Digitized by Google

absolutio. d.54.p.568:

Peccatum distinguitur a culpa; hęc enim vltra deordinationem, seu malitiam actus, quæ solùm significatur nomine peccati, addit libertatem peccantis. dis.1.c.4.p.53. Propterea, & si in infantibus, amentibus, ebriis non possint adesse culpę, possunt tamen adesse peccata. ib.p.56. Quæ peccata solent dici materalia. ibi. Ea tamen directè prohibetur a lege, non culpę. ib. pa.53. Quare vitanda sunt. ib. Et de cõmissis concipienda displicẽtia ex amore rectitudinis, & ordinis. ib. Non tamen propriè pęnitendum, quia pœnitentia propriè dicta non est nisi de culpis. ib.59. Ea exhorruerunt Pharao, & duo Abimelech Reges. ib. 54. Peccatum mortale, & veniale distinguntur ex grauitate, vel leuitate materię. dis.2.c.1.p.93. *Vide* Mortale, Veniale.

Pecunia numerata non est pretiosior numerãda di.37.p.392. Futura nullum habet valorem.

Polygamia non videtur interdicta iure naturæ. disp.44. c.3. p.468. Probabiliter tamen id dicitur. ibi. p 472. Non tamen, si sic est interdicta, fuit dispensatum, vel dispensandum in ea propter multiplicationem generis humani. ibid. ca.4. p.474. Sed tantùm in Hebræis ob multiplicatione populi fidelis prænuntii Christi. ibid. p.476. Pluralitas tamen virorum iure naturæ interdicta est mulieri. d.44. c.1. p.462.

Pollutio procurata non potest absolui a peccato. di.43. ca 1. pa.448. Illicitum est desiderĩ, vt accidat in somno cum visis, & delectatione obscęna. ibid. ca.3. p.455. Licitum, vt sine illis. ibidem. Tenemur abstinere ab operibus indifferẽtibus, immo bonis, si ex eis experti sumus, sequi pollutionem. ibi. ca.4. pag.459. *Vide* Mollities.

Pœnitentia propriè dicta non est, nisi de culpa, idest, peccato liberè commisso. dis.1. c.4.p.59.

Præceptum naturale non potest pro vna, vel altera vice obligare sub mortali, pro aliis sub veniali. d.2. c.1. p.93. Immo neque positiuum humanum, nisi id specialiter exprimatur. ibi. p.94. Regulariter, cùm præceptum est in materia graui, obligat sub mortali. ibi.

Præceptum de seruando festo obligat sub mortali, etiam si abiit scandalum, & contemptus. dis.47. p.530.

Præceptum de audiendo sacro non impletur ab eo, qui simul plures partes Missæ a pluribus Sacerdotibus dictas audit. di. 47. p.530.

Præceptum communicandi in Paschate non impletur per sacri-

Digitized by Google

crilegam Domini manducationem. d.49. c.1. p.538.
Præceptum non datur de generibus, nisi per genera intelligantur omnes, & singuli actus pertinentes ad materiam præcepti. di.21. c.4. p.263.
Præceptum charitatis, licèt affirmatiuum, includit negatiuũ, ne habeamus alium vltimum finem, præter Deum. d.2.c.2 p. 101.
Præceptum humanum etiam sæcularis potestatis cadit supra actus internos, qui coniunguntur cum externis. d.49. c.1. p.538.
Principi debetur honor, & reuerentia, etiam dum actu peccat. d.45. c.4. p.498.
Probabile quandoque sumitur pro probatione digno, quandoque pro opinabili, & hæc diuersa vsurpatio est notanda. d.1. c.1. p.10. & 11.
Probabile cùm dicitur, non consequenter verum. d.1.c.1.p.10.
Probabile est incertum. ibidem. Nec super eo fundari potest iudicium certum reflexum. ib. c.4. pa.41. Quare qui ex eo operatur, cũ formidine peccati operatur, atq; adeo cum peccato. ib. p.38. Et propterea non operatur prudenter. ibid. c.5. p.66.
Probabilitas alia intrinseca, alia extrinseca. dis 1. ca.1. pa.12.
Etiam probabilius est incertum, atque adeo nec ex eo operari licet. dis.1. ca.1. pa. 14.
Pronitas generalis ad peccandum ex corruptione naturæ, itemque pronitas ad particularia peccata ex temperamento carnis, non est aperienda in confessione. di.52. pa.562. Benè autem pronitas causata ex frequentia peccatorum. ibid.
Prudentis non est operari ex probabili. d.1 c.5. p.66.
Purgatio pro sola suspicione potest indici. d.1. c.1. p.89.
Purgatio per aquas amarissimas indicebatur mulieri suspectæ de adulterio. pag. vlt.

Q.

QVando, & quoties eliciendus sit actus Fidei, vel Charitatis. *Vide* Charitas. Actus Charitatis. Actus Fidei.
Quantitas notabilis furto surrepta est sub mortali restituẽda, quamuis paruis furtis sit collecta. d.34 c.1. p.371.
Quantitas. *Vide* Materia. Paruitas. Leuitas.
Quæstio de licito, vel illicito vsu Probabilitatum non magnæ difficultatis, sed multę est grauitatis. d.1. c.1. p.7.
Quierem appetunt omnia. dis.6. c.3. p.138.
Quoties non est numerandum inter circumstantias. disp.52. p.563. Frequentia tamen peccа-

Digitized by Google

catorum grauat peccata, & est aperienda in confessione. ibid. p.562.

R.

REligionem, & Fidē falsā simulare non licet. d.15. c.2. p.174.

Restituere tenetur damnum illatum, qui illud per alium intulit tertio. dis.35. c.1. p.380. Ita, & qui impedit, ne detur præbenda, aut beneficium illi, cui de iure debetur, etiam si non per media contra iustitiam impediat. ibid. c.2. pa. 382.

Restituenda est summa notabilis etiam paruis furtis collecta. d.34. c.1. p.371.

Restrictio mentalis quid sit. dis. 23. c.1. p.272. Non liberat a mendacio. Immo propositio cum illa prolata habet integram, & perfectam rationem mendacii, quia in ea adest falsitas cum voluntate fallendi. ibid. pa.274. Restrictio illa, qua rogatus mutuare pecunias, respondet: non habeo, cùm habeat, subintelligendo, vt dem tibi, omnium minimè est idonea ad restringendum significatum responsionis, & ad liberandum a mendacio. ibidem. Ita, & illa, qua plures dicunt vsum esse Christum Dominum, dum discipulis interrogantibus de die iudicii respondit: neque filius scit, subintelligendo, vt reuelet vobis. ibi. ca.2. pa.278. Ita, & illa: Nescio, vt reuelem tibi. ibi. c.2. pag.288. Restrictiones mentales agnitæ sūt a Gentilibus, & ad fraudes reiectæ. ibid. ca.1. pag.275. Non licet illis vti iurando, etiam si sine illis reuelari necesse sit crimen occultum. dis. 25. p.296. Nec absolutè iis licet vti pro veritate occultanda. dis.24. pa.293. Si earum vsus dicitur licitus perit fides etiam iuramento firmata de rebus humanis. dis.26. cap.1. p.275.

Retinere fugientem, vt hostis eum assequatur, & occidat, est concurrere efficienter moraliter ad homicidium. d.45. c. 2. p.485.

Retinere summam notabilem, quamuis paruis furtis collectam, mortale est. dis.74. c.1. p.371.

Reuelare, vel minimum peccatum in confessione Sacramentali auditum, mortale est. dis. 21. c.1. p.255.

S.

SAcerdos in Missa non consecrans illudit Deo, & populo. dis.22. p.269. & dis.26. p.300. Grauius peccat, quàm si sacrilegè communicaret. ibid. Non refert spirituale ad tempo-

Digitized by Google

porale, si alias non celebraturus, celebret rogatu amici, vel aduentu Principis. dis.4. ca.2. p.412.

Salutis nostræ initium non ex nobis, sed ex Deo est. dis.57. c.5. p.607. Ad salutem requiritur Fides explicita in Christum. ibi. c.2. p.582.

Sapientia non est pretio æstimabilis. dis.40. c.1. pa.404. In diuinis litteris nō sumitur pro simplici cognitione speculatiua rerum, sed prout est coniuncta recto affectui voluntatis, seu virtuti, immo potiùs ipsa virtus videtur vocari sapientia. dis.27. c.4. p.323.

Semen emittere extra vas etiam coniugibus est peccatum mortale. dis.6. c.5. pa.142. Quidquid semen sit, a natura ordinatum est ad generationem. dis.43. c.2. p.451.

Sententia de immaculata Deiparæ Conceptione pia, & laudabilis est descendens ex deuotione erga eamdem. Non videtur autem reddita certa per Bullas Pontificum in eius fauorem; quamuis certum per easdem redditum sit, ipsam non contradicere Scripturis. Si quis autem eam non teneret, eo quia putaret derogare dignitati Christi, non esset nec peccati, nec imperfectionis moralis arguendns. d.1. c.5. p.81.

Seruus. *Vide* Famulus.

Simonia est voluntas emendi, vel vendendi spirituale. d.40.c.1. p.405. Ly tamen emere, & vēdere non debet intelligi strictæ, ita vt temporale detur, vel accipiatur tamquam pretium rei spiritualis, sed sufficit, si detur, vel accipiatur tāquam motiuum ad acquirenda, scilicet, spiritualia per tēporalia, vel è contra. ibidem. Simoniacum est ita intendere temporale pro spirituali, vt nisi temporale accederet non conficeretur, vel conferretur spirituale. ibi. p.457., & 458. Non est autem Simoniacum ita illud intendere, vel accipere, vt sine eo adhuc spirituale conficeretur, vel conferretur. ibid. 409.

Simoniacum etiam est, inter æquè dignos conferre officium, vel beneficium vni potiùs, quā alteri propter temporale emolumentum. ibi. c.3. p.413.

Simulare administrationem Sacramentorum etiam ex metu graui non licet. dis.26.p.300. Nec simulare falsam Religionem, & Fidem. dis.15. ca.2. pa.174. Simulatio tum boni, tum mali mala est. disp.26. p.301.

Spes Christiana de bonis maximè arduis est, & tamen certa; ideo nullo modo naturaliter haberi potest. dis.20. c.4. p.216.

Spirituale in infinitum excedit omnia

Digitized by Google

omnia bona temporalia: proinde non est pretio æstimabile. di.40. c.1. p.405.
Stoicæ sectæ superbia. d.20. c.4. p.213. & d.27. c.6. p.339.

T.

TActus, & oscula voluptatis gratia in coniugibus peccaminosa sunt. d.6. c.1 p.141.
Tangi libidinosè sè sinens peccati reus est, & dehonestatur, etiam si non ex libidine id permittat. d.45. c.4. p.507.
Tępla idolis excitare idololatria est. dis.45. c.8. p.515.
Testamentum vetus erat timoris, nouum vero amoris. dis.2. c.1. p.97. & d.20. c 3. p.203.
Peccatores pertinent ad vetus, iusti ad nouum. ibidem.
Non pertinet ad nouum nisi habens Fidem in Christū. ibi.
Testem falsum reputari infame est; proinde grauis Dei iniuria est, vocare illum in testem falsitatis. dis.21. c.1. p.255.
Testimonium creaturarum de existentia Dei non est propriè, sed metaphoricè testimonium; & ita assensus ex illo non est propriè, sed metaphoricè Fides, proinde iustificare non potest. dis.20. ca.1. p.191.

* * *

V.

VEctoribus, baiulisue nō licet exportare personas ad loca, vel ad personas, in quibus, vel cū quibus sit fornicandum. d.45. c.5. p.520.
Licet exportare idola de vno loco ad alium. ib. c.9. p.520.
Vehemens motiuum causat certitudinem; & ideo ex eo iudicari potest. d.1. c 5. p.70. & 89.
Venerea voluptas quælibet omnibus interdicta exceptis coniugibus. d.42. c.1. pa.433. Etiam istis, & si non peccaminosa, pudenda tamen est. ibi. 432. Propter sui vehementiam absorbet rationem. ibid.
Venerem, ac stultitiam eodem vocabulo Græci nuncupabāt. disp 42.c.1.p.431.
Victoria, quæ vincit mundum, est Fides nostra; quia non potest vinci mundus nisi per auxilia per Christum, quæ non scribuntur nisi habenti Fidem in Christum. d.20.c.3.p.204.
Vim vi repellere per omnia iura licet; cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. d.27. ca.2. p.305.
Vincere mundum, ac tentationes per actus naturales gloriosius esset, quàm per supernaturales, si illud esset possibile. d.42. c.1. p.431.
Virtus est præstantior, quàm vita

Digitized by Google

vita. d.27. c.4. pa.322. Ideo pro actu virtutis licitè vita contemnitur. ibid.

Visio non fit à lumine gloriæ, & intellectu tamquam a duobus causis partialibus. d.45. ca.4. p.501.

Vita corporis non est contemnē. da, sed diligendā. d.27. ca.3. p.311. Etiam ex charitate. ib. c.6. pa.333. Atque hæc est doctrina Augustini. ibi. 332. pro ea seruanda licet egerere humores, & partes corporis amputare. c 42. c.1.p 428 Nō tamen formicari, aut pollutionem procurare. ib. p.430.

Voces non sunt institutæ ad significandum nobis, sed aliis. d.23.c.2. p.290. Non licet earum significationem pro libito immutare. ibi.

Nec vti eis non significatiuè, dū alios alloquimur. ibidem. Earum significatio determinatur ex circumstantiis rerum. ibid. p.281.

Vota non soluere lethale est, etiamsi materia, de qua est votum, sit modica, dummodo sit totalis. Si autem est partialis, & modica, non est lethale. dis.21.c.4. p.261.

Votorum solutionem grauiter exigit Deus. d.21.ca.1.pa. 268.

Vouere sine animo soluendi lethale est, etiam si materia, de qua est votum, sit leuis. d.21. c.3. p.261.

Voluptas non intenditur a natura vt finis. d.5.c.1. p.112., & d.42.c.1. p.448.

Voluptas sensus non est propriū bonum hominis, sed honestū; quare numquā licet eam per se intendere; & qui oppositum docent, Aristippi, & Epicuri dogmata sequuntur. d.5. c.1, p.111., & 112. Est referenda ad honestatem seruandæ vitę, vel valetudinis. ib.c.2.p.116. & 117. Qui in ea finem ponit Spiritu Sancto vacuus, a Christo alienus, & suæ carnis corruptor est. ibi. c.1.p.114.

Voluptates ipse Deus indidit operationibus sensuum; & maiores fuissent in statu integritatis, quàm modò. d.42. c.1. p.439. Non tamen turbassent rationem. ibi.433.

Voluntas quandoq, est imperfecta ex infirmitate, quandoque ex libertate. d.5. p.552. Non ita imperat appetitui sēsitiuo, sicuti mēbris. d.51. p.552.

Voluntatis actui imponi potest præceptum. d.49.c.1. p.540.

Vxor nō potest, etiā cōsentiente marito, pro eius salute alteri copiā sui corporis præbere, vt putauit mulier Antiochena. d.44. c.2.p.465.

Z.

ZElotipiæ lex. V Lex Zelotip. Zelus viri ad vxorē, & e cōtra, nō est ne turbetur pax domestica, sed ne diuidatur caro, seu cōmittantur adulteria. d.44. c.3. p.467.

F I N I S.

Digitized by Google

2.3.113

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google